16 g.56.e.7

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
56
C
7
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

M

Digitized by Google

TRACTATUS
In
Tertiam Partem Rubricarum
Miſſalis Romani
De
DEFECTIBUS
In Celebratione Miſſarum
occurrentibus
Ex variis Authoribus collectus,
& ad Sacerdotum omnium utilitatem
deſideratiſſimam pro plurimis & diverſiſſi-
mis in SS. Miſſæ Sacrificio occurrentibus
dubiis & caſibus diſſolvendis, ſtu-
dioſè inſtructus
Per

P.F. Conſtantinum Ha-
gerer, Ord. Min. S. Franciſci
Reformatæ Provinciæ Bavariæ
Sacerdotem.

*Cum Facultate Superiorum, & Privilegio
Sac. Cæſ. Majeſtatis.*

Impenſis, Joannis Gaſtl, Bibliopolæ Pede-
pontani prope Ratisbonam.

Monachii, typis Mariæ Magdalenæ Riedlin, Viduæ,
Anno 1740.

Digitized by Google

A.V.S.13 –
1750

Digitized by Google

8.56.c.7

Reverendiſſimo, Illuſtriſ-ſimo, & Excellentiſſimo

DOMINO, DOMINO

JOANNI LUDOVICO JOSEPHO

Libero Baroni de

WELDEN,

In Hochenaltingen & Laup-heim

Reverendiſſimi & Sereniſſimi Domini, Domini Joannis Theodori, è Ducibus Bavariæ Epiſcopi Friſingenſis, & Ratisbonenſis Conſilii Eccleſiaſtici Præſidi, & per Diœceſin Friſingenſem in Spiritualibus Vicario Generali, Eccleſiarum Cathedralium Eyſtettenſis, & Friſingenſis reſpectivè Summo Decano, & Scholaſtico, ac Canonico Capitulari Seniori, & Jubilæo &c. &c.

Domino, ac Patrono ſuo perquam Gratioſo.

Digitized by Google

Reverendiſſime, Illu-
ſtriſſime, ac Excellentiſſime
Domine, Domine, Patrone
perquam Gratioſe.

SI veritati admodũ conſentaneum eſt; *Magnos magna decent, Sublimibus alta dicanda;* propatulum eſt, Reverendiſſimam quoque, Illuſtriſſimam, ac Excellentiſſimam Dominationem Suam magna decere, Eidémque

que

Digitized by Google

que nonniſi alta ſacranda eſſe. Si enim obtutum in Reverendiſſimam &c. &c. Dominationem Suam coniicimus, Magna profectò eſt, Sublimis eſt. Magnitudinem Summæ, & Cathedrales Eccleſiæ Eyſtettenſis, & Friſingenſis, ipſáque grandia, quibûs in utraque glorioſiſſimè fungitur, Munera abundè teſtantur. Sublimitas ex Clariſſima, & Illuſtriſſima Stemmatis Nobilitate conſurgens honoratur. Si ergo Magnos magna decent, & Sublimibus alta dicanda, ut quid modicum hunc Libellum Magno & Sublimi Nomini Reverendiſſimæ &c. &c

Dominationis Suæ dedicare, & conſecrare præſumimus? Sed eſto, præſumptuoſi videamur, dicamur; longè tamen diverſè apud Reverendiſſimam &c. &c. Dominationem Suam nos audituros, húncque Libellum gratiosîs aſpectum iri oculîs, penitus confidimus; ſi enim DEUS Ter Optimus, Maximus, cujus Magnitudinis non eſt finis, & Sublimitatis nullus eſt terminus, duo pauperculæ viduæ minuta in acceptis referre dignatus eſt; Reverendiſſima &c. &c. quoque Dominatio Sua pauper-

cu-

Digitized by Google

culum, & modicum hoc qua-lequale Opuſculum acceptare non dedignabitur, eò quòd & ſummæ venerationis Theſſera, & debitæ gratitudinis Mnemoſynon ſit. Gratias pauperibus nobis collatas ediceremus; quoniam verò Reverendiſſima &c. &c. Dominatio Sua manum ori noſtro imponit, calamúmque ſcribentis retrahit, nolens, ut, quod dextera Gratiosè fecit, ſiniſtra reſciat, id ſolummodo tangimus, palámque profitemur, quòd multa & magna ſint, quæ de Piiſſima Benignitate Reverendiſſimæ &c. &c. Dominationis Suæ in

nos Provinciæ Reformatæ Bavariæ Franciſcanos Gratiosè dimanârunt. DEUS omnis boni liberaliſſimus Retributor, ſit & meritorum quondam in cælis largiſſimus Remunerator! In præſenti autem tribuat, & prolonget diutiſſimam ſimul, & omni exoptata corporis, animæque proſperitate, atque perfectiſſima conſolatione repletiſſimam vitam, donec Reverendiſſima &c. &c. Dominatio Sua conſummatîs diebûs, laboribúsque plurimîs pro DEI gloria, Eyſtettenſis & Friſingenſis utriusque Summæ, & Cathedralis, nec non & Catholicæ totius Eccleſiæ utilitate, atque anima-

rum

Digitized by Google

rum concreditarum ſalute exantlatîs, ad ſempiternam requiem evocata, ab eo, qui eſt **Merces Magna nimis**, audire mereatur: *Euge ſerve bone, & fidelis - - intra in gaudium Domini tui.* Ità omnibûs, ſinceriſſimîs, & humillimîs exoptamus votîs

Reverendiſſimæ, Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ Dominationis Suæ

Devotiſſimi & obligatiſſimi

FF. Minores Reformatæ Provinciæ Antoniano-Bavaricæ.

Digitized by Google

APPROBATIO

Cenſoris Reverendiſſimi Ordinariatûs Friſingenſis.

EX ſpeciali Mandato Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Domini Vicarii Generalis accuratè perlegi *Tractatum in Tertiam Partem Rubricarum Miſſalis Romani de Defectibus in Celebratione Miſſarum occurentibus &c.* à V. P. Conſtantino Hagerer Ordinis Minorum S. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Sacerdote ex variis Authoribus collectum. Qui, cùm neque Orthodoxæ Fidei, Sacrorum Canonum ac Summorum Pontificum Decretis, neque ſanæ doctrinæ, vel bonis moribus quidpiam diſſonum contineat, ſed potiùs in magnam Sacerdotum, ut tremendum Miſſæ Sacrificium rite atque dignè peragant, utilitatem, clarámque informationem pro pluribus & diverſis dubiis atque caſibus diſſolvendis cedere valeat, omnino dignus cenſetur, ut mediante prælo publicam lucem videat. Dabam Friſingæ 23. Aprilis 1739.

Fr. Stanislaus Karg, Franciſcanus, & Lector Jubilatus.

Digitized by Google

APPROBATIO
Reverendiſſimi Ordinariatûs Friſingenſis.

ISTud Opus, cui Titulus: *Tractatus in Tertiam Partem Rubricarum Miſſalis Romani de Defectibus, in Celebratione Miſſarum occurrentibus &c.* à V. Patre Conſtantino Hagerer Ordinis Minorum S. Franciſci Reform. Provinciæ Bavariæ Sacerdote compoſitum, nec non à Theologis, ad hoc ſpecialiter deputatis, reviſum, & approbatum, ut Typis mandetur, licentiam concedimus. Signatum Friſingæ 23. Aprilis 1739.

(L. S.)

Joſephus L. B. de Welden,
Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Facultas Ordinis.

FR. FELIX à Roma Strictioris Obſervantiæ S. P. N. Franciſci Lector Emeritus, Sacr. Congregationis Indicis Conſultor, iteratò Procurator Generalis, ac in tota Ciſmontana Reformatorum Familia Vice-Commiſſarius Generalis, & humilis in Domino Servus.

Dilecto nobis in Chriſto Patri, Fratri Conſtantino Hagerer Sacerdoti, Noſtræ Reformatæ Provinciæ Bavariæ Alumno, ſalutem & Seraphicam Benedictionem.

Cùm juxta Apoſtolicas, Noſtrique Ordinis Conſtitutiones ab idoneis Noſtræ Reformationis Cenſoribus Liber, cui Titulus eſt: *Tractatus in Tertiam Partem Rubricarum Miſſalis Romani, de Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus &c.* à te elaboratus, recognitus fuerit, & approbatus; Nos præſentium tenore, ac cum ſalutaris Obedientiæ merito tibi facultatem facimus, & impertimur, ut ſervatîs aliàs de jure ſervandîs, illum typis evulgare poſſis, & valeas. Dat. Romæ ex Noſtro Conventu S. Franciſci ad Ripas Tyberis die 13. Septembr. 1738.

F. Felix à Roma
Vice-Commiſſarius Generalis.
(L. S.)

De Mandato Paternitatis ſuæ Reverendiſſimæ.
Fr. Joan. Pius à Trepano
Secretarius Generalis.

Digitized by Google

Approbatio & Cenſura Theologorum Ordinis.

OPuſculum hoc, cui Titulus: *Tractatus in Tertiam Partem Rubricarum Miſſalis Romani de Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus &c. per P. F. Conſtantinum Hagerer Ord. Minorum S. Franciſci, Reformatæ Provinciæ Bavariæ Sacerdotem inſtructus*; nos infrà ſcripti, & ſpecialiter deputati ſedula, & attenta lectione revidimus, in eoque non ſolùm Sacræ Theologiæ, aut ſanæ doctrinæ nihil contrarium, ſed ipſum Opuſculum Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus pro plurimis & diverſis diſſolvendis caſibus perutile invenimus; quapropter, ut typis mandetur, omninò dignum cenſemus. Monachii in Conventu S. Antonio ſacro, die 29. Auguſti 1738.

Fr. Angelinus Hafenecker, Lector Habitualis, & Provinciæ Diffinitor actualis.

Fr. Gerardus Zetl, Lector Generalis, & Provinciæ Diffinitor actualis.

Digitized by Google

Facultas

Admodum Reverendi Patris Miniſtri Provincialis, cum Privilegio Cæſareo.

VIſis Theologorum Approbationibûs, & Facultate Reverendiſſimi Patris Vice-Commiſſarii Generalis &c. FELICIS à Roma, pro imprimendo Libello, cui Titulus: *Tractatus in Tertiam Partem Rubricarum Miſſalis Romani de Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus &c. instructus per P. F. Conſtantinum Hagerer Ord. Min. S. Franciſci Reformatæ Provinciæ Bavariæ Sacerdotem;* Nos quoque, quantum eſt ex parte noſtra, tenore præſentium facultatem concedimus, ſimúlque Domino Joanni Gaſtl Bibliopolæ Pedepontano Privilegium Sac. Cæſ. Majeſtatis ſuper impreſſione & diſtractione Librorum Fratribus Minoribus Regularis ac Strictioris Obſervantiæ conceſſum impertimur, ut præfatum Libellum cum Plenario uſu Privilegii Cæſarei, imprimi faciat, ſuiſque ſumptibus & emolumentis diſtrahat, idque pro prima illius editione. Actum in Conventu noſtro Monacenſi, 3. Octob. 1738.

(L. S.)

Fr. Sabinianus Fritſch, Concionator Generalis, Miniſter Provincialis.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

DUm præſens tibi, benigne Lector, Libellus præſentatur, noli, quæſo, ad nomen, quaſi Authoris, huic Libello præfixum reſpicere; ingenuè quippe tibi profiteor, quòd ſum Collector duntaxat, non Author; vel, ſi mavis, apem argumentoſam egi, & mella, id eſt, optimas doctrinas ex ſelectiſſimis floribus, ſeu ex Libris variorum, & probatorum Authorum ſtudiosè collegi, quod ipſum per decurſum tu quoque haud difficilè dignoſcere poteris. Cur autem Libellus hic in lucem prodeat, ecce tibi quatuor rationes. Prima eſt: quia pauci (quos ſcio) ſunt Authores, qui de Defectibus Miſſæ ex profeſſo, & per ordinem tractant; quamvis plurima, pulchra, & admodum notanda, juxta qualitatem & exigentiam materiarum

in

in doctiſſimis ſuis Libris contineant, & pertractent. 2.da eſt: ut Neo-Sacerdotes ab initio ſtatim habeant, unde ſe in variis occurrentibus caſibus juvare, practicéque & prudenter reſolvere valeant. 3.tia eſt: ut Sacerdotes ob inopiam copioſos Authores ſibi comparare non potentes, ex Libello hoc ceu compendio commodum & utile ſubſidium habeant. 4.ta eſt: ut & Sacerdotes diverſis Authoribus proviſi quidem, ſed ob plurima, & gravia alia negotia inquirendi tempus non habentes, in hoc Libello, quod deſiderant, extemplo invenire poſſint. Utere igitur, ſi tibi placet, hoc Libello; ſin autem, eſto (per me licet) tu ipſe apis argumentoſa, & quære tibi Flores meliores. Vale. Ut autem Libellus hic omnium uſui accommodatiſſimus & facillimus eſſe poſſit, ſequentem Elenchum, & in eo ipſa Rubricæ formalia verba adducere, operæ pretium viſum eſt.

Sequitur ergo

ELEN.

ELENCHUS.

PRÆNOTIO.

De Miſſalis Romani Rubricis Præceptivis, & Directivis. fol. 2.

Particula I.

De Rubricis contra Omiſſionem pugnantibus. fol. 20.

Particula II.

De Rubricis contra Commiſſionem pugnantibus. fol. 54.

TRACTATUS.

Titulus I.

De Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus.

§. Unicus. Sacerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne deſit aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Evchariſtiæ conficiendum. Poteſt autem defectus contingere ex parte materiæ conſecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Miniſtri conficientis. Quidquid enim horum deficit, ſcilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et hîs exiſtentibûs, quibuſcunque aliîs deficientibûs, veritas adeſt Sacramenti. Alii verò ſunt defectus, qui in Miſſæ Celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere. fol. 91.

Titulus II.

De Defectibus Materiæ.

§. Unicus. Defectus ex parte materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur enim, ut ſit panis triticeus, & vinum de vite: & ut hujusmodi materia conſecranda in actu Conſecrationis ſit coram Sacerdote. fol. 100.

Ti-

Titulus III.

De Defectu Panis.

§. I. Si Panis non ſit triticeus; vel ſi triticeus, admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel ſit alioquin corruptus, non conficitur Sacramentum. fol. 105.

§. II. Si ſit confectus de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis, dubium eſt, an conficiatur. fol. 116.

§. III. Si cœperit corrumpi, ſed non ſit corruptus; ſimiliter ſi non ſit azymus, ſecundùm morem Eccleſiæ Latinæ, conficitur, ſed conficiens graviter peccat. fol. 119.

§. IV. Si Celebrans ante Conſecrationem adverterit, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remotâ illâ Hoſtiâ, aliam ponat; & facta oblatione, ſaltem mente acceptâ, proſequatur ab eo loco, ubi deſiit. fol. 124.

§. V. Si id adverterit poſt Conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſitâ aliâ, faciat oblationem, ùt ſuprà, & à Conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis: *Qui pridie, quàm pateretur &c.* & illam priorem, ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, vel alii ſu-

Digitized by Google

ſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quàm quòd à jejunis ſumatur. fol. 128.

§. VI. Quòdſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis & vinum cum aqua, & factâ priùs oblatione, ùt ſuprà, Sacerdos conſecret, incipiendò ab illis verbis, *Qui pridie &c.* ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo. fol. 131.

ʃ. VII. Si Hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, ùt ventô aut miraculô, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendô, *Qui pridie, quàm pateretur &c.* factâ ejus priùs oblatione, ùt ſuprà. fol. 140.

Titulus IV.
De Defectu Vini.

ʃ. I. Si vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis ſeu non maturis expreſſum, vel ei

ad-

Digitized by Google

admixtum tantum aquæ, ut vinum ſit corruptum, non conficitur Sacramentum. fol. 144.

§. II. Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantùm acre, vel muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis; conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat. fol. 153.

§. III. Si Celebrans ante Conſecrationem Sanguinis, quamvis poſt Conſecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non eſſe in Calice, debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt ſuprà, conſecrare, incipiendô ab illis verbis, *Simili modo &c.* fol. 164.

§. IV. Si poſt verba Conſecrationis advertat, vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſitâ aquâ in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret, reſumendô à verbis prædictis. *Simili modo &c.* fol. 166.

§. V. Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat,

 quam-

quamvis non ſit jejunus. Vel, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt ſuprà, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cætera. fol. 167.

§. VI. Si quis percipiat ante Conſecrationem, vel poſt Conſecrationem, totum vinum eſſe acetum, vel aliàs corruptum, idem ſervetur quod ſuprà, ac ſi deprehenderet, non eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquam fuiſſe appoſitam in Calice. fol. 171.

§. VII. Si autem Celebrans ante Conſecrationem Calicis advertat, non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba Conſecrationis. Si id advertat poſt Conſecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti. fol. 172.

§. VIII. Si materia, quæ eſſet apponenda, ratione defectûs vel panis, vel vini, non poſſet ullo modo haberi; ſi id ſit ante Conſecrationem Corporis, ulteriùs procedi non debet: ſi poſt Conſecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius ſpeciei, alterâ jam conſecratâ; tunc ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſolvenda, ità tamen, ut prætermittantur verba

&

& ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quòdſi exſpectandô aliquamdiu haberi poſſit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum. fol. 173.

Titulus V.

De Defectibus Formæ.

§. I. Defectus ex parte formæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipſa Conſecratione requiruntur. Verba autem Conſecrationis, quæ ſunt forma hujus Sacramenti, ſunt hæc: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et, *Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma Conſecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipſa verborum immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed graviſſimè peccaret. fol. 175.

§. II. Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.

bari. Si tamen certò ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam Conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam, ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs. fol. 176.

Titulus VI.

De Defectibus Miniſtri.

§. Unicus. Defectus ex parte Miniſtri, poſſunt contingere quoad ea, quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt: inprimis Intentio, deinde diſpoſitio animæ, diſpoſitio corporalis, diſpoſitio veſtimentorum, diſpoſitio in miniſterio ipſo quoad ea, quæ in ipſo poſſunt occurrere. fol. 196.

Titulus VII.

De Defectu Intentionis.

§. I. Si quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere. Item, ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel

aliqua

Digitized by Google

aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare, niſi quas videt. Item, ſi quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans, quas decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus, ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat: nam tunc omnes erunt conſecratæ; atque ideo quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet. fol. 197.

§. II. Si Sacerdos putans, ſe tenere unam Hoſtiam, poſt Conſecrationem invenerit fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque. Quòdſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant. fol. 202.

§. III. Si verò relicta ſit Hoſtia integra conſecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari ſupra Corporale decenter opertam, ſumendam unà cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat:

quat: vel ſi neutrnm horum fieri poſſit, in ipſo Calice ſeu Patena decenter conſervet, quouſque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur: quòd ſi non habeat, quomodo honeſtè conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere. fol. 212.

§. IV. Si intentio non ſit actualis in ipſa Conſecratione propter evagationem mentis, ſed virtualis; cùm accedens ad Altare intendat facere, quod facit Eccleſia, conficitur Sacramentum, etſi curare debet Sacerdos, ut etiàm actualem intentionem adhibeat. fol. 225.

Titulus VIII.

De Defectibus Diſpoſitionis animæ.

§. I. Si quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs Canonicè impeditus, celebret, conficit quidem Sacramentum, ſed graviſſimè peccat, tam propter Communionem, quam indignè ſumit, quàm propter executionem Ordinum, quæ ſibi erat interdicta. fol. 229.

§. II. Si quis habens copiam Confeſſoris, celebret in peccato mortali, graviter peccat. fol. 231.

§. III. Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris, in peccato mortali absque contritione celebret, gravi-

Digitized by Google

graviter peccat. Secus ſi conteratur; debet tamen, cùm primùm poterit, confiteri. fol. 239.

§. IV. Si in ipſa Celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur, ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. fol. 266.

§. V. Si recordetur, ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionem. Ante Conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere. fol. 266.

Titulus IX.

De Defectibus Diſpoſitionis corporis.

§. I. Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potûs aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare. fol. 269.

§. II. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtmodum non dormierit, nec ſit digeſtus, non peccat; ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum. fol. 293.

§. III.

§. III. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavandô os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem. fol. 294.

§. IV. Si plures Miſſas in una die celebret, ùt in Nativitate Domini, in unaquaque Miſſa abluat digitos in aliquo vaſe mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem. fol. 299.

§. V. Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abſtinendum eſt à Communione & Celebratione, niſi aliud Confeſſario videatur. Si dubium eſt, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, conſulitur abſtinendum extra tamen caſum neceſſitatis. Si autem certum eſt, non fuiſſe in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuiſſe cogitationem, ſed eveniſſe ex naturali cauſa, aut ex diabolica illuſione, poteſt communicare & celebrare; niſi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abſtinendum videatur. fol. 305.

Ti-

Digitized by Google

Titulus X.

De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus.

§. I. Poſſunt etiam defectus occurrere in Miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit: ùt ſi celebretur in loco non ſacro, vel non deputato ab Epiſcopo, vel in Altari non conſecrato, vel tribûs mappîs non cooperto: ſi non adſint luminaria cerea: ſi non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora uſque ad meridiem communiter: ſi Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: ſi omittat aliquid ex veſtibus Sacerdotalibus: ſi veſtes Sacerdotales & mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem, benedictæ: ſi non adſit Clericus, vel alius deſerviens in Miſſa, vel adſit, qui deſervire non debet, ùt mulier: ſi non adſit Calix cum Patena conveniens cujus cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea; non ærea, vel vitrea: ſi Corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſericô in medio ornata, & ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta, ùt etiã ſuperiùs dictũ eſt: ſi celebrat capite cooperto ſinè diſpenſatione: ſi non ad-

Digitized by Google

adſit Miſſale, licèt memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere. fol. 307.

§. II. Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſſa: ſi poſt Canonem, non dimittatur. Si timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante Conſecrationem dimittatur Miſſa; poſt Conſecrationem verò Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſsîs omnibûs aliis. fol. 429.

§. III. Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa: ſi poſt Conſecrationem Corporis tantùm, ante Conſecrationem Sanguinis, vel utroque conſecrato id accidit, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeò tamen, ut poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata, Sacerdos, qui Miſſam ſupplet, dividat Hoſtiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat. Si autem ſemiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta Conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur. Si verò objerit ſemiprolatâ formâ Sanguinis,

nis, tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco : *Simili modo, poſtquam cœnatum eſt.* Vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem relictum ſemiconſecratum. fol. 436.

§. IV. Si quis extra hujusmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſime peccat. fol. 456.

§. V. Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante Conſecrationem, proiiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, miſceat parùm aquæ, offerat ùt ſuprà, & proſequatur Miſſam : ſi poſt Conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino ; finitâ Miſſâ comburat, & combuſtio ac lotio hujusmodi in Sacrarium proiiciatur. Si autem nón fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine. fol. 458.

§. VI. Si aliquid venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſecrandum ; & fini-

tâ

tâ Miſſâ Sanguis repoſitus in panno lineo vel ſtuppa tamdiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in Sacrarium proiiciatur. fol. 461.

§. VII. Si aliquod venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modô, quo dictum eſt, & illa ſervetur in Tabernaculo loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium. fol. 465.

§. VIII. Si ſumendô Sanguinem, particula remanſerit in Calice, digitô ad labium Calicis eam adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum, & ſumat. fol. 466.

§. IX. Si Hoſtia ante Conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur; quòd ſi illius Hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit. fol. 467.

§. X. Si propter frigus, vel negligentiam Hoſtia conſecrata dilabatur in Calicem,

cem, propterea nihil eſt reiterandum, ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendô cæremonias & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta Sanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat omittendô ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem ſignans ſe cum Calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini noſtri &c.* fol. 468.

§. XI. Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat. fol. 469.

§. XII. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, linguâ lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proiiciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla pervenit, ſi uſque ad tertium; linteamina ter abluantur, ubi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in Sacrarium proiiciatur.

)()()(Quòd-

Quòdſi in ipſo ſolùm Corporali, aut ſi in veſtibus ipſis Sacerdotalibus ceciderit, debent ſimiliter ablui, & ablutio in Sacrarium proiici. Si in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluantur, ùt ſuprà. fol. 473.

§. XIII. At ſi contingat totum Sanguinem poſt Conſecrationem effundi, ſi quidem aliquid vel parum remanſit; illud ſumatur, & de effuſo reliquo Sanguine fiat, ùt dictum eſt. Si verò nihil omnino remanſit, ponat iterum vinum & aquam, & conſecret ab eo loco, *Simili modo, poſtquam &c.* factâ priùs tamen Calicis oblatione, ùt ſuprà. fol. 479.

§. XIV. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat: tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in Sacrarium proiiciantur. Quòdſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur. fol. 480.

§. XV. Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus, ubi cecidit, mundetur, & aliquantulùm abradatur, & pulvis, ſeu abraſio hujusmodi in Sacrarium

rium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, ſeu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipſa in Sacrarium effundatur. fol. 484.

§. XVI. Poſſunt etiam defectus in Miniſterio ipſo occurrere, ſi Sacerdos ignoret ritus & Cæremonias ipſas in eo ſervandas: de quibus omnibus in ſuperioribus Rubricis copioſè dictum eſt. ſol. 492.

Mantiſſa.

Pro Feria VI. Paraſceves. fol. 495.

APPENDIX

De Applicatione & Stipendio Miſſæ.

§. I.
De Applicatione Miſſæ.

Quæſtio I. Quid ſit Applicatio Miſſæ? fol. 503.

Quæſtio II. Quotuplex ſit fructus Sacrificii? fol. 503.

Quæſtio III. Utrùm tres Sacrificii fructus neceſſariò à Sacerdotis applicatione dependeant? fol. 504.

Quæſtio IV. Qualis intentio ex parte Sacerdotis fructus Sacrificii applicantis requiratur? fol. 508.

Quæſtio V. Quando Applicatio fructuum Sacrificii fieri poſſit, ac debeat? fol. 511.

Quæſtio VI. Quanta ſit obligatio Sacrificii fructus applicandi? fol. 517.

Quæſtio VII. Quomodo Sacerdos Religioſus Miſſæ Sacrificium ex obedientia præſcriptum practicè & ſecurè applicare poſſit, ac debeat? Quod idem de aliis reſpectivè quæritur. fol. 525.

Quæſtio VIII. Quid ſentiendum de intentionibus ſeu applicationibus ſecundariis? fol. 538.

Quæſtio IX. An fructus Sacrificii quandoque dividere liceat? fol. 542.

Quæſtio X. Pro quibus Sacrificium Miſſæ licitè offerri poſſit? fol. 549.

§. II.
De Stipendio Miſſæ.

Quæſtio I. Quid ſit Stipendium, an licitum, & quo jure debeatur? fol. 558.

Quæſtio II. Quantum Stipendium liceat Sacerdoti celebranti accipere, & exigere? fol. 562.

Quæſtio III. An Sacerdos pro eadem Miſſa plura ſtipendia accipere, aut unâ Miſſâ pro pluribus ſtipendiis ſatisfacere poſſit? fol. 567.

Quæſtio IV. An Sacerdos plures habens obligationes, Miſſas ob non congruum ſtipendium ad minorem numerum reducere poſſit? fol. 574.

Quæſtio V. An Sacerdos, acceptô pro Miſſa ſtipendiô, poſſit alteri Miſſam legendam committere, retentâ ſibi parte ſtipendii? fol. 577.

Quæſtio VI. Quouſque Miſſæ pro ſtipendio acceptæ differri poſſint: & quomodo peccent Miſſas hujusmodi nimiùm differentes? fol. 585.

Quæſtio VII. Utrùm Miſſæ in Altari privilegiato celebrandæ: & illæ XXX. vulgò *Miſſa Gregorianæ* nuncupatæ, quoad Privilegium vivis prodeſſe poſſint? fol. 593.

Quæſtio VIII. & ultima : An ea praxis laudanda ſit, dum quis in vivis curat pro ſe celebrari Exequias, tanquam pro mortuo? fol. 599.

NB. Errata pauca in fine Indicis notata, Benignus Lector corriget.

Digitized by Google

Errata corrigenda.

Fol. 98. lin. 14. ſi enim ſolam minorem, *lege*, ſi enim ſolam majorem.

Ibid. lin. 16. & aliam majorem, *leg.* & aliam minorem.

Fol. 111. lin. 15. quod fit, *leg.* qui fit.

Fol. 155. lin. 6. & conſequenter perſeverandi, *leg.* & conſequenter non perſeverandi.

Fol. 208. lin. ult. vel non habeat, *leg.* vel non habeas.

Fol 262. lin. penult. de Voto omiſſo, *leg.* de Voto emiſſo.

Fol. 283. lin. 17. & communior, *leg.* & communiter.

Fol. 287. lin. 13. *Tit.* XXV. §. 4. ſic habet: *Pro Viatico*, leg. *Tit.* XXVI. §. 4. ſic habet: *Viatico.*

Fol. 301. lin. 25. & facta oblatione, *leg.* & facta ablutione.

Fol. 376. lin. antepen. qui facientes, *leg.* qui id facientes.

Fol. 457. lin. 23. ſub utraque ſpeciei, *leg.* ſub utraque ſpecie.

Fol. 505. lin. 14. *Tertiò requiri poteſt.* leg. *Tertiò inquiri poteſt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

ANtequam de ipſis in Celebratione Miſſarum occurentibus Defectibus tractare incipiamus, operæ pretium eſſe viſum eſt, Prænotionem aliquam de Rubricis Præceptivis & Directivis, ac materiis huc ſpectantibus præmittere, quatenus legentes facilem, commodam, atque expeditam earum notitiam habere valeant. Sequitur ergo.

Digitized by Google

PRÆNOTIO
De Miſſalis Romani Rubricis Præceptivis & Directivis.

I.

QUidnam ſub vocabulo *Rubrica*, quoad noſtrum intentum intelligendum veniat, optimè explicat Paulus Maria Quarti in *Commentar. Rubr. Miſſal. Rom. Quæſt. Proœm. ſect.* 1. *punct.* 1. dicens: *Rubrica eſt regula communis continens Ritus in Miſſarum Celebratione ſervandos.* Ubi ly *Regula communis*, ſtat locò generis, in quo convenit cum alijs legibus & ordinationibus vim legis habentibus, atque communitati legitimè denuntiatis. Reliquæ particulæ ſtant locò differentiæ; ſicut enim aliæ leges certos habent, & proprios fines, e. g. aliquæ leges feruntur ad informandos, vel reformandos mores hominum: aliæ in bonum virtutis, & ſalutem ſpiritualem animarum &c. ita Rubricarum finis eſt, ornatus & decentia SS. Sacrificij Miſſæ, ſive, quod idem eſt, Rubricæ propriè ordinantur ad ornatum & decentiam Sacrificij. Dicuntur autem vi nominis Rubricæ; quia rubro colore ſæpius ſcribi ſolent.

2. Sunt

2. Sunt autem Rubricæ duplicis generis; aliæ ſunt *Præceptivæ*, & ſunt illæ, quæ obligant in conſcientia, & ſub peccato ad ſervandos Ritus in ijs præſcriptos. Aliæ ſunt *Directivæ*, quæ non imponunt obligationem, ſed proponunt ſolummodo inſtructionem, quid & qualiter agendum ſit. Sicut autem Rubricæ, ita etiam Ritus Miſſæ ſunt duplicis generis, & dividuntur in *eſſentiales*, qui ſunt de neceſſitate Sacrificij & Sacramenti; & *integrales* ac accidentales, qui pertinent ad ornatum ejusdem Sacrificij, poſſúntque eſſe de neceſſitate præcepti, non verò de neceſſitate Sacramenti. Quarti cit. *punct.* 2. Ritus eſſentialis conſiſtit in ſola Conſecratione, & quidem utriusque ſpeciei. *Prima* pars eſt probabilior & communior Theologorum. Reiffenſt. *tract.* 14. *diſt.* 5. *q.* 3. *n.* 34. P. Aquilin. Aman in Specul. Ordinand. *n.* 507. ubi, ſicut & apud Quarti cit. in *Append. q.* 1. *punct.* 4. pro hac ſententia plura, & pulchra videri poterunt. *Secunda* pars tenetur ab eodem Reiffenſt. cit. *n.* 38. éſtque hæc ſententia D. Thomæ 3. *p. q.* 74. *art.* 1. *q.* 80. *art.* 12. *ad* 3. & alibi, Cajet. Suarez & aliorum, apud Quarti *punct.* 5. Deſumitur ex Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 1. ubi inter alia ſic loquitur: *Chriſtus Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech ſe in*

æternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, ut ſumerent, tradidit, & eisdem, corúmque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcepit. Unde manifeſtè ſequitur (inquit Quarti) non poſſe Summum Pontificem diſpenſare, ut in una tantùm ſpecie fiat Conſecratio, quod idem habet Paſq. *q.* 46. apud la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *de Sacrif. n.* 15. quia non poteſt diſpenſare contra Chriſti inſtitutionem, ut fiat Sacramentum, & non Sacrificium; neque poteſt efficere, ut conficiatur verum Sacrificium ſinè ſuis conſtitutivis eſſentialibus à Chriſto verbô atque exemplô declaratis. Nec dicatur, Summum Pontificem diſpenſâſſe cum Danis &c. offerri Sacrificium in ſola ſpecie panis, ſedet enim Quarti, falſum eſt, Summum Pontificem eam diſpenſationem conceſſiſſe: quòd ſi aliqui id referunt, non ſunt audiendi, quia ex ſcripturis apocriphis ita acceperunt. Ità ille; prout etiam Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *n.* 132. fundamentum fabuloſum dicit, ſi referatur, Innocentium IV. cum Norvvegis diſpenſâſſe, ut in ſolo pane conſecrarent. Porro, non licet, etiam ad vitandam mortem, ſeu in extrema neceſſitate conſegrare unam ſpeciem ſinè alia, per

per ſe & directa intentione; & multò minùs ad communicandum infirmum, vel in ſimili caſu; quia offerre Sacrificium imperfectum & mutilum, eſt intrinſecè malum, & vergit in contemptum Dei,& Sacramenti. Idem Quarti *Quæſt. Proœm. ſect. 2. punct. 5. ℣. Colligitur ſecundò.* Sporer cit. Tamburin. &c. Dictum eſt autem, *per ſe & directa intentione*, id eſt, ex poſitiva, unam tantùm ſpeciem conſecrandi intentione; quia per accidens evenire poteſt, ut cæptô bona fide Sacrificiô, & conſecratâ Hoſtiâ, e.g. in ſubita incurſione hoſtium hæreticorum, vel ſimili caſu,non poſſit Sacerdos ulteriùs proſequi absque mortis periculo: tunc enim conſumptâ Hoſtiâ, poterit fugere; quia hoc non eſt intrinſecè malum, & cooperari mutilationi Sacrificij, ſed permittere ex juſta cauſa, ut Sacrificium remaneat imperfectum. Suarez, Vaſq. Lugo, Bonac. apud Quarti *ibid.* Sed de hoc infra *num. 21.* ubi *de Abruptione.*

3. Ex dictis facilè colligitur, quid de reliquis SS. Sacrificij Ritibus ſentiendum ſit, ſunt etenim omnes accidentales, & ſola ſumptio propriè integralis. Quòd ſumptio ſit Ritus non eſſentialis, tenent omnes neceſſariò, qui Sacrificium in ſola Conſecratione conſiſtere, docent & tenent; hæc enim à Celebrante non fit in Perſona

Chriſti, ſicuti Cònſecratio, ùt inquit Reiſſenſt. cit. *n.* 36. Quòd autem ſit Ritus, ſeu pars integralis, id eſt, pars ſpectans ad integritatem ſubſtantialem Sacrificij, convenit inter omnes ferè Doctores. At quid de Oblatione panis & vini ante Conſecrationem? ℟. eam ſpectare neque ad eſſentiam, neque ad integritatem ſubſtantialem Sacrificij; quamvìs inter partes accidentales ſit magni ponderis & momenti. Ratio eſt; quia ea ſola Oblatio pertinere poteſt ad eſſentiam Sacrificij, quæ verſatur circa propriam victimam ejusdem; hæc autem eſt ipſe Chriſtus ſub ſpeciebus (conformiter Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *c.* 2.) non verò panis & vinum, quæ ſolùm offeruntur in præparationem Sacrificij, ſive, ùt ait Reiffenſt. cit. *q.* 2. *n.* 21. Subſtantia panis & vini eatenus in tremendo Sacrificio offertur, quatenus ipſa eſt materia Conſecrationis Evchariſtiæ &c. Quòd autem Oblatio præfata non ſit pars ad ſubſtantialẽ integritatem ſpectans, ex eo liquet; quia, ſi Sacerdos ſive ex malitia, ſive ex inadvertentia, vel oblivione panem & vinum non obtulit, & tamen conſecravit, nullibi jubetur, ut poſt Conſecrationem factam suppleat Oblationem omiſſam. Secus eſt de Sumptione; nam verba Rubr. Miſ-

ſal.

Digitized by Google

ſal. tit. *De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentib.* §. 3. ita ſonant: *Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſincopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa: ſi poſt Conſecrationem Corporis tantùm, ante Conſecrationem Sanguinis, vel utroque conſecrato id accidat, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſijt, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum.* Cæterùm reliqui SS. Sacrificij Ritus ſunt, ùt jam ſuprà innui, accidentales, conſiſtentes in actionibus, precibus, aliiſque circumſtantijs ab Eccleſia adjunctis, quæ dicuntur Sacramentalia, & Cæremoniæ Sacræ, de quibus videri poteſt Bellarm. Suarez. Henriq. Coninch, & alij apud Quarti *Quæſt. Proœm. ſect.* 1. *punct.* 2. citt. Hìs breviter adductìs, oritur Prænotionis principalis

4. Quæſtio: Quænam generatim ſint Rubricæ Miſſalis *Præceptivæ*, quænam Directivæ? ℟. In hoc puncto duplicem exiſtere ſententiam. *Prima* tenet, omnes Rubricas Miſſalis præſcribentes Ritus ſervandos à Sacerdote in ipſo actu celebrationis Miſſæ, eſſe præceptivas, & ſub peccato gravi, vel levi, ſcilicet juxta qualitatem materiæ, obligatorias: Rubricas autem continentes ea, quæ recitari, vel fieri debent à Sacerdote ante Miſſæ celebrationem,

Digitized by Google

vel immediatè poſt Miſſam, eſſe directivam ſecundùm ſe, & ſub conſilio, niſi aliunde conſtet de præcepto ſub peccato obligatorio. Ità Quarti cit. *ſect.* 2. *punct.* 2. Ratio ipſius eſt; quia præceptum S. Pij V. loquitur expreſsè de Ritibus ſervandis in ipſo actu legendi, vel decantandi Miſſam abſque ulla exceptione: ergo extenditur ad omnia verba, & actiones, ex quibus Miſſa componitur à principio, id eſt, à Confeſſione uſque ad finem, quæ eſt communis ſententia DD. Unde

Colligit *primò*; teneri Sacerdotes ſub peccato mortali ex genere ſuo nihil omittere eorum, quæ recitanda præſcribuntur in Miſſa, ità ut cujuslibet partis omiſſio ſit peccatum vel mortale, ſi materia gravis ſit, & notabilis; vel veniale, ſi materia levis ſit & modica. Et à fortiori nihil addi poteſt precibus, quæ in Miſſali præſcribuntur; quia id expreſsè cavetur præceptô S. Pij V. in Bulla: *Quo primùm tempore.* præfixa Miſſali Romano, ubi inter alia ſic habet: *Mandantes, ac diſtrictè omnibus & ſingulis &c. in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, ut Miſſam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Miſſale hoc à Nobis nunc traditur, decantent ac legant: neque in Miſſæ celebratione alias Cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Miſſali*

con-

continentur, addere, vel recitare præſumant. Colligit *ſecundò*: idem omnino dicendum eſſe de Ritibus ac Cæremonijs, quæ in actione conſiſtunt, nempe teneri Sacerdotes ſub peccato mortali ex genere ſuo nihil eorum omittere, & nihil eis addere, ob eandem rationem, ùt docent DD. ubi tamen monet, hanc obligationem (de Ritibus & Cæremonijs) non eſſe accipiendam in rigore metaphyſico, ſed morali & humano modo, ita ut ſatìs ſit, eam diligentiam adhibere, quam com̃uniter timorati Sacerdotes, ſui muneris ſtudioſi adhibere ſolent. Ità Quarti; cujus ſententia ſi vera eſt, væ Sacerdotibus incurijs, qui de Ritibus in Miſſali præſcriptis parùm ſolliciti, in Miſſa, maximè ex culpabili conſuetudine, ſæpe ſæpiùs ſolùm, vel ùt plurimùm agunt, quod & qualiter lubet, non autem, quod & qualiter agere deberent, contenti, dummodo eſſentialia obſervent.

Quidquid autem ſit de rigida Quarti ſententia, ℞. ex la Croix, qui *lib. 6. part. 2. de Sacrif. n.* 230. ait, non eſſe obligationem ſub peccato ad ſervanda ſingula, quæ in Rubricis habentur, cùm certum ſit, multa tantùm eſſe directiva: & quamvìs ſub peccato ſit obligatio ad aliqua, ut tamen ſit ſub mortali, debet materia eſſe magni

momenti, & ſpectare ad ſubſtantiam, vel reverentiam notabilem Sacrificio debitam. Unde & hic locum habere debet, quod Tamburinus apud Matthæ. Stoz *lib.* 1. *part.* 3. *q.* 3. *art.* 1. *ſ.* 1. *n.* 110. ſapienter protulit, ſub culpa lethali, inquiens neminem obligandum eſſe, niſi manifeſtè conſtet de præcepto obligante; etenim, ùt monuit S. Thom. *Quodlib.* 9. *q.* 7. *a.* 15. apud Stoz ibid. periculosè determinatur, aliquid eſſe peccatum mortale, niſi expreſſa veritas habeatur. Porro, ùt addit la Croix cit. ex vi præcepti Pij V. tantùm eſt obligatio gravis ad generaliter utendum eo ritu, & non inducendum alium. Audiatur ergo

5. Sententia *altera:* Non omnes Rubricæ Miſſalis ſunt præceptivæ; ſed aliquæ ſunt præceptivæ ſub peccato obligantes, aliæ ſolùm ſunt directivæ, nec ſub veniali, per ſe, obligantes. Ità Gavant. *p.* 3. *tit.* 11. Henric. Piſart. *Præambul.* 3. *n.* 4. *& ſeq.* Tambur. *de Sacrif. lib.* 2. *c.* 5. *ſ.* 1. la Croix cit. &c. Ratio patet, tum ex dictis *num. præc.* tum, quia magìs mens, quàm verba S. Pij V. ſpectanda cenſetur, nec credibile videtur, illum, vel etiam S. Eccleſiam, utpote piam Matrem, Sacerdotes tam gravi onere voluiſſe ligare, & ad omnes, etiam minutiſſimas Miſſalis Rubricas ſub peccato obſer-

ſervandas univerſim obligare, cujuſmodi ſunt certæ quædam genuflexiones, inclinationes capitis, manuum extenſiones, ut notat Illſung ex Tamburino apud Aquilin. Aman. *n.* 735. Nota tamen ly *nec ſub veniali*, *per ſe*; quia neglectus Rubricarum directivarum aliunde peccaminoſus evadere poteſt, e. g. ſi fiat ex contemptu, cum aliorum ſcandalo, animô inducendi novum Ritum in Eccleſia &c.

Dictum eſt autem, *cum aliorum ſcandalo*; ubi (quia per decurſum hujus Libelli *de ſcandalo* frequentiùs mentio recurret) notandum eſt, ſermonem non eſſe de ſcandalo impropriè dicto, e. g. ſi ſæcularis dicat: *Ego in hoc, vel illo ſcandalizatus fui*; cùm tamen reverà ſcandalizatus non ſit, ſed fuerit duntaxat juſta indignatio, diſplicentia, admiratio, juſta querela &c. eſt ergo ſermo de ſcandalo propriè dicto, quod (uti cum S. Thom. 2. 2. *q.*43. *a.* 1. & communiſſima DD. Reiffenſt. *tr.*4. *d.* 7. *q.* 2. *n.* 16. & Spor. *Theol. Moral. c.* 1. *ſect.* 1. *n.* 2. *&c.* rectè docent) eſt *dictum vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*; id eſt: eſt malum, aut ſpeciem mali habens, præbens alteri occaſionem peccandi. Adverte autem, quòd hæc occaſio debeat eſſe vera, vel ex intentione operantis, vel ſaltem ex

na-

naturâ, vel circumſtantijs ipſius operis orta, & apta ad inducendum alios in peccatum: & non ſolùm imaginaria, longè petita, non ſolùm ex aliorum malitia acceptata. Item, ſi dictum vel factum ne quidem ſpeciem alicujus mali præſeferat, omnino non dicitur illud ſcandaloſum, loquendô de ſcandalo activo. Porro, neceſſe non eſt ad peccatum ſcandali, ut ruina ſeu peccatum proximi re ipſa ſequatur, ſed ſufficit, quòd ſuâpte naturâ ex tali dicto vel facto minùs recto, cum his circumſtantijs conſideratô ſequi poſſit, & ità ſequi prævideatur, ùt notat S. Thom. cit. *a.* 2. apud Spor. cit. Unde ulteriùs nec opus eſt ad peccatum ſcandali, ut ruina proximi directè ſit volita & intenta, ſed ſufficit, ut ſit præviſa ex dicto, vel facto tuo minùs recto ſecutura, & ſic eo ipſo indirectè volita & intenta. Et in hoc ſenſu *ſcandalum* intelligendum eſt. Plura *de ſcandalo,* vid. apud citt.

6. Quæres, Quænam in ſpecie ſint Rubricæ directivæ, quænam præceptivæ? ℞. 1. Rubricæ directivæ ſunt præſertim illæ, quæ continent ea, quæ recitari, vel fieri debent à Sacerdote ante Miſſæ celebrationem, vel immediatè poſt Miſſam, quæque, niſi aliunde conſtet de præcepto, non imponunt obligationem ſub peccato.

Ità

Ità Quarti cit. *punct.* 2. ℣. *Dico ſecundò.* citans Suarez, Caſtro Pal. Bonac. Henriq. &c. Ratio eſt : quia præceptum S. Pij V. in Bulla, *Quo primùm tempore.* loquitur de ipſo actu Celebrationis, nempe, ut decantetur, vel legatur Miſſa juxta Ritus Miſſalis præſcriptos, ſive, ut Bullæ verbîs utamur, *Miſſam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Miſſale hoc à Nobis nunc traditur, decantent ac legant.* Ergo ſe non extendit ad illos ritus, quibûs præſcribitur, quid ſit agendum, vel dicendum ante, & poſt Celebrationem, qui idcirco ſub Rubrica directiva veniunt. Ex his

7. Colliges *primò* : In præfato præcepto S. Pij V. non comprehenditur recitatiò Matutini ante Miſſæ celebrationem ſub obligatione. Ità Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 7. *ſ.* 2. Sotus, Suar. Gobat, Quarti, qui *part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 1. ſic ait : *Sententia modò communis & probabilior abſolutè liberat Sacerdotes de obligatione* (Matutinum Miſſæ præmittendi) *etiam ſub veniali per ſe loquendô, atque docet, prioritatem illam inter Matutinum & Miſſam eſſe opportunitatem quandam congruentiæ, & majoris decentiæ, adeóque eſſe materiam conſilij, non præcepti.* Ratio patet ex dictis *num. præc.* Dictum eſt autem, *per ſe loquendô;* quia aliunde poteſt hìc continge-

re

re culpa venialis ob nimiam dilationem Matutini contra præceptum recitandi Preces, ſive Horas Canonicas ſtatutîs temporibûs, id eſt, ne Matutinum & Horæ minores differantur ad tempus pomeridianum ſinè cauſa; ſed in hoc caſu peccatum aliud non committitur, niſi culpabilis dilationis, ſive dein celebretur ante, ſive poſt recitationem Matutini. Vid. etiam Stoz cit. *art.* 3. *n.* 412. Colliges *ſecundò* : Præparatio ad Miſſam, id eſt, Antiph. *Ne reminiſcaris &c.* cum 5. Pſalmis, *Quàm dilecta tabernacula &c.* item ſequentes orationes, *Summe Deus, &c.* per hebdomadem diſtributæ, non cadunt ſub præcepto; quia pro his expreſsè additum eſt ly *Pro opportunitate Sacerdotis* , & conſequenter relinquuntur arbitrio Sacerdotis. Ità communiter DD. Unde inquit Gav. *p.* 2. *tit.* 1. *lit. C.* Cùm habeatur in Titulo & Rubrica : *Pro temporis opportunitate* : inde patet, nullum eſſe peccatum, ſi celebraturus eas omittat : & communiùs omittuntur ij Pſalmi à Sacerdotibus. Idem de gratiarum actione poſt Miſſam, id eſt, de Antiph. *Trium puerorum &c.* Cantic. *Benedicite omnia opera &c.* intellige. Sufficit ergo, ſi Celebrans ante Miſſam alio modo ſe bene præparet, & poſt Miſſam debitas Deo gratias agat.

Digitized by Google

Colliges *tertiò* : Lotio manuum ante Miſſæ celebrationem (idem dic de ea poſt celebrationem) vi juris Eccleſiaſtici non eſt de præcepto, ſi celebraturus aliàs manus mundas habeat. Tambur. cit. §. 7. Suarez, Quarti cit. *dub.* 5. qui tamen addit, peccaturum Sacerdotem, ſi celebrans habeat manus immundas & ſordidas, communiter autem omiſſionem lotionis in hoc caſu non excedere culpam venialem. Colliges *quartò* : Etiam orationes, quæ Sacerdoti ſacris veſtibus pro Miſſæ celebratione ſe induenti præſcribuntur, non ſunt de Rubrica præceptiva. Tambur. cit. *§.* 1. *n.* 2. Quarti cit. *ſect.* 4. *dub.* 8. cum alijs à ſe citt. Caveant tamen Sacerdotes, ne, dum ſacrîs veſtibûs ſe induunt, locò orationum inutiles garritus, cachinnos, jocos &c. maximè cum aſtantium ſcandalo inſtituant. Porro, orationes eædem, dum Sacerdotes pro Veſperis, aliiſque functionibus ſacrîs veſtibûs ſe induunt, non dicuntur. Idem, Caſtald. &c.

Colliges *quintò* : Rubricæ diſponentes de illis requiſitis ad Miſſam, quæ neque jure communi præcipiuntur aut conſuetudine, nec ad ea extenditur præceptum S. Pij V. ſunt propriè & ſimpliciter directivæ.

Col-

Colliges ſextò: Regulæ Miſſalis de Ritibus ſervandis non ab ipſo Sacerdote, ſed à Miniſtris, & ab alijs circumſtantibus, Choróque aſſiſtentibus communiter ſunt directivæ; quia præceptum S. Pij V. ad illas minimè extenditur: unde ad culpam non obligant, niſi aliunde talis obligatio naſcatur, e. g. vi juris naturalis, ad vitandum ſcandalum &c. Et hæ ſunt principaliores Rubricæ directivæ; de alijs videri poterit ſupra *num.* 5.

8. ℟. 2. Rubricæ præceptivæ ſunt illæ, quæ Sacerdoti in ipſo actu Celebrationis Miſſæ ſub peccato ſervandæ præſcribuntur. Ità Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 1. Quarti *Proœm. ſect.* 2. *punct.* 2. cum plurib. ab hoc citt. Quoniam verò hujusmodi Rubricæ ſub culpa, ex genere ſuo mortali obligantes multæ ſunt, eas ad legentium utilem commoditatem in duas Particulas dividemus, agendô in *prima* de ijs, quæ per *Omiſſionem*, in *ſecunda* verò, quæ per *Commiſſionem* contingere poſſunt. Priùs tamen, quia procul dubio transgreſſio Rubricæ ex parvitate materiæ &c. fieri poteſt venialis,

9. Supponendum eſt *primò*, materiam gravem & levem non eſſe hic metiendam eiſdem regulîs, quibûs penſatur in præ-

cepto

ſcepto audiendi Miſſam, vel recitandi Horas Canonicas ; nam audientes Miſſam ex eo, quòd omittant aliquam ejus partem, non mutilant Miſſam, quæ componitur ex verbis & actionibus Celebrantis, non verò audientium. Inſuper Miſſa eſt compoſitum multò ſacratius & ſublimius Officiô Divinô, ideòque faciliùs devenitur ad materiam gravem, quàm in Officio Divino. Ità Averſa *de Sacrif. q.* 11. *ſect.* 12. *ſ. Quare.* apud, & cum Quarti cit. *punct.* 3. *ỳ. Colligitur 2dò.* atque apud DD. citandos videre eſt.

Supponendum eſt *ſecundò*, certiſſimum eſſe, Rubricam habere vim præcepti ſub mortali obligantem, quando in ea habetur expreſſa hæc vox *graviter*, vel *graviſſimè peccat.* Hujuſmodi autem vox in Rubr. Miſſal. *part.* 3. *de Defectibus Miſſæ*, ſepties habetur, videlicet ; I. Si panis non ſit azimus, ſecundùm morem Eccleſiæ latinæ, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat. *Tit.* 3. *ſ.* 3. II. Si vinum cœperit aceſcere vel corrumpi, vel fuerit aliquantùm acre, aut muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter pec-

cat. *Tit.* 4. §. 2. III. Si Sacerdos in forma Conſecrationis aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed graviſſimè peccaret. *Tit.* 5. §. 1. IV. Si quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs canonicè impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, ſed graviſſimè peccat. *Tit.* 8. §. 1. V. Si quis habens copiam Confeſſoris celebret in peccato mortali, graviter peccat. ibid. §. 2. VI. Si quis in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris, in peccato mortali abſque contritione celebret, graviter peccat. ibid. §. 3. VII. Si quis extra quoſdam caſus neceſſitatis integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſimè peccat. *Tit.* 10. §. 4.

Supponendum *tertiò*, quòd, quando materia Rubricæ pertinet ad integritatem Sacramenti, ſeu Sacrificii, ea ità gravis cenſenda ſit, ut omiſſio ſit peccatum mortale. Ejusmodi ſunt, quæ de pane, vino, aqua, intentione, forma, ſumptione utriusque ſpeciei ſunt præſcripta; quæ omnia ſub mortali juxta Rubricas ſunt obſervanda. Gav. *p.* 3. *tit.* 11. *n.* 2. Item, illæ Rubricæ ſunt præceptivæ, in quibus concordant Doctores, eas eſſe de re gravi, & ſub mortali obſervandas eſſe, videlicet; de

de loco non prohibito celebrandi, de ara conſecrata, de lumine, de hora celebrandi, de diſpoſitione animæ & corporis, de jejunio, ſcilicet à peccato mortali, atque à cibo & potu, de Miſſali, de Calice, Patena, Corporali, Palla, de numero, munditia, integritate, & benedictione veſtium Sacerdotalium. Gav. ibid. *num.* 3. Sed de his infra in *Tractatu* exactiùs. Porro, ſunt etiam Rubricæ dubiæ, & ſunt illæ, de quibus DD. diſputant, utrùm ſint præceptivæ, an directivæ tantùm; de quibus etiam in ſeqq. erit ſermo.

Supponendum eſt *quartò*, partes Miſſæ alias eſſe ordinarias, ſeu conſuetas, & ad uſitatam Miſſæ integritatem neceſſarias; alias non ordinarias, ſed extraordinarias, ſive tales, quæ non pertinent ad neceſſariam Miſſæ integritatem. Priores, quæ conſequenter ſemper dicuntur, ſunt Confeſſio, Oratio, Epiſtola, Evangelium, Præfatio, Canon, Pater noſter, Agnus Dei &c. Poſteriores, quæ non ſemper dicuntur, ſunt Gloria, Orationes ſecundariæ, pluralitas Epiſtolarum, Sequentiæ, Credo, diverſitas Præfationum, vel quorundam intrà Canonem. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 416. Hîs ſuppoſitîs, ſequitur

Digitized by Google

PARTICULA I.
De Rubricis contra Omiſſionem pugnantibus.

UT hæ Rubricæ omnibus Sacerdotibus ad facilem, & commodum uſum præſtò ſint, eas ſecundùm Ordinem Miſſæ ſubjungimus.

10. *Primò:* Sacerdos omittens in principio Miſſæ Pſalm. *Judica me Deus &c.* non peccat mortaliter. La Croix *l. 6. p. 2. n.* 417. Quarti *Quæſt. Proœm. ſect.* 3. *punct.* 1. Totum tamen initium Miſſæ (quod dicendum eſt à Sacerdote cum Miniſtro ante gradus Altaris) videlicet Pſalm. *Judica me Deus &c. Confiteor &c.* non videtur omitti poſſe abſque notabili deformitate, & conſequenter abſque peccato mortali. Quarti ibid. *punct.* 2. Tu autem probabiliter tene, eſſe tantùm veniale, maximè, quia Pſalm. *Judica &c.* non eſt pars ordinaria in omnibus Miſſis, utì patet. Rurſum, ùt inquit Aquilin. Aman. cit. *n.* 737. (juxta *Edit.* 2. quod & in ſeqq. notandum) foret peccatum mortale, ſi quis omitteret Introitum Miſſæ immediatè ante *Kyrie eleiſon* dicendum. Tu autem dic, hoc ultimum tan-

tùm eſſe veniale ob parvitatem materiæ; ſi enim omiſſio ultimi Evangelij, quod æquè eſt pars ordinaria ac Introitus, ex levitate materiæ veniale tantùm eſt (ùt *num. ſeq.* videbimus) cur omiſſio Introitûs ſit mortale?

11. *Secundò*: Omittere *Gloria in excelſis*, vel *Credo*, vel *Sequentiam* poſt Epiſtolam, eſt (ſepoſito contemptu, & ſcandalo, quod & in ſeqq. reſpectivè ſubintellige) peccatum veniale, etiamſi voluntariè omittatur. DD. citt. apud Quarti cit. *punct.* 1. Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. *ſ.* 2. *n.* 5. dicens, etiam omiſſionem Evangelii ultimi (ſive ſit S. Joannis, ſive aliud) non eſſe mortale, ſed tantùm veniale ex levitate materiæ. La Croix cit. *n.* 424. Ratio eſt: quia non ſunt partes ingredientes compoſitionem Miſſæ, ſed adduntur quandoque ad majorem ſolemnitatem, vel ornatum. Imò, ſi in Miſſa ſunt plures Epiſtolæ, non foret peccatum mortale, ſi Celebrans unam, putà ordinariam tantùm recitaret omiſsîs aliîs, & ſeclusô ſcandalô; quia ſunt partes extraordinariæ. Ità cum aliis Quintanadv. *Theol. Moral. tr.* 7. *Singul.* 39. apud Quarti cit. Idem dicendum, ſi, quando plures Orationes aſſignantur dicendæ in Miſſa, Celebrans unam, id eſt, ordinariam tantùm dicat omiſsîs

aliis; quia aliæ non pertinent ad neceſſariam Miſſæ integritatem. DD. apud Quarti citt. Utrùm autem plura ſimul, vel omnia (hoc *num.* notata) in eadem Miſſa omittere, ſit peccatum veniale tantùm, DD. non explicant, ſed loqui videntur de prædictis partibus ſingillatim ſumptis, non collectivè, ait Quarti cit. ℣. *Colligitur quartò.* qui nihilominus addit *ibid.* inquiens: Dicendum videtur, neque omiſſionem (partium collectivè) fore peccatum mortale; eò quòd adhuc Miſſa remaneat ſimpliciter integra cum ſuis partibus conſuetis. Hæc ille, cui ſententiæ non contradicit la Croix, qui *l.* 6. *p.* 2. *n.* 420. ità ſcribit: Quarti & Paſq. *q.* 200. putant, tantùm eſſe veniale, ſi multæ partes non ordinariæ omittantur, quamvis facerent magnam quantitatem, v. g. in Quatuor Temporibus, ſi omittantur omnia *Flectamus genua*, cum omnibus ſecundariis Orationibus, Secretis & Poſtcommunionibus, item cum ſecundariis Epiſtolis. Quòd ſi eſſet cauſa rationabilis omittendi, v. g. nimia fatigatio vel debilitas, nullum foret peccatum. Paſq. *q.* 201. Ità la Croix cit.

At quid, ſi omittatur Oratio principalis? ℟. dat Quarti *p.* 1. *tit.* 9. *dub.* 1. ſi Oratio principalis ſemel tantùm omittatur,

Digitized by Google

tur, id eſt, ſi vel ipſa ſola Oratio, vel ſola Secreta, vel ſola Poſtcommunio ejuſdem omittatur, peccatum eſt veniale ob parvitatem materiæ; ſi verò ſtudiô, vel ex induſtria in triplici, mox dictô locô omittatur, videtur mortale peccatum; quia privatur Miſſa unâ ex partibus præſtantioribus, in qua colliguntur Preces totius populi.

12. *Tertiò*: Cùm inter partes ordinarias, principales & neceſſarias ad Miſſæ integritatem numerentur Epiſtola, Evangelium, Oblatio Hoſtiæ cum forma verborum, *Suſcipe ſancte Pater &c.* Oblatio Calicis cum forma, *Offerimus tibi &c.* & Præfatio (Suar. Filliuc. Averſa, alii) hinc colligitur, omiſſionem totalem cujuslibet ex prædictis partibus, e. g. totius Epiſtolæ, vel omiſſionem Oblationis Hoſtiæ, vel Calicis &c. eſſe peccatum mortale. Quarti *Quæſt. Proœm. ſect.* 3. *punct.* 2. Econtra verò omiſſio alicujus ex reliquis partibus (extra Canonem) quæ non ſunt notabiles, ſolùm eſt peccatum veniale, e. g. ſi quis omittat *Kyrie eleiſon*, vel Graduale, vel Tractum, aut ſimilem partem. La Croix cit. *n.* 417. Quarti cit. Item, eſſet peccatum mortale, omittere infuſionem aquæ modicæ in Calicem. Tambur. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.*6. Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.*3. *ſect.* 2.

n. 161. ex communi & certa Theologorum ſententia. Omiſſio tamen Crucis ſuper aquam ad Orat. *Deus, qui humanæ &c.* aut omiſſio ablutionis digitorum ad *Lavabo*, veniale tantùm eſt. La Croix cit.

13. *Quartò* : Si Celebrans extra Canonem ſtudiò, & deliberatè omittat plures ex partibus ordinariis modicis, & non præcipuis: vel plures ℣. ℣. partium præcipuarum ſeu notabilium in una, & eadem Miſſa, ità ut omnes ſimul ſumptæ conflent materiam notabilem, peccat mortaliter ex communi DD. ſententia. La Croix cit. *n.* 419. Ratio : quia ex omnibus omiſſionibus ſimul ſumptis reſultat gravis mutilatio Miſſæ, & conſequenter gravis deformitas contra præceptum integrè recitandi Miſſam. Quarti cit. Quænam autem quantitas cenſenda ſit notabilis, idem *ibid.* declarat hîs verbîs : Dicendum videtur, ſi tot verba aut verſiculi omittantur, qui adæquant quantitatem integræ Epiſtolæ aut Evangelii, omiſſionem cenſeri notabilem, & materiam peccati mortalis, ùt colligitur ex DD. quod intelligi debet de Epiſtola mediocris quantitatis, non nimis prolixæ, nec nimis brevis. Ità ille. Ex qua doctrina practicè deducendum, tunc hujusmodi partium omiſſiones eſſe mate-

riam

Digitized by Google

riam peccati mortalis, quando adæquant Epiſtolam. *Fratres, De Virginibus præceptum Domini non habeo &c.* quæ habetur in Miſſa, *Vultum tuum.* de Communi Virginum. Nec dicas, hanc doctrinam contrariam eſſe priori *num.* 11. ℞. detur enim negativè; quia ibi ſermo erat de partibus extraordinariis, quæ non pertinent ad neceſſariam Miſſæ integritatem; hìc autem agitur de partibus conſuetis, & neceſſariis ad uſitatam Miſſæ integritatem.

14. *Quintò*: De Canone Miſſæ paulò aliter diſcurrendum eſt. Incipit autem Canon Miſſæ juxta DD. ferè communiter à verbis *Te igitur, clementiſſime Pater &c.* & probabiliùs terminatur illîs verbîs, *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, —— omnis honor & gloria.* Quod & probatur ex Divo Gregorio, qui (ùt refertur) *Epiſt.* 63. ait, Orationem Dominicam recitari poſt Canonem. H. N. Dicendum eſt generaliter, contenta in Canone cadere ſub ſtrictiori obligatione, & faciliùs deveniri ad materiam gravem, atque peccatum mortale in omiſſione verborum Canonis, quàm in aliis partibus Miſſæ. Ità DD. communiter. Ex quo patet, in omiſſione verborum Canonis dari culpam venialem ratione parvitatis materiæ; quidquid nonnemo contradicat,

docens, ſingula verba Canonis cenſeri materiam gravem, conſequenter vel unius verbi omiſſionem voluntariam eſſe peccatum mortale: quæ tamen ſententia tanquam nimis rigida & indiſcreta, & revera carens fundamentô communiter reijcitur.

Quamvis autem inter omnes DD. conveniat, eſſe peccatum mortale, omittere integram Orationem ex illis, quæ continentur in Canone, e. g. totum *Communicantes &c.* vel, *Hanc igitur oblationem &c.* & ſic de aliis, attamen non convenit in hoc, quænam ſit materia gravis, & cujus omiſſio ſit mortalis. Una ſententia determinat quidem, omittere integram Orationem, e. g. *Communicantes &c.* vel *Hanc igitur &c.* eſſe peccatum mortale; attamen non explicat, an omittere medietatem, vel quartam partem, aut ſimilem ſit peccatum mortale, ſed communiter prudentis arbitrio decidendum relinquit. Alia ſententia tenet, certum eſſe, omiſſionem fore peccatum mortale, ſi tot verba omittantur, ut deſtruatur, vel minuatur notabiliter ſignificatio, vel repræſentatio myſterii cujuslibet ex Orationibus dicendis; quia perinde eſt, ac omittere eandem Orationem. Alia dicit, ſi non deſtruatur ſenſus, duo ſolùm verba omiſſa (ſubintelli-

ge,

ge, culpabiliter & voluntariè) eſſe materiam levem, & conſequenter omiſſionem trium verborum eſſe grave peccatum. Alia aſſerit, octo vel decem nomina Sanctorum eſſe materiam levem, plura autem ſupra decem eſſe materiam gravem, & peccati mortalis. Alia mediâ viâ incedit, & dicit, quatuor vel quinque verba eſſe materiam levem, ſeu venialem; quòd ſi plura omittantur, committitur peccatum mortale, ſi fiat cum ſufficienti deliberatione. Denique la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 418. ſic habet: Omittere in Canone quamlibet Orationem (putà e. g. *Communicantes &c.* vel *Hanc igitur &c.*) aut etiam aliqua tantùm verba omittere, variare, vel corrumpere, ità ut mutetur ſenſus, eſt mortale; ſi autem non immutetur ſenſus, non erit mortale, quamvis plura verba omittantur, v. g. plura nomina Sanctorum. Fill. Diana, Averſa *q.* 11. *ſ.* 12. Hæc ille. Ex quibus patet, quàm delicata ſit materia Canonis, quámque ſtudioſè Sacerdotibus ſit attendendum, ne omiſſione culpabili graviter peccent. Unum hic notandum eſt, ſcilicet venialiter tantùm peccare illum, qui omittit ſpecialem Præfationem, vel in Canone ſpeciale *Communicantes &c.* vel *Hanc igitur &c.* quæ certîs tantùm diebûs leguntur;

tur;

tur; dummodo legat ordinaria, ſeu communia, id eſt, dummodo legat Præfationem, *Communicantes &c.* & *Hanc igitur &c.* integrè, ùt alias per annum, nihilque in iis omittat, niſi pauca extraordinariè inſerta. La Croix cit. *n.* 420. Suarez, Filliuc. Sporer, Tambur. &c.

15. *Sextò:* Cùm forma Conſecrationis Hoſtiæ conſiſtat in verbis, *Hoc eſt enim Corpus meum*, atque hæc omnia & ſola ſint eſſentialia (exceptâ particulâ *Enim*) hinc ſingulorum horum verborum omiſſio eſt graviſſimum ſacrilegium; quia & deſtruitur ſenſus ejusdem formæ, & non conficitur Sacramentum. Quarti *Q. Proœm. ſect.* 3. *punct.* 4. eſtque certiſſima ſententia. Forma Calicis eſt quidem hæc. *Hic eſt enim calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Attamen de eſſentia & neceſſitate formæ conſecrationis Calicis ſunt ſola illa verba: *Hic eſt calix Sanguinis mei.* vel, quod idem eſt: *Hic eſt ſanguis meus.* ità, ut omiſſio cujuslibet horum verborum grave ſacrilegium eſſet, ob eandem rationem de forma conſecrationis Hoſtiæ datam. Quamvis autem reliqua verba, *Novi & æterni teſtamenti &c.* non ſint de eſſentia & neceſſitate formæ conſecrationis Calicis, ùt contra D.

Tho-

D. Thom. & Thomiſtas alij omnes comũniſſimè tenent apud Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 3. ſect. 3. n. 183. & ſeq.* ſunt tamen omnino de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, adeò ut graviſſimè peccaret Sacerdos, qui ea omitteret, & non conſecraret per integram formam in Canone præſcriptam. Sporer *ibid. n.* 186. imò Quarti cit. inquit, ex communi ſententia omiſſionem ſingulorum ex prædictis verbis (*Novi, & æterni teſtamenti &c.*) eſſe peccatum mortale (ſubintellige, ſi ex contemptu, vel prava negligentia omitteretur, ſecus, ſi ex inadvertentia) quia DD. communiter aſſerunt, ſingula verba eſſe ſaltem de neceſſitate rigoroſi præcepti; quia ſingula ſunt neceſſaria ad ſignificationem expreſſam myſteriorum valde ſublimium, quæ in ſingulis continentur. Idem ex communi DD. docet Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 5. *n.* 39. dicens : ſi unum verborum (quæ pro conſecratione Hoſtiæ & Calicis in Canone Miſſæ præſcripta, atque in Eccleſia latina ſemper obſervanda ſunt) Miniſter celebrans ex contemptu, vel (exceptâ particulâ, *Enim*) ex prava negligentia omittat, peccat mortaliter. Quia delinquit in materia gravi, atque concernente principale Myſterium fidei. Dictum eſt autem, *exceptâ*

par-

particulâ, *Enim*, de qua Sporer cit. *n.* 190. ſic habet: Particula, *Enim* (in utraque forma) nullo modo eſt de eſſentia formæ, vel neceſſitate Sacramenti, cùm nihil omnino conferat ad ſignificandum effectum formæ: eſt tamen aliqualiter de neceſſitate præcepti, attamen ob parvitatem materiæ, ſecluſo contemptu, non niſi ſub veniali obligantis, juxta communem DD. Idem habet Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. *ſſ.* 2. *n.* 3. Suarez &c.

16. *Septimò*: De oratione Dominica, ſeu *Pater noſter &c.* & aliis uſque ad Communionem ſatis rigorosè ſentit Quarti *Q. Proœm. ſect.* 3. *punct.* 5. dicens: Quamvis juxta probabiliorem ſententiam non ſint partes Canonis, nihilominus quoad dignitatem æquiparari videntur partibus Canonis; & ideò ſimilem ferè obligationem habent, ùt colligitur ex communi ſenſu DD. Videamus ex ipſo ſingula. *Primò*: Eſt peccatum mortale, omittere ipſam Orationem Dominicam. Conſentit Paſq. *q.* 202. apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 419. ubi hic quidem hanc ſententiam vocat ſatis rigidam, ſed non contradicit. *2dò*: Eſt grave peccatum, omittere Orat. *Libera nos, quæſumus &c.* dicendam poſt Orationem Dominicam. *3tiò*: Mortale eſt, ſi quis omit-

omittat fractionem Hoſtiæ (Aquilin. Aman *num.* 737.) aut illius, id eſt, Particulæ conſecratæ cum Calice commixtionem, Suarez, Gobat apud la Croix cit. ſive, ùt inquit Quarti, eſſet grave peccatum omittere verba, quæ dicuntur in fractione Hoſtiæ, & mixtione cum Sanguine, quæ verba cum ipſa mixtione componunt Cæremoniam gravem & ſublimem.

4tò: Eſt mortale, ſi omittatur *Agnus Dei &c.* Paſq. *q.* 201. apud la Croix cit. ſive, ùt habet Quarti, trina repetitio, *Agnus Dei &c.* videtur ritus gravis, & notabilis: quamvìs non facilè damnarem peccati mortalis, niſi omittentem ſimpliciter, ità ut nec ſemel proferre vellet eum verſum; quòd ſi unâ vice prolata eo verſu, iterum non repeteret, crederem ſolùm venialiter peccaturum. La Croix iterum hanc ſententiam ſatìs rigidam dicit, ſed iterum non contradicit. *5tò*: Quoad Orationes ante Communionem certum videtur, omnes ſimul cenſeri materiam gravem; unde, qui nullam diceret, peccaret mortaliter. Quòd ſi quis omitteret primam tantùm (extra Miſſam Defunctorum) probabile eſt, ſolùm venialiter peccaturum. *6tò*: Ante ſumptionem etiam SS. Sacramenti debet ter repeti, *Domine, non ſum dignus &c.* de

qua

qua Oratione idem dicendum videtur, ac diximus de ℣. *Agnus Dei &c.* nempe ſi ſemel dicatur, vitari peccatum mortale. Tandem Oratio, *Quid retribuam Domino &c.* videtur materia gravis, ità ut voluntaria ejus omiſſio non excuſetur à peccato mortali. Quarti cit. Attamen, quia vera eſt ſententia Tambur. *ſupra num.* 4. relata, ſcilicet, ſub culpa lethali neminem eſſe obligandum, niſi manifeſtè conſtet de præcepto obligante; atque, ùt monuit S. Thomas, periculosè determinatur, aliquid eſſe mortale, niſi expreſſa veritas habeatur, idcirco, habitâ etiam præ oculis Regulâ *num.* 13. adductâ, de aliquibus paulò mitiùs ſentiendum videtur. Unde eſto, quòd ſecundùm Quarti ea, quæ dicuntur in Miſſa ab Oratione Dominica uſque ad Communionem, quoad dignitatem æquiparari videantur partibus Canonis, & ideo ſimilem ferè obligationem habeant, ùt colligitur ex communi ſenſu DD. ſed ℟. cum diſtinctione, videlicet æquiparari quidem quoad ea, quæ SS. Sacramentum concernunt, non autem quoad Orationes dicendas.

Gratis ergo conceditur, peccatum eſſe mortale, ſi Sacerdos S. Hoſtiam non frangat, vel Particulam S. Hoſtiæ in Calicem

tem non mittat, idque ex ſimili gravis Myſterii ratione, ſicut omiſſio modicæ aquæ cum vino miſcendæ mortale eſt, ut *num.* 12. dictum; item graviſſimè peccaret, ſi quis extra quoſdam caſus neceſſitatis integra Sacramenta non ſumeret, Rubr. *p.* 3. *tit.* 10. §. 4. ſecus tamen eſt de Orationibus extra Canonem dicendis. Et quia Quarti admittit, primam tantùm Orationem (quæ eſt pars ordinaria in omnibus Miſſis, exceptîs Defunctorum) ante Communionem omittere, eſſe probabiliter veniale, utique ob parvitatem materiæ, idem nos de ſimilibus aliis, & ejusdem quantitatis aſſerimus. Unde (ſeclusô ſcandalô & contemptu) non videtur eſſe mortale, omittere trinum *Agnus Dei &c.* vel trinum *Domine non ſum dignus &c.* vel Orat. *Quid retribuam Domino &c.* atque hoc ob parvitatem materiæ, & quia non continent, aut denotant grave quoddam Myſterium, ſicut fractio Hoſtiæ &c. Quòd autem omiſſio Orationis Dominicæ, ſeu *Pater noſter*, mortale ſit, ratio eſſe poteſt: quia æquiparatur Præfationi, & recitanda eſt ob ſpecialem reverentiam ac memoriam Chriſti Domini eam *Matth.* 6. ℣. 9. inſtituentis & docentis, ex quo etiam *Oratio Dominica* appellatur.

17. Quid autem de Purificatione Pate-

næ & Calicis poſt Communionem ſentiendum? ℞. Hanc Purificationem omittere, mortale eſt. Paſq. *q.* 208. apud la Croix cit. ſive, ùt inquit Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 1. *dub.* 8. certum eſt, Purificationem Calicis abſolutè cadere ſub præcepto gravi, conſequenter ejus omiſſionem fore peccatum mortale. DD. communiter. Ratio eſt: quia talis omiſſio cederet in gravem injuriam Sacramenti; moraliter enim loquendô fieri non poteſt, quin remaneat in Calice aliqua ſtilla S. Sanguinis, ſeu ſpecierum conſecratarum, quæ, niſi cum Purificatione abſumatur, remaneret intrà Calicem cum periculo, ne poſtea irreverenter tractetur. Idem, reſpectivè ſaltem, de Purificatione ſeu exterſione Patenæ, id eſt, de collectione fragmentorum, & eorundem in Calicem immiſſione ante ſumptionem Calicis intellige, cùm ſimilis ſit ratio. Nec dicas, de collectione fragmentorum non eſſe multùm ſcrupulizandum; quia Angeli præſentes erunt ſolliciti, ne pereant. ℞. Si Angeli ſunt ſolliciti, faciunt hoc per accidens: tu autem Sacerdos teneris primariò, per ſe, ex officio, & ùt ordinarius Miniſter præcavere, & diligentiam moralem circa fragmentorum collectionem, ne pereant, aut injuriam patiantur, adhibere

Por-

Porro, utrùm modus purificandi Calicem priùs vinô tantùm, deinde vinô & aquâ, cadat ſub præcepto, ecce tibi doctrinam ex la Croix cit. *n.* 423. ubi dicit: Non uti vinô, ſed ſolâ aquâ in purificatione, eſt tantùm veniale, imò nullum peccatum, ſi Celebrans ſit abſtemius, qui vinum horreat: ad ſecundam autem ablutionem uti ſolâ aquâ, nequidem veniale eſſe putant Tambur. Quarti, Gobat: in hac verò ſecunda non uti aquâ, ſed ſolo vino, putat Lohner eſſe veniale, quia ſic præſcribit Rubrica: Gobat *Theol. Exper. tr.* 3. *n.* 853. negat ob praxin multorum, & quia Rubrica non videtur eſſe præceptiva circa aquam; quamvis enim præcipiatur purificatio, & ablutio, tamen non præcipitur illius modus. Porro idem *num.* 852. ex Tambur. ſic ait: Si tam parum vini adeſſet, ut non ſufficeret, niſi Conſecrationi, poſſet præviſo hoc defectu inchoari Sacrum, ac pro purificatione accipi ſola aqua.

18. De reliquis Miſſæ partibus poſt ſumptionem dicendis (cùm nullo modo pertineant ad Canonem) philoſophandum, ſeu diſcurrendum eſt, quoad earum omiſſionem, eodem modo, ac de partibus Miſſæ ante Canonem; videlicet, omiſſionem tot partium, aut verborum, quæ per-

tingunt ad quantitatem mediocris Epiſtolæ, eſſe peccatum mortale. De Evangelio ultimo dictum eſt ſupra *num.* 11. Porro quoad ritus, qui in actione conſiſtunt, & ſunt ſigna Crucis, genuflexiones, inclinationes, manuum & oculorum elevationes, Altaris deoſculationes &c. dicendum eſt, omiſſionem paucorum ex his fore peccatum veniale ob parvitatem materiæ; ſi verò plures omitterentur, ità ut omnes ritus omiſſi pertingerent ad quantitatem notabilem arbitriô prudentis, ipſa omiſſio eſſet peccatum mortale. La Croix cit. *n.* 422. cum DD.

19. Qualenam autem peccatum eſt omiſſio in Miſſa ſolemni, e. g. ſi Celebrans omittat incenſationem Altaris, aut ſubmiſſa voce non legat Gloria, Credo, Epiſtolam, Evangelium, quæ cantantur à Choro, & Miniſtris ſacris? Ante ℟. ſupponendum eſt, partes Miſſæ, quæ Miſſis privatis & ſolemnibus communes ſunt, eodem modo obligare, ità ut, ſi id, quod omittitur, eſt materia notabilis & gravis ſecundùm ſe, omiſſio ſit culpa mortalis in utraque Miſſa; ſi autem omiſſum eſt leve, etiam omiſſio ſit culpa venialis in utraque Miſſa. Quarti *Q. Proœm. ſect.* 3. *punct.* 7. qui tamen putat, in Miſſa ſolemni augeri

cul-

culpam intrà genus ſuum ratione majoris deformitatis & publicitatis. H. N. ℟. 1. Videri probabile, ſecluſô ſcandalô, omiſſionem thurificationis cum Orationibus illi annexis, aliámve ſimilem Cæremoniam non excedere culpam venialem. Ità Quarti cit. Ratio eſt: Quia hic ritus non eſt pars neceſſaria Miſſæ, nec ſpectat ſimpliciter ad ejus integritatem, ſed additur ad majorem ornatum accidentalem; ergo non videtur eſſe materia gravis præcepti, uti ſupra de *Gloria in excelſis*, aliiſque partibus extraordinariis dictum eſt.

20. ℟. 2. Quoad alterum punctum Quæſtionis, ſcilicet de ſubmiſsè à Celebrante recitando *Gloria, Credo &c.* duplex eſt ſententia. *Prima* eximit ſimpliciter Celebrantem à tali obligatione, & ſuſtinet, id eſſe meri conſilii, atque Rubricas in hoc eſſé directivas. Ità Navar. Villalob. & alii apud Dian. *p.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 96. à Quarti *punct.* 7. citatum. Imò Sanchez apud Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. *§.* 2. *n.* 6. probabiliter docet, Sacerdotem celebrantem cum Diacono & Subdiacono meliùs facturum, ſi, dum hi cantant Epiſtolam & Evangelium, ipſe attentè audiat, nec ſecretè recitet. Sed hoc reiicit Quarti cit. tanquam apertè falſum; quia eſto, Rubrica eſſet

directiva, certum tamen eſt, melius eſſe & perfectius, ſequi directionem Eccleſiæ, & Regulas ab ea propoſitas, quàm ab illis recedere.

Secunda ſententia probabilior docet, teneri quidem Celebrantem ea legere ſubmiſſa voce, non tamen ex gravi obligatione, ſed ſolùm ſub veniali; eò quòd Rubrica id præſcribens ſit præceptiva, licèt non graviter obligatoria. Ità Lugo, Fernand. Sa & alii. De *Gloria*, & *Credo*, ratio patet ex dictis *num.* 11. De Epiſtola autem & Evangelio ratio eſt; quia aliud eſt, hæc omnino omittere, aliud eſt, hæc à Miniſtro Sacro in Actu celebrationis ſaltem attentè audire: cùm igitur Rubr. Miſſal. *p.* 2. *tit.* 6. *n.* 4. *&* *ſeq.* præſcribat quidem, ut celebrans ea legat, attamen non videtur ſub culpa mortali obligaro Celebrantem, quia eadem à Miniſtris Sacris ſaltem cantantur, non autem penitus omittuntur. Ex his colligitur: Si Celebrans in Miſſa ſolemni non legat Epiſtolam, aut Evangelium, ſed ſolùm audiat à Miniſtris Sacris: item, ſi non legat ſubmiſſa voce, *Gloria*, vel *Credo*, ſed audiat à Choro, vel nullum peccatum committit juxta primam ſententiam: vel, quod probabilius eſt, committit tantùm peccatum veniale.

At-

Digitized by Google

Atque idem dicendum de Propheтiis Sabbati ſancti, de Paſſione Domini, & ſimilibus ob ſimilem rationem. Quarti ibid. Tambur. cit. dicens : Quod dixi (de Epiſtola & Evangelio ſubmiſſa voce à Celebrante obligatoriè non legendis) extendo lubens ad *Gloria*, *Credo*, & Prophetias Sabbati ſancti, aut Paſſionem Domini, & ſimilia, quæ in majori Hebdomada, & in Miſſa ſolemni ab aliis à Celebrante cantari ſolent; par enim ratio de his, ac de illis eſſe videtur.

De Abruptione, ſeu Interruptione Miſſæ.

21. HAbet hæc materia relationem quandam ad eam de omiſſione, unde quæritur, quid de Miſſæ Abruptione, vel Interruptione ſentiendum, quidque liceat, vel non liceat? Ante ℞. Certum eſt *primò*, nunquam poſſe ſinè gravi peccato interrumpi Miſſam quoad partes eſſentiales, e. g. non poteſt conſecratâ Hoſtiâ itâ interrumpi, ut omittatur conſecratio Calicis; nec conſecratis Hoſtia & Calice poteſt omitti ſumptio; hæc enim,

Digitized by Google

licèt non ſit de eſſentia Sacrificii, certè tamen eſt de perfectione integrali. Tambur. *de Sacrif. l. 2. c. 7. §. 1. n. 1.* Vid. ſupra *Num.* 3. Certum eſt *ſecundò*, etiam quoad partes accidentales, & Ritum jam approbatum recitandi Miſſam, non poſſe licitè Miſſam interrumpi ſinè gravi cauſa; patet tum ex ſenſu communi fidelium, rei gravitate, & reverentia tanto Sacrificio debita; tum ex *c. Nihil.* 7. *q.* 1. ibi: *Nullus abſque patentis proventu moleſtiæ Miniſter, vel Sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præſumat omnino relinquere: ſi quis hæc temerariè præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* quæ tamen eſt excommunicatio ferendæ ſententiæ. Tambur. cit. *n.* 6. *Tertiò*, ùt inquit P. Aquilin. Aman. *n.* 741. Sacerdos abſque gravi, ſeu legitima cauſa Miſſam notabiliter abrumpens vel interrumpens, v. g. per mediam horam, peccat mortaliter, maximè ſi depoſitis veſtibus ſacris, ſe interim ad profana converteret; tum, quòd S. Pius V. in Rubr. jubeat, ut Miſſa continuetur uſque ad finem; tum ex *c. Nihil.* mox cit.

Eſt igitur hìc ſolummodo videre, an, & quænam ſint, vel cenſeri poſſint cauſæ graves, vel ſaltem verè ſufficientes ad Miſſam interrumpendam. Priùs tamen no-

tandum eſt, majorem requiri cauſam abrumpendi, vel interrumpendi Miſſam poſt, quàm ante Canonem & Conſecrationem; quia per ſe loquendô, non eſt tantum inconveniens Sacrum non facere, quàm illud jam factum relinquere incompletum & imperfectum, Aman cit. *n.* 741. ſive, ùt loquitur Tambur. cit. *§.* 2. *n.* 2. ſemper præcisô ſcandalô, periculóque contemptûs, habendum præ oculis, quòd quò partes ſunt remotiores, vel viciniores Conſecrationi, vel Communioni, eò periculum, vel malum inſtans debeat eſſe vel majus, vel minus ad dandam, vel non dandam legitimam cauſam interruptioni. H. N.

22. ℟. *Prima*, Miſſam interrumpendi, cauſa eſt, quam tradit Layman, *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 1. ſcilicet: ſi in aliquo caſu, v. g. hoſtes hæretici ingruant ad occidendum Sacrificantem in Altari, poteſt is Hoſtiam jam conſecratam ſtatim ſumere, vel ſecum auferre, ſi ad conſecrandum Calicem ſinè evidente mortis periculo pergere non poſſit; quia tunc directè, & ex propoſito non mutilat Sacrificium, ſed permittit ejus imperfectionem, ſeu omittit illud perficere: cùm præceptum affirmativum perficiendi in tali caſu neceſſitatis non obliget, ſicut bene inter alios notavit Chapeaville &c.

Ità ille; quod etiam docet Tambur. cit. *§. 1. n.* 3. *&* 5. addens, id etiam fieri poſſe, ſi hoſtes hæretici ingruant ad injuriam SS. Sacramento inferendam, aut ſi ex terræ motu, vel incendio, vel ruina ſacræ Ædis, vel ſimili, Sacrificanti ſimile periculum mortis inſtaret.

23. *Secunda* cauſa, eſt ſuperveniens proximi neceſſitas ſpiritualis. De hac cauſa Laym. cit. *n.* 2. ſic docet: In hac re conſiderare debet Sacerdos partim magnitudinem periculi, ſeu quàm neceſſarium morituro ſit Sacramentum, partim verò, quouſque in Sacrificio progreſſus ſit; partim denique, quamdiu eum abeſſe, & num Sacrîs etiam veſtibûs exui neceſſe ſit. Ex his accipe ſequentia. *Primò*: Si morituro Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum, & alius præſtò non ſit, niſi ſolus is, qui actu celebrat, *poteſt Sacerdos* (inquit Zambran. *c.* 4. *dub.* 6. *n.* 5.) *Miſſam inchoatam, etiam poſt conſecrationem relinquere, ſervante interim aliquo S. Euchariſtiam: in quo caſu dictus Sacerdos ſecum deferat aliquam Hoſtiam conſecratam, & Extremam Unctionem ad infirmum: & audita ejus Confeſſione, & datà Euchariſtià, & Extrema Unctione (remiſsîs tamen Pſalmîs Pœnitentialibûs ad Eccleſiam poſt Miſſam) revertatur ad perficiendum Sacrum.* Laym. cit.

Tam-

Tambur. cit. §. 7. *n.* 1. Oportet tamen, ùt aliqui volunt, pœnitentem, ſi illius confeſſio nimis diu duratura prævideatur, unô, vel alterô peccatô auditô abſolvere, & Miſſâ reaſſumptâ ac peractâ, audire reſiduum, & ab eo rurſum abſolvere. P. Aquilin. Aman *n.* 740. Quamvìs autem Zambran. cit. dicat, *remiſsis Pſalmis Pœnitentialibus ad Eccleſiam poſt Miſſam*, notandum tamen eſt, quod Baruffaldus *Comment. in Rituale Rom. tit.* 29. *n.* 8. *& ſeq.* advertit, dicens: In caſu & occaſione Extremæ Unctionis debent recitari à circumſtantibus Pſalmi Pœnitentiales, non autem de præcepto; quia iſti Pſalmi non ſunt neceſſarii, nec partes Sacramenti; neque Eccleſia intellexit obligare aliquem indiſpenſabiliter ad hanc recitationem. Bonac. *q. unic. punct.* 6. *n.* 7. Ità ille.

2*dò*: Si infirmo S. Euchariſtia per modum Viatici miniſtranda ſit, ei, qui paulò ante confeſſus fuerat, tunc (etiamſi alius Sacerdos non adſit) facta oblatione, vel certè Canone incepto, non licet (Layman dicit, *non decet*) exuere veſtes Sacras, Sacrificium derelinquere, & ire ad porrigendum Viaticum. Si verò oblatio in Miſſa facta non fuerit, non eſt improbabile, licere. Tambur. *ibid. n.* 2. Dictum eſt

au-

autem *licere*; nam, ùt inquit Tambur. non cognoſco obligationem; cùm poſſit *Sacerdos* juxta alteram opinionem putare, non eſſe hanc tantam neceſſitatem, ut interrumpere Miſſam valeat.

3tiò: Si homo in templo ſub Miſſa exiſtens, & ſubitô morbô correptus Sacrô Viaticô indigeat, moxque moriturus timeatur, debet Celebrans veſtibûs ſacrîs indutus (alio Sacerdote non extante) etiam poſt Conſecrationem ab Altari diſcedere, illique (audita pro poſſibili ejus Confeſſione, & data Abſolutione, niſi paulò ante factum ſit) Sacramentum miniſtrare, ac ſtatim ad Altare reverti. Laym. cit. Tambur. cit. *n.* 4. Imò, ſi in hoc caſu Sacerdos nullam haberet aliam Hoſtiam, niſi à ſe mox conſecratam, poſſet hujusmodi infirmo porrigere particulam ſuæ Hoſtiæ. Si enim (aliâ Hoſtiâ in promptu non extante) Sacerdos laico communicaturo, ne expectare cogatur, licitè poteſt dare partem ſuæ Hoſtiæ, ùt tenent Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. *Difficult.* 4. D. Antonin. Sylv. Paludan. Diana &c. contra alios negativam tenentes, quantò magìs in hoc caſu, ne infirmus abſque Viatico decedat, fieri poterit.

4tò: Quòd ſi moribundo, Viaticô

Digitized by Google

jam proviſo, ſola Extrema Unctio eſſet adminiſtranda, quamvìs aliqui aſſerant, poſſe relinqui Sacrum, ſi nondum facta eſt Oblatio, & ſcandalum abſit; attamen Tambur. cit. *n.* 5. putat, non poſſe, quod & verum videtur. Ratio eſt; quia longè alia eſt ratio de ſumenda Euchariſtia per modum Viatici, quàm de accipienda Extrema Unctione; prius enim eſt de præcepto Divino, Reiffenſt. *tr.* 10. *diſt.* 3. *q.* 3. *n.* 26. &, ùt dicit Hieronym. Baruffald. cit. *tit.* 26. *§.* 1. Viaticum dicitur eſſe neceſſarium non neceſſitate medii, ſed tantùm neceſſitate præcepti ad ſalutem. Gloſſ. *in c. Quod in te.* 11. ℣. *Concedimus. de Pœnit. & remiſſ.* Extrema autem Unctio (ſecluſô ſcandalô, & contemptu) non eſt neceſſaria ad ſalutem, neque neceſſitate medii, neque præcepti. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 2. *q.* 5. *n.* 68. cum Theologis communiter.

24. Dices *primò.* Infirmus petens Extremam Unctionem eſt talis, cui denegari non poteſt; ergo poteſt fieri interruptio Miſſæ. ℟. det Tambur. cit. infirmam hanc eſſe rationem; ſic enim (pergit) jam non concedis interruptionem ob ſpiritualem neceſſitatem, quæ par eſt in omnibus, ſed propter reſpectum humanum, cujus certè ratio in his Sacris Miniſteriis habenda ne-

quaquam

quaquam eſt. Quod idem aliàs quoque notandum eſt, ne propter reſpectum humanum (e. g. non poteſt huic vel illi perſonæ dignitate &c. gravi hoc vel illud, hìc & nunc denegari) fingatur ratio ſinè ratione ſufficiente, & ſancta tractentur non ſanctè.

25. Dices *ſecundò.* Si infirmus exiſtat in ſtatu diſgratiæ, poterit Extrema Unctio per accidens in ipſo cauſare gratiam primam, & conſequenter eum conſtituere in ſtatum gratiæ; ergo. ℞. In ſimili caſu poſſe eſſe cauſam, interrumpendi Miſſam, illam, quæ ſupra *num.* 23. allata eſt, non autem propter ſolam Extremam Unctionem recipiendam; quamvis enim communis Theologorum & pia ſit ſententia, Sacramenta Vivorum per accidens quandoque poſſe cauſare primam gratiam, ſeu Sanctificantem, ùt habet Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 2. *q.* 2. *n.* 23. ea tamen omnino certa non eſt; licèt gratìs concedatur, Sacramenta Vivorum poſſe cauſare gratiam primam diſpoſitivè quidem, non autem effectivè. Unde rectiſſimè faciunt Sacerdotes illi, qui ad infirmum, nec ſignum doloris aut Confeſſionis &c. dare valentem vocati, eum omni poſſibili modo ad Contritionem, & aliqualem ſaltem Con-

ſeſ-

feſſionem excitare, & diſponere ſatagunt. conditionatè ſaltem abſolvunt, &, ſi bene viſum fuerit, Extrema Unctione inungunt. Porro, etiam oportere Sacrificantem ab Altari recedere ad infantem morti vicinum in Eccleſia baptizandum, dicunt Henriq. Zambran. apud Laym. cit. qui etiam addit, dicens: ſemper operam dare debet Sacerdos, ut (Miſſâ legitimè interruptâ) quàm citiſſimè poteſt, ſe expediat, & ad perficiendum Sacrificium redeat, poſtea, ſi opus videatur, iterum infirmum viſurus. Sed

26. Occaſione dictorum quæritur, unde Sacerdoti incipiendum ſit, cùm in prædictis caſibus ad Sacrificium perficiendum revertitur? ℟. det Tambur. cit. *n.* 6. & ait: Si revertitur in caſu factæ Conſecrationis, rite incipiet inde, ubi deſierat (ſubintellige, ſive una, ſive utraque ſpecies conſecrata jam ſit. quod ob paritatem rationis conforme eſt Rubricæ *p.* 3. *tit.* 10. §. 3.) at in caſu Conſecrationis non factæ, eſt diſtinguendum; nam ſi magna mora intercesſit, putà plùs quàm una hora, poterit Sacerdos rediens Miſſam à principio ordiri: ſi verò parva mora intercesſit, putà non plùs quàm una circiter hora, poterit incipere inde, ubi deſierat. Ratio eſt; quia

Digitized by Google

quia in parva mora moraliter reputatur continuari eadem Miſſa: at in longa, cùm cenſeatur moraliter pars jam dicta deſiiſſe, non reputatur continuari eadem Miſſa; quare cùm nulla aliunde inconvenientia appareat, ab initio erit incipienda; imò in hoc caſu, ſi Sacerdos nullam obligationem habeat Miſſam eo die celebrandi, poterit illam omnino relinquere; quia, ſi illa pars deſiit, non eſt obligatio addendi compartem. Ità Tambur. Audiatur & Layman, qui ſic dicit: Si Sacerdos diu non abfuit, videlicet non ampliùs horam, tunc reverſus pergere debebit, à quo loco reliquerat, v. g. dictô Evangeliô, ſicuti ſi Concio intervenisſet. Sin verò longa mora interpoſita fuit, quia v. g. ad locum diſtantem evocatus erat Sacerdos, tunc ab initio repetere Miſſam debet. Ità ille; quod utique (de Miſſa ab initio repetenda) intelligendum eſt in caſu, quando Conſecratio nondum facta eſt; ſecus enim dicit Tambur. *ſupra* abſolutè, ſi Sacerdos in caſu factæ Conſecrationis revertitur, ritè incipit inde, ubi deſierat: aliàs enim, ab initio iterum repetens, bis conſecraret eodem die, quod procul dubio licitum non eſt.

27. *Tertia*, Miſſam licitè interrumpendi, cauſa, eſt Concio, vel Catecheſis ſub

ea

ea ad populum habenda. Nota tamen: ſi Celebrans ipſe Concionem, vel Catecheſin, ſive e cathedra, ſive ante Altare ſub Miſſa habiturus ſit, id faciat non omnibûs veſtibûs ſacrîs exutus, ſed dimiſsîs quidem Caſulâ ac Manipulô, Albâ autem & Stolâ retentîs; ſive, ùt habet P. Aquilin. *Aman. n.* 739. Sacerdos in Sacris veſtibus (depoſitâ tamen Caſulâ & Manipulô) perſiſtere debet, ut cenſeatur ſemper eſſe in uno, eodémque miniſterio. Item, notat la Croix *lib. 6. p. 2. n.* 247. cum Gobat, *Theol. Exper. tr.* 3. *n.* 810. Si tempore Miſſæ fiat Concio ab alio, non debet Celebrans veſtes Sacerdotales exuere, multò minùs exire è templo; quia quantùm fieri poteſt, debet moraliter permanere in Celebratione, hæc autem moralis continuatio nimiùm læditur per illam ſpoliationem veſtium cum egreſſu è templo. Attamen in hoc quoque caſu Caſulam & Manipulum deponere poteſt. Quæres autem, utrùm Celebranti ſub Concione, vel Catecheſi ab alio habenda, pœnitentium confeſſiones audire liceat? ℟. affirmativè, & patet ex praxi; ſi enim ipſe Celebrans ſub alterius Concione ex devotione liberè poſſit, & in ſtatu diſgratiæ conſtitutus, habitâ Confeſſarii copiâ, neceſſariò confiteri teneatur, cur

D non

Digitized by Google

non poſſit aliorum confeſſiones audire? Adde: ſi poſſit audire Verbum Dei prædicantem, cur non poſſit audire pœnitentem peccata ſua rite confitentem?

28. *Quarta*, Miſſam licitè interrumpendi, cauſa, eſt Communio Sacra populo miniſtranda. Quamvis autem more ſtatuto, Communio populi fieri non debeat, niſi poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei, ſeu poſt communionem Celebrantis; in caſu tamen gravis ſeu notabilis neceſſitatis, vel rationabilis cauſæ (alio Sacerdote non extante) aliter fieri poterit, e. g. ſi plures abſque Communione accepta, maximè pro lucrandis indulgentiis plenariis neceſſaria, abire deberent. Vide Aman. *n.* 740. Quando autem Communio populi ſub Miſſa fieri poterit, aliqui (inquit la Croix cit. *num.* 250.) putârunt, Communionem poſſe dari populo ſtatim poſt Introitum, abſolutâ confeſſione, & oſculato Altari, ſed rectè contradicit Henao *n.* 1620. niſi adſit notabilis neceſſitas: quia talis interruptio eſt de ſe illicita & contra uſum. Hæc quidem la Croix, ſed nihil contra nos; quia idem, & ex eadem cauſa licitum, vel illicitum ſentimus. At verò, ſi la Croix & Henao intendant inferre, ſolummodo poſt Introitum eſſe ob notabilem neceſſi-

tatem

tatem licitum, populo Communionem miniſtrare, non autem alio tempore ſub Miſſa, &c. negativè; eadem enim ratio pugnat pro aliis partibus Miſſæ uſque ad Oblationem Hoſtiæ excluſivè. Dicendum eſt igitur pro praxi, quòd urgente gravi ſeu notabili neceſſitate, vel cauſa verè rationabili poſſit populo S. Communio miniſtrari, non ſolùm poſt Introitum præſatum, ſed etiam conſequenter poſt *Gloria in excelſis*, vel poſt *Credo*, non autem poſt Oblationem, minùs poſt Conſecrationem factam; imò & commodiùs hujusmodi populi Communio ob cauſam gravem &c. fieri poteſt, dum *Gloria &c.* vel *Credo* cantatur in Choro, & a Celebrante ſubmiſſa voce recitatum jam eſt. Hæc autem (ùt jam innui) intellige, ſi ipſemet Celebrans Communionem miniſtrare debeat; quòd ſi enim hoc fiat ab alio Sacerdote, tam gravis cauſa non requiritur. Meliùs autem & recte fiet, ſi ante Miſſam Ciborium ad aliud Altare (ſi habeatur) deferatur, & ibidem populo S. Communio miniſtretur. Porro dictum eſt, *non poſt Oblationem &c.* ſi enim, ùt ſupra *num.* 23. ℣. *2dò.* dictum, facta Oblatione, vel certè Canone incepto, non licet, vel ſaltem non decet, ut Sacrificans ſacras veſtes exuat, Sacrificium

Digitized by Google

interrumpat, & ad dandum infirmo, jam confeſſo, Viaticum eat, multò minùs talis interruptio fieri poterit in Eccleſia ipſa ad communicandum populum ſanitate pollentem, & tantillo tempore expectare omnino potentem. Alià longiſſimè eſt ratio de homine in Eccleſia ſub Miſſa ſubitò morbô correpto, & per modum Viatici ibidem providendo, ùt *num.* 23. viſum eſt, & praxis habetur.

29. De *Quinta* cauſa Layman cit. ſic inquit : Si Epiſcopus, Dux, vel Proceſſio populi advenit, quos integram Miſſam audire deceat, fas erit hoc caſu, ſi alius Sacerdos non ſit, Miſſam à capite inchoare, ſi Oblatio facta nondum fuerat, uti docet Nav. Sà, Henriq. Azor. &c. idque in praxi obſervatum eſſe teſtantur Nav. & Henriq. Hæc Layman. Sed hæc conceſſio Tamburino *de Sacrif. l.* 2. *c.* 7. *§.* 8. *n.* 2. non placet. Ratio eſt : quia ejuſmodi adventus non affert tantam neceſſitatem, quæ ſuperare poſſit irreverentiam interruptionis Miſſæ, quandoquidem illi, cùm non ſuppetat alia Miſſa, ad integram audiendam non obligentur. Maximè ergo laudandum eſt Decretum Mediolanenſe, in quo abſolutè cavetur, ne quis Miſſam inchoatam repetat, per quod praxis à Navar. al-

lata,

lata, ſolido fundamento non nixa corrigitur. Ità Tambur. Secus eſt de illis, quæ *num.* 26. vidimus. Et certè, ſi ſecundùm multos DD. ùt Layman, Suarez, Gobat, Rodriq. Azor. apud Reiffenſt. *tr.* 10. *diſt.* 1. *q.* 4. *n.* 37. non peccet mortaliter, ſed ſaltem quoad ſubſtantiam ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, qui, licèt culpabiliter, venit primùm poſt Evangelium primum, modò permaneat uſque ad finem Evangelii ultimi incluſivè: quomodo non ſatisfaciant præfati, in quibus (utì ſupponitur) culpa nulla eſt? Sanum ergo, & optimum in hujusmodi caſu erit, ſi Celebrans, lectô jam primô Evangeliô, de adventu prædictorum certior factus tantiſper expectet, & iiſdem actu præſentibûs, Miſſam, ubi deſiit, proſequatur. Cæterùm attendendum valde eſt, ne ſtatim praxis legitima, vel conſuetudo communis dicatur, vel proclametur, quod vel ab hoc, vel ab iſto, vel ab illo fieri cernitur; aliud quippe eſt praxis, vel conſuetudo legitima, aliud corruptela: aliud eſt, ſi videns cæco, vel oculis debili viæ ducatum præbet: aliud, ſi cæcus cæco &c.

Alia, ad materiam Miſſæ interrumpendæ ſpectantia infra ſuîs locîs patebunt.

Digitized by Google

PARTICULA II.

De Rubricis contra Commiſſionem pugnantibus.

30. IN Sacrificio Miſſæ ultra ea, quæ Rubricis præſcribuntur, addere aliquid notabile, utique omnium conſenſu mortale eſt ex genere ſuo, multò magis, quàm omittere; tum, quia ex genere ſuo gravior eſt culpa commiſſionis, quàm omiſſionis: tum, quia hic eſt majus periculum ſuperſtitionis; cùm facilius, imò & graviùs fiat addendô, quàm omittendô: tum, quia expreſsiùs id cavetur à Tridentino, & S. Pio V. in Bulla Miſſali præfixa, ibi: *In virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientes, ut —— neque in Miſſæ celebratione alias Cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant.* Attamen etiam hic materiæ parvitas excuſans à mortali locum habet. Committitur autem contra Rubricam potiſſimùm dupliciter, ſcilicet *addendô*, & *mutandô*. Dividamus hæc duo, & primò agamus

De Additione.

31. De *Additione* cape ſequentia: *Primò*: Quamvis in rigore videatur peccatum

tum veniale, addere in Confeſſione generali, ſeu in *Confiteor* Sanctum Civitatis, vel Diœceſis Patronum, vel Fundatorem propriæ Religionis; quia tamen conſuetudo oppoſitum introduxit bona fide, & Superiorum voluntate, modò cenſetur licitum. Quarti *Q. Proœm. ſect.* 4. *punct.* 2. Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 9. *Secundò:* Si Sacerdos Miſſæ aliquid addat, animô inducendi novum Ritum contra Rubricas Miſſalis, eſt peccatum mortale ex genere ſuo (niſi parvitas materiæ à tanto excuſet) ſive fiat additio Precum, ſive Rituum, qui in actione conſiſtunt. Si verò aliquid addat, & ſecretò dicat, vel faciat, non animô inducendi novum Ritum, ſed ex privata devotione, peccat quidem, ſed ſolùm venialiter. Quarti cit. citans Suarez Bonac. Diana &c. Unde, plures Collectas ſive Orationes, quàm Rubricæ præſcribunt, in Miſſa ſinè verè rationabili cauſa dicere, veniale eſt. Sporer cit. *n.* 428. Gobat *Exp. t.* 3. *n.* 748. apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 429. Tambur. cit. *n.* 2. dicens Sacerdotem, ſi ùt privata perſona, etiam dum ſecretè orat, adderet in Miſſa aliquam Orationem, v. g. *Pater* & *Ave*, Pſalmum David, vel quid ſimile propter ſuam peculiarem devotionem, peccaturum; quia addit aliquid, quod

non eſt in Miſſa, licèt propter levitatem materiæ, non niſi venialiter.

Tertiò : Dicere, *Gloria*, vel *Credo*, cùm omittendum eſſet, veniale tantùm eſt. Suarez, Gobat, *n.* 747. la Croix cit. Excipit Averſa *q.* 11. *ſ.* 12. *§. ſextò.* niſi fieret cum magna deformitate, uti ſi alterutrum diceretur in Miſſa *De Requiem*, apud la Croix *ibid.*

Quartò : Non peccare Celebrantem, qui ſub longo cantu ad *Gloria*, vel *Credo*, modeſtè oraret vocaliter, aut etiam recitaret parvas Horas, quas tenet memoriter, putant Caj. Tan. Gobat apud la Croix cit. *n.* 430. & probabile cenſet Lohner *de Sacrif. part.* 2. *tit.* 10. *R. S. n.* 5. cùm nulla lex id vetet. Sed contra pugnat Tambur. *l.* 2. *c.* 5. §. 3. *n.* 2. apud Lohn. *ibid.* dicens, id ſinè peccato veniali fieri non poſſe. Ratio eſt: quia S. Pius V. in ſua Bulla expreſsè dicit: *Mandantes &c. ut Miſſam juxta ritum, modum, ac normam, quæ per Miſſale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant : neque in Miſſæ celebratione alias Cæremonias, vel Preces, quàm quæ hoc Miſſali continentur, addere, vel recitare præſumant.* Accedit Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *in Decreto de obſervandis, & evitandis in Celebratione Miſſæ.* ibi: *Caveant, ne Sacerdotes ritus alios, aut alias Cæremonias, & preces in Miſſa-*

rum

rum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili uſu receptæ fuerint. Ecce legem vetantem, & omnes in Miſſali Romano non contentas Cæremonias, ac Preces abſolutè, & indiſtinctè prohibentem. Et certè, ſi non licet, e.g. *ſub Memento Defunctorum* pro his addere Pſalm. *De profundis, &c.* vel Orat. *Fidelium &c.* nec plures Collectas &c. dicere propter ſuam peculiarem devotionem, ùt audivimus, cur licitum ſit ſub *Gloria &c.* vocaliter orare, vel recitare Horas Canonicas, quæ ſunt Preces ſicut aliæ, in Miſſali non continentur ſicut nec aliæ, ad Miſſæ celebrationem non ſpectant ſicut nec aliæ, conſequenter ſub Miſſa prohibitæ ſunt ſicut aliæ? Profectò ſi hoc licitum eſt ſub *Gloria &c.* etiam licitum erit ſub Miſſæ Sacrificio toties, quoties ob cantum longiorem expectandum erit, quod utique contra Bullam S. Pii V. concedi nullatenus poteſt. Declaravit equidem (ùt fertur) S. Congregatio Concil. Trid. permitti poſſe breves & ſecretas Orationes jaculatorias, præſertim, quando nihil dicendum præſcribitur in Miſſali, v. g. ſub elevatione S. Hoſtiæ &c. & dummodo de præſcriptis in Miſſali nihil omittatur, Quarti *Q. Proœm. ſect. 4. punct. 2.* citans Gav. Navar. &c. ſed

nunquid & Orationes quæcunque, vel Horæ Canonicæ ſunt tales? noli putare, ſi non vis errare. Quia tamen præcitati DD. aliud ſentiunt, poterit hæc ſententia in caſu veræ neceſſitatis, & ex benigna legiſlatoris interpretatione ſervire; ſecus à Bulla S. Pii V. non videtur recedendum.

32. Quæres autem, utrùm à Sacerdote actu celebrante ſaltem Oratio mentalis, ſive brevis meditatio, aut pia conſideratio circa ea maximè, quæ tunc in Miſſa geruntur, immiſceri, addi, vel fieri valeat? ℞. affirmativè. La Croix *n.* 431. Quarti *Q. Proœm. ſect.* 4. *punct.* 3. citans S. Bonav. Navar. &c. Ratio eſt: tum, quia Rubrica ipſa *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 4. præſcribit, ut Sacerdos ſumptîs Hoſtiæ fractæ duabûs partibûs, aliquantulùm quieſcat in meditatione SS. Sacramenti; tum, quia Eccleſia nec præcipit, nec prohibet actus merè internos, ſicut nec judicat de occultis; tum, quia Bulla S. Pii V. loquitur ſolùm de externis; nam Preces in Miſſali non contentæ prohibentur quidem, nulla autem fit mentio de pia conſideratione; tum, quia nullo modo Sacerdotes illi contra Rubricas faciunt, qui ſub SS. Miſſæ Sacrificio varios virtutum actus mentaliter eliciunt. Et certè, ſi facile (ùt ait la Croix *n.* 446.) imò efficacif-

Digitized by Google

ciſſimum contra diſtractiones in Miſſa occurrentes remedium eſt, Myſteria SS. Sacrificii, ſive ſingulas Miſſæ actiones veluti repræſentativas alicujus Myſterii Dominicæ Paſſionis attenta & devota mente conſiderare, cur brevis meditatio vitioſa ſit? Dixi *brevis*, ſcilicet talis, quæ aſtantes tædiô afficere non poteſt.

33. *Quintò* : Si Religioſi in Canone poſt Epiſcopum nominant nomen ſui Generalis aut Prælati, veniale eſt. Sporer cit. *n.* 428. ex Tambur. Item, ſi locò Epiſcopi, ejúſque nomine omiſſo, nomen ſui Generalis nominant, teſtatur Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 4. fuiſſe à Papa & Congregatione Cardinalium damnatos peccati mortalis. Sed hoc non credit Tambur. neque Rodriq. negans, de hoc authenticè conſtare, neque credit Sporer cit. aut (inquit) ſi verum eſt, utique intelligendum erit, ſi fieret ad mutandum ritum, aut in contemptum Epiſcopi. Manet ergo, hoc facere, non plùs quàm veniale eſſe. Tambur. *l.* 2. *c.* 5. *ſ.* 3. *n.* 6. *& ſeq.* Similiter non licet addere in Canone nomina Sanctorum, etiam Patroni loci. Idem *ibid. n.* 9.

Sextò : Si Sacerdos in forma Conſecrationis aliquid adderet, quod mutaret ſenſum formæ, committeret grave ſacrile-

gium,

gium, & non conficeret Sacramentum. S. Thom. 3. *p. q.* 70. *art.* 8. Cajetan. Suarez, Laym. & communiter DD. apud & cum Quarti cit. *ſect.* 4. *punct.* 1. Quòd ſi verò adderet aliquid non deſtruens ſignificationem formæ, e. g. *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, conficeret quidem Sacramentum, ſed graviter peccaret. *Ibid.* Ratio eſt: quia in re tam gravi, & ſacroſancta addere vel verbum, vel ritum præter Eccleſiæ præceptum, ingens eſt temeritas, & abuſus intolerabilis. Idem. Vid. etiam infra *tit.* 5. *§.* 1.

34. Aſt, inquies, quid ſentiendum eſt de repetitione verborum formæ Conſecrationis, quæ eſt quædam Additionis ſpecies? Ecce tibi quatuor Reſponſiones. *Prima* eſt: Si ſemel, & validè prolata integra forma iterum & de novo proferatur abſolutè ſuper eandem materiam, cōmittitur grave ſacrilegium. S. Thom. *p.* 3. *q.* 60. *ar.* 5. *&* 6. apud & cum Quarti cit. Ratio eſt: quia hujusmodi formæ jam rite prolatæ repetitio non eſſet conſecratio; ſed, materia conſecrabili deficiente, conſecrationis ſimulatio, & conſequenter grave ſacrilegium. Imò eſſet mortale, in hoc caſu formam conſecrationis etiam ſub conditione repetere; ſi enim, ùt docet Sporer

de

de Pœnit. c. 5. q. 3. §. 2. n. 631. mortale eſt ex genere ſuo, in eadem confeſſione ſuper eadem peccata repetere formam abſolutionis, etiam ſub conditione, niſi adſit rationabile dubium de valore prioris abſolutionis, multò magìs in noſtro caſu tale foret, ſi forma Conſecrationis ſemel rite prolata ſuper eandem materiam ſive abſolutè, ſive conditionatè repeteretur.

Reſp. *Secunda* : Repetens, vel ſæpiùs proferens non integram formam Conſecrationis, ſed unum, vel alterum verbum, e. g. qui diceret : *Hoc, Hoc eſt enim*, vel nullo modo peccaret, vel ad ſummum venialiter. Ità DD. communiter, inquit Quarti cit. Ratio eſt : quia in repetitione unius, vel alterius verbi nullum eſt periculum irritationis Sacramenti, vel falſæ ſignificationis formæ, vel irreverentiæ Sacramento inferendæ, maximè ſi fiat ad majorem cautelam, & ſecuritatem &c. Sed contradicunt la Croix *l. 6. p. 2. n.* 195. & Gobat, qui *n.* 94. ſic ſcribit : *Quiità unum verbum* (Conſecrationis) *bis térve repetunt, per ſe loquendô, peccant graviter, quia inducunt novum ritum circa actionem digniſſimam, mutant formam Sacramentalem, repræſentant nobis Chriſtum ridiculè loquentem: Credo tamen, tales coram Deo non peccare graviter, quia ſcrupuli eos*

adi-

adigunt ad hanc parvam ſtultitiam. Hæc Gobat apud la Croix cit. quæ ſcrupuloſis ſolatio quidem eſſe poſſunt; ſed audiatur la Croix cit. *n.* 190. ubi ſic ait: Sacerdos ſpecialiter tenetur excludere ſcrupulos in Sacrificio, quia ſummè dedecent hunc Miniſtrum non tantùm nomine, ſed etiam in perſona Chriſti operantem; inhonorant hanc diviniſſimam actionem, pariunt apertum ſcandalum populo, cujus etiam devotionem maximè turbant. Hæc ille; quæ etiam omnino notanda ſunt illis, qui in Canone, maximè à verbis, *Qui pridie, quàm pateretur &c.* rectè jam dicta toties repetunt, repetita iterant, de novo incipiunt, ſe ipſos ſine cauſa dirè diſcruciant, & tandem ex Canonis verbis ridiculum atque confuſum chaos parturiunt. Sed de hac materia plura infra Titul. *de Defectibus Intentionis.*

35. Reſp. *Tertia*: Si poſt Conſecrationem Sacerdos valde probabiliter dubitet, an rite formam pronuntiaverit, vel an omiſerit verbum aliquod ſubſtantiale, tenetur eam omnino repetere, non abſolutè, ſed ſub conditione ſaltem mente concepta. Ratio eſt: quia ſic tollitur dubium, & ſuppletur defectus ex una parte: ex alia verò vitatur periculum iterandi Conſecra-

tio-

tionem ſuper materiam conſecratam. Suarez, Averſa, Bonac. & alii paſſim apud Quarti cit. Vid. *infra Tit. V. §. II.*

Reſp. *Quarta :* Peracta ſemel Conſecratione non poteſt licitè in una, eadémque Miſſa fieri nova Conſecratio circa novam materiam, e.g. ſi peracta ſive Hoſtiæ tantùm, ſive etiam Calicis Conſecratione, offerantur de novo minores Hoſtiæ conſecrandæ, etiamſi offerantur ad cōmunicandum moribundum. La Croix *l. 6. p. 2. n.* 243. Quarti cit. ex communi Theologorum ſententia. Ratio eſt: quia unum numerô Sacrificium non poteſt habere niſi unicam formam eſſentialem, & unicam Conſecrationem; alioquin cum duplici forma eſſet monſtruoſum, & contra Chriſti inſtitutionem. Quidnam autem faciendum ſit Sacerdoti, ſi non habeat, nec habere poſſit Hoſtiam minorem conſecratam moribundo pro Viatico miniſtrandam? ℟. eum debere ſervare partem ſuæ Hoſtiæ, illámque moribundo miniſtrare. Idem docet Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 6. §. 3. *n.* 3. Quòd ſi hoc non fecerit, poterit (alio Sacerdote non extante) aliam Miſſam celebrare, præſertim ſi ſit jejunus, & non ſumpſerit Purificationem. Tambur. *n.* 2. qui inſuper *num.* 3. ſubjungit: Duæ ſunt ſententiæ, quarum altera docet, non licere non jejunum ce-

le-

lebrare ad dandum Viaticum. Altera docet, licere; & tunc cognita moribundi neceſſitate etiam poſt ablutionem ſumptam poterit Sacerdos, ſecundùm hanc opinionem, quæ certè probabilis eſt, iterum celebrare. Ità Tambur.

De Mutatione.

36. Jam de *Mutatione* agendô, notandum eſt, Mutationem in Miſſæ celebratione potiſſimùm eſſe duplicem, ſcilicet ſubſtantialem, & accidentalem. Illa contingere poteſt ſolummodo quoad Materiam (de qua hoc loco nihil) & Formam SS. Euchariſtiæ, in quantum nempe de hujus Conſecrationis eſſentia ſunt. Reliquæ mutationes omnes ſunt, vel dicuntur accidentales, cùm nihil faciunt ad ſubſtantiam Sacramenti. H. N. ponitur

37. *Regula I.* Mutatio, quæ variat, vel deſtruit ſenſum verborum in forma Conſecrationis à Chriſto & Eccleſia intentum, eſt mutatio ſubſtantialis, & conſequenter irritat Sacramentum, éſtque graviſſimum ſacrilegium. Eſt certiſſima D. Thomæ *p.* 3. *q.* 60. *art.* 8. & DD. *De Sacram. in genere*, nec indiget probatione; cùm ſenſus & ſignificatio ſint veluti anima verborum, conſequenter ſicut corpus humanum ſine

ani-

anima mortuum eſt, nihilque valet, ſic etiam verba Conſecrationis ſinè ſenſu & ſignificatione à Chriſto intentis nihil valent. Ex hac Regula deduces ſequentia.

Primò: Si Sacerdos in Conſecratione ly *Hoc*, & *Hic* pronuntiaret adverbialiter, ut ſignificent idem, ac *Hoc loco*, non conficeret Sacramentum; quia deeſt Pronomen demonſtrativum, ſubſtantialem Corporis & Sanguinis Chriſti præſentiam realiter & practicè ſignificans. Idem intellige, ſi quis dicet: *Illud eſt Corpus meum. Hic panis eſt Corpus meum. Hoc eſt Corpus Chriſti.* Layman *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 2. *Secundò:* Si quis formam mutaret & diceret, *Ecce Corpus meum*, vel *Ecce Calix Sanguinis mei*, putat Aquilin. Aman. *n.* 523. eam valere: eò quòd ly *Ecce* idem ſit, ac *Hoc eſt*, vel *Hic eſt*, ſi referatur ad Corpus & Sanguinem Chriſti: ùt in ſimili forma Græci conferunt Sacramentum Confirmationis dicendô: *Ecce ſignaculum Spiritûs Sancti.* Sed Quarti aliique ab eo citt. tenent, quòd aut dubia eſſet hæc forma, vel ſecundùm veriorem invalida eſſet Conſecratio. Ratio eſt; quia ly *Ecce* adverbium eſt, rem improviſam, ſubitámque demonſtrans, Calepin. Secus eſt de *Hoc*, & *Hic*, ùt de ſe patet. *Tertiò:* Si quis in forma Conſecrationis mutaret

E ver-

verbum ſubſtantivum *eſt*, & diceret: *Hoc ſit Corpus meum. Hoc eſto Corpus meum. Hoc ſit Corpus meum &c.* non conficeret Sacramentum; quia forma Conſecrationis fuit à Chriſto inſtituta per modum demonſtrationis, enuntiationis, & affirmationis de præſenti, quod non fit in hiſce formis. S. Thom. & DD.

38. At quid, ſi fieret mutatio per interpolationem, ſeu disjunctionem verborum? ℟. ità diſtinguendum eſſe: ſi interpolatio eſt notabilis, deſtruens compoſitionem moralem Propoſitionis, ità, ut ex modo proferendi communi ſenſu iudicetur, ex illis non confici unam orationem, nec reddi unum integrum ſenſum, dicendum eſt, mutationem fore ſubſtantialem, & contra veritatem Sacramenti; ſi verò interpolatio non eſt notabilis (quod prudentis judiciô diſcernendum eſt) tunc mutatio foret accidentalis non deſtruens ſenſum, nec contra veritatem Sacramenti. Suarez *de Sacram. in gen. diſp.* 2. *ſect.* 4. ℣. *Quarta mutatio.* aliique DD. paſſim. Quid autem faciat Sacerdos, ſi dubius manet, nec ſe prudenter reſolvere ſcit, fueritne interpolatio notabilis, vel non? ℟. Si valde probabiliter dubitat, reſumat integram formam, non quidem abſolutè, ſed

ſub

ſub conditione, & res erit ſalva; ſecus, nihil reſumat.

39. *Regula II.* Mutatio, qua non variatur ſenſus ſubſtantialis Conſecrationis, e.g. mutatio in verba ſynonima, & ejusdem ſignificationis, eſt mutatio accidentalis, quæ non vitiat Sacramentum. D. Thom. Scotus, Gabriel, Suarez cit. ℣. *Secunda mutatio.* alii, loquentes *de Forma Sacram. in genere.* Foret tamen hujusmodi mutatio accidentalis peccatum mortale ex genere ſuo, niſi parvitas materiæ excuſet. Ratio eſt: quia in re tam gravi & ſacra eſt gravis per ſe deordinatio, voluntariè recedere ab inſtitutione Divina, Traditione Apoſtolorum, & à conſueto Ritu Eccleſiæ. Unde bene monet Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *n.* 201. dicens: Specialiter in hoc omnium digniſſimo Sacramento omnis omnino voluntaria mutatio illicita, & ſub mortali cavenda eſt.

Additum eſt autem, *niſi parvitas materiæ excuſet*: hanc enim admittunt quidem non pauci DD. verumtamen in aſſignanda materia levi, ſeu modica non conveniunt. Aliqui enim ſolùm agnoſcunt levem materiam, ſi fieret mutatio in unica litera. Alii concedunt materiam levem in mutatione unius integri verbi in aliud

omninò æquivalens; quòd ſi autem fieret mutatio plurium verborum, quamvìs accidentalis, communiter eam damnant peccati mortalis. Tertia ſententia mediâ incedit viâ, dicens: Videtur dicendum, ſi fiat mutatio accidentalis ex negligentia, poſſe aſſignari pro materia levi nedum literam vel ſyllabam, ſed etiam integrum verbum: ſi verò fiat ex malitia, & datâ operâ, non excuſarem à peccato mortali etiam unici verbi mutationem; quia videtur quædam ſpecies contemptûs ex mero arbitrio aliquid de ſuo miſcere in re tam gravi & ſacra, omiſsô verbô ab Eccleſia præſcriptô, quamvìs non mutetur ſenſus. Ità cum aliis Averſa *de Euchar. q. 6. ſect. 2. §. Aliqua tamen.* ubi ſic ait: Hæc accidentalis mutatio cum veniali culpa continget ex negligentia, vel cum mortali ex malitia. Cæterùm ſi fièret mutatio accidentalis in aliud verbum, de quo probabiliter dubitatur, an ſit ſynonimum, & ejusdem omnino ſignificationis, omnes dicunt, comitti peccatum mortale; quia ſinè cauſa exponitur Sacramentum periculo irritationis, & ſuſcipiens exponitur periculo non ſuſcipiendi verum Sacramentum. Ex dictis deduces ex DD.

40. *Primò*: Si quis in Conſecratione,

e.g.

e. g. Hoſtiæ locò pronominis *Hoc*, diceret, *Iſtud eſt Corpus meum*, valida, ſed non licita eſſet Conſecratio; quia ſunt ſynonima. Ità cum Soto Suarez, Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 2. Similiter, ſi diceret, *Hæc res*, vel *Hic cibus eſt Corpus meum*, eſſet valida Conſecratio; quia non mutatur ſenſus. Secus, ſi diceret: *Hic panis eſt Corpus meum. Hoc vinum eſt Sanguis meus*; cùm mutatio ſubſtantialis fit.

Secundò: Si quis abſque alia perverſa intentione, & ſolummodo peccandô contra leges Grammaticæ diceret: *Hic eſt Corpus meum* (ſumendô ly *Hic* non adverbialiter, ſed ùt pronomen demonſtrativum) vel *Hoc eſt Corpus meus. Hoc eſt Calix Sanguinis mei. Hic eſt Calix Sanguis mei. Hoc es Corpus meum, Hoc eſt Corpum meum.* Hujusmodi mutationes, ſeu errores grammaticales non invalidarent Conſecrationem.

Tertiò: Si Sacerdos ex balbutie non valens pronuntiare literam *S.* diceret, *Corput meum*: vel alius non valens pronuntiare literam *R.* diceret *Copus meum &c.* excuſari poteſt ab omni peccato; atque, ùt notat Paſq. *tr.* 1. *de Miſſ. contin. q.* 205. licèt ex defectu bonæ pronuntiationis omittatur aliqua litera ſive finalis, ſive intermedia, ùt ſi diceretur *Sanginis*, locò *Sanguinis*: vel *Ca-*

lis, locò *Calix* : vel *Corpu*, locò *Corpus*: vel *Meu*, locò *Meum*, valida eſt Conſectatio. Ità Sotus 4. *diſt*. 14. *q*. 1. *a*. 3. Sporer *Theol. Sacram. p*. 2. *c*. 3. *n*. 201. Granad. Sylvius &c. Dicitur autem primò, *ex defectu bonæ pronuntiationis*; qui enim ex induſtria non pronuntiaret, mutaret verba in alia verba, atque adeò mutaret etiam ſignificationem, quæ ſi eſſet ſubſtantialis, nihil conficeret. Et hoc, quod mox diximus de defectu bonæ pronuntiationis, locum etiam habet quoad eos, qui ex inadvertentia, præcipitantia non proferrent unam vel alteram literam: unde excluduntur ſolùm, qui ex induſtria hoc faciunt. Ratio eſt: quia omiſſio alicujus literæ ex prava pronunciatione, ignorantia, præcipitantia &c. ſicut etiam additio aliarum literarum non mutant ſignificationem, & ſecundùm communem opinionem habentur pro iiſdem verbis, licèt malè pronuntiatis, ſive, ùt inquit Quarti, quia ex contextu ſermonis idem habetur ſenſus. Vid. Paſqual. cit. Dictum eſt 2dò, *litera ſive finalis, ſive intermedia*; quia aliter eſt diſcurrendum de literis initialibus, utpote ex quibus tanquam capite pendet tota verbi ſignificatio, ùt de ſe patet. Unde rectè docuit Sporer locô cit. dicens: ſi mutatione vel omiſſione etiam

unius

unius literæ, mutetur ſenſus ſubſtantialis, v.g. dicendô : *Hoc eſt opus meum. Hic eſt anguis meus.* invalida foret Conſecratio.

Quartò: Si Sacerdos in Conſecratione Calicis locò, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei,* diceret, *Hic eſt Sanguis meus*, conſecratio eſſet valida, ſecundùm omnes; ſed in Eccleſia Latina hæc mutatio fieri non poteſt ſinè peccato mortali, ùt cum Soto docent Suarez *diſp.60. ſect. 2. §. Sed quæres.* Averſa apud Quarti cit.

41. Quid autem dicendum de aliis mutationibus, e. g. ſi quis legat unam Epiſtolam pro alia, unum Evangelium pro alio, unam Miſſam pro alia &c. ℟. 1. Mutare Miſſam deſignatam, utpote de Die Dominico, Feſto duplici, aut aliis diebûs, quibûs prohibetur fieri de Feſto duplici, vel ſemiduplici, ùt infra Octavas Epiphaniæ, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Feria IV. Cinerum, infra Hebdomadam majorem, in Vigil. Nativitatis Domini ac Pentecoſtes &c. ſinè gravi cauſa legere aliam Miſſam de Sancto aliquo alio, Votivam, vel *de Requiem &c.* omnium conſenſu peccatum eſt, at ſeclusô contemptu & ſcandalô non plùs, quàm veniale, juxta communem DD. Suarez, Laym. Lugo, Dian. Tambur. &c. Ità Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 6.*

ſect.4.n.429. Ratio eſt: quia Rubricæ iſtæ, etſi præceptum grave non contineant, continent tamen magnam convenientiam, cui abſque inordinatione ac ordinis perturbatione, adeóque veniali culpa contraveniri non poteſt. ℟. 2. In Miſſa legere Epiſtolam pro alia, Evangelium pro alio, item legere Miſſam de Communi, e. g. *Os juſti*, cùm ſit præſcripta *Juſtus, ut palma*: vel legere Miſſam de Communi locò propriæ &c. non niſi veniale eſt, niſi inadvertentia, vel rationabilis cauſa ab omni culpa liberet. Ratio eſt, quæ pro ℟. 1ma. Accedit alia à pari de Officio Divino, in quo non licet, e. g. Lectiones 2. Nocturni legere de Communi, ſi Feſtum proprias, & pro Recitante approbatas habeat &c.

42. Sunt tamen cauſæ juſtè excuſantes, ut ſaltem aliquibûs dictîs (*num. præc.*) diebûs alia Miſſa Votiva, vel *de Requiem*, celebrari poſſit. *Prima* eſt cauſa gravis, Bonum commune, vel neceſſitas publica, e. g. tempore belli, peſtis, ad impetrandam ſerenitatem, pluviam &c. Sporer cit. *n.*430. quod tamen de Miſſa ſolemni, non de privatis intellige. Poſſunt autem ejuſmodi Miſſæ Votivæ ſolemnes pro re gravi &c. dici in omnibus Feſtis etiam duplicibus, modò non ſint primæ claſſis. Ità Lohner

p. 4.

Digitized by Google

p. 4. *tit.* 2. *§.* 1. *n.* 7. citans Gav. cum Diana & pluribus aliis, Arnaud *part.* 1. *tit.* 4. *n.* 3. Poſſunt etiam dici in Dominicis privilegiatis, dummodo pariter non ſint primæ claſſis. Econtra dici non poſſunt Feria IV. Cinerum, Dominica 1. Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum cum tota Hebdomada Sancta; in Dominica Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum ſequentibus duobus diebus; item in Dominica in Albis, Dominica 1. Adventûs, & in quolibet Feſto 1. claſſ. Fagioli in *Calend. perpet. rational. Annot. in Febr. num.* 13. Quòd ſi quæras, utrùm in duplicibus &c. poſſit cantari Miſſa Votiva ſolemnis, quando Novitii induuntur, vel ad Sacram Profeſſionem admittuntur? R. negativè. Ità ex Decreto S. Rit. Congr. 24. *Julii,* 1683. apud Merati in *Indic. Decretor. num.* 462. quod ſic habet: *Receptio ad habitum, & ad Profeſſionem Religioſam ſub re gravi numerari non poteſt, ut ex conſuetudine cantari poſſit Miſſa Votiva ſolemnis etiam de Spiritu S. in Dominicis, vel duplicibus, & hic abuſus omnino eſt derogandus.* Quod idem etiam de Primitiis Neomyſtarum intellige. Et certè, ſi in Conſecratione Epiſcopi (ùt notatur in fine Miſſalis Romani) in Ordinationibus generalibus, Benedictione Abbatis &c. in Conſecratione Regum & Re-

ginarum juxta Rubricas Pontificalis Oratio tantùm additur Miſſæ occurrenti de die ſub una concluſione; multò minùs in illis minoris momenti Actibus licebit Miſſam aliam, niſi quæ conveniat Officio diei occurrenti, dicere. Pontif. Rom. *Tit. de Conſecr. Elect. in Epiſc. & aliis ſeqq.* Gerlac. *p.* 1. *Tit.* 4. *ſ.* 18. Caſtald. Neuſſer &c.

Secunda cauſa, eſt ſingularis devotio cum infirmitate conjuncta in raro caſu. Sporer cit. De hac ſcribit Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 6. *ſ.* 1. *n.* 12. ſic: interrogatus ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Montis Regalis D. Joanne de Turrifiglia, an propter ſuam infirmam valetudinem, qua ſtare diu pedibûs tunc non poſſet, poſſet die Dominico Palmarum, & duobûs ſequentibûs, quibûs Paſſio Domini legitur, licitè in ſuo Oratorio privato recitare Miſſam Votivam de Paſſione Domini, quæ brevior eſt, quàm illæ currentes, in quibus Paſſio Domini legitur, putavi ejus devotionem rationabilem præbere cauſam, ut in dicto Altari privato ſic celebraret; multò magis, quia Votiva Paſſionis congruebat tempori. Ità Tambur. quod in ſimili caſu etiam aliis, præcipuè infirmis Sacerdotibus Religioſis in ſuis Oratoriis, ſeu Capellis infirmariæ celebraturis ſervire poterit.

Digitized by Google

43. *Tertia* cauſa, eſt corpus defuncti expoſitum in Eccleſia. De hoc caſu Gavant. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. *lit. X.* ità ſcribit: Omni tempore, cadavere præſente, poteſt celebrari pro defunctis (id eſt, Miſſa *de Requiem*) niſi in Paraſceve, quo die Corpus Chriſti immolari non debet, & eo caſu differendæ ſunt Exequiæ in craſtinum, in quo poſt Miſſam Sabbati S. poſſet alia Miſſa (*de Requiem*) celebrari pro defuncto; quod intellige juxta patrios mores Durandi, ubi nimirum viget conſuetudo ſepeliendi defunctos ſimul cum Miſſa, & nunquam ſinè ea, abſque ſcandalo. Si quis autem in die Paſchæ moriatur, corpus ejus reſervetur in ſequentem diem ob reverentiam Paſchæ. Hæc quidem Gav. ſed vid. dicenda *num. ſeq.* Ergo, inquies, hoc etiam fieri poterit in Feſtis Dedicationis Eccleſiæ, Patroni principalis &c. Ant. Reſp.

Nota I. Quòd Rubrica Ritual. Rom. *tit.* 34. *De Exequiis.* §. 5. ſic ordinet: *Si quis die Feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro defunctis, præſente corpore celebrari poterit; cùm tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina non impediantur, magnáque diei celebritas non obſtet.* De hac Rubr. Hieronym. Baruffaldus in *Comment. ad Rit. Rom. tit. cit. num.* 44. ſic ſcribit: loquitur Textus de magna diei celebri-

britate, ſive ſit iſta celebritas magna in univerſali Eccleſia, ſive in illa tantùm, in qua ſepeliendum (vel exponendum) eſt cadaver, ſemper eſt magna; ideóque, ſicuti excipitur dies Paſchæ & Pentecoſtes, ſeu Nativitatis Domini, quæ ſolemnitates totam Eccleſiam reſpiciunt, ità excipiendus eſt dies Dedicationis, vel Sancti Titularis in Eccleſiis privatis, pro quibus non datur major ſolemnitas particularis. Ità ille. Nota II. quod Gerlac. Vinitor *p.* 1. *tit.* 5. *Annot.* §. 2. ex Gav. *ſupra* cit. ſcribit. In Dominicis & Feſtis, Miſſam Defunctorum inſepulto, hoc eſt, præſente corpore in Eccleſia, concedit S. Rituum Congregatio 23. *May*, 1603. Feſta hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis (id eſt, Feſta Fori) non tamen magnæ ſolemnitatis, putà primæ claſſis. Nota III. Sermonem hic tantùm eſſe de Miſſa ſolemni (ùt monet Gav. Gerlac. Arnaud &c.) non autem privatis, quæ etiam præſente in Eccleſia corpore non poſſunt dici in Dominicis, neque in duplicibus, neque aliis diebus, quibûs non licet dicere Miſſas Votivas, vel *de Requiem* privatas. H. N.

44. ℣. 1. Miſſæ Solemnes *de Requiem* inſepulto, ſive præſente in Eccleſia corpopore non poſſunt dici in Feſtis Nativitatis,

&

& Epiphaniæ Domini, in Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque Feſtis primæ claſſis univerſalis Eccleſiæ: item, in Feſtis Dedicationis, & Sancti Titularis illius Eccleſiæ, in qua exponendum eſſet corpus defuncti: item, in Feſtis Sanctorum Fundatorum, ſeu Patriarcharum Sacrorum Regularium Ordinum: item, in Feſtis Patronorum Titularium totius Sacri Ordinis, quale in noſtro Seraphico Ordine eſt Feſtum Immaculatæ Concept. B. V. M. item, in Feſtis Titularibus totius Provinciæ, vel Congregationis, quale in noſtra Provincia Bavarica eſt Feſtum S. Antonii Paduani. Ità conformiter Rituali Romano cit. Ratio eſt: quia hujusmodi Feſta ſunt primæ claſſis, vereque magnæ ſolemnitatis, ùt de ſe patet. Confirmatur ex Decreto S. Rit. Congreg. 5. *Julii*, 1698. quod noviſſimè Cajet. Merati Sac. Rit. Congreg. Conſultor in *Indice Decretor. num.* 525. refert, & ſic ſonat: *In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, & multò minùs dicenda eſt una Miſſa privata.* ℞. 2. In Triduo ſacro non poteſt, etiam præſente corpore, cantari Miſſa ſolemnis *de Requiem.* Ità S. Rit. Congreg. 11. *Aug.* 1736. apud Merati cit. *num.* 690. dicens: *In ſecundo Triduo majo-*

ris

ris Hebdomadæ (id eſt, Feriâ V. in Cœna Domini, Feriâ VI. Paraſceves, & Sabbato S.) *non poſſunt celebrari Exequiæ Defunctorum; & Officium & Preces recitentur privatim.* Accedit Decretum mox cit. *In duplicibus primæ claſſis, etiam præſente corpore, non poteſt &c.* Quapropter (inquit idem Merati cit. *part.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. *Obſervat. II.*) nullo modo poteſt ad praxin deduci Durandi ſententia, quam Gavantus videtur admittere, ſeu ſaltem non improbare. Ex dictis hoc ipſo etiam ſequitur, Miſſam ſolemnem *de Requiem*, etiam præſente corpore, non poſſe cantari Fer. II. & III. Paſchæ & Pentecoſtes, Decreto abſolutè dicente, *in duplicibus primæ claſſis &c.*

Dices, talî modô defraudari animas ſuffragiô, quô è purgatorio citiùs liberari poſſent. ℞. 1. ex hoc argumento ſequi *primò*, Summos Pontifices Alexandrum II. Innocentium III. & Honorium III. (in locis à Merati *p.* 1. fol. mihi 46. citt.) non bene ordinâſſe & decreviſſe, ut Sacerdotes ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrent, excepto die Nativitatis Dominicæ, & niſi neceſſitatis caſus (de quo Innocent. III. & infra) aliud ſuadeat; *Quacunque Sacerdos dignitate præfulgeat, plures eodem die Miſſas dicere non audeat,* inquit Ho-

nor.

nor. III. *cap. Te referente. De Celebrat. Miſſar.* Sequitur *ſecundò*, etiam Feriâ VI. Paraſceves Miſſas privatas pro defunctis, ſaltem in Altari privilegiato permittendas & celebrandas eſſe ob eandem rationem in Objectione allatam. ℞. 2. Defunctos hìc & nunc ſufficienter juvari poſſe, ſi pro iis privatim Officium & Preces recitentur, Indulgentiæ plenariæ defunctis applicabiles applicentur, Miſſæ privatæ in Feſto Paſchæ, & duobus ſequentibus diebus (non tamen *de Requiem*) celebrentur, aliáque pia opera devotè peragantur. Et nunquid melior eſt obedientia, quàm victimæ? Sed occaſione dictorum, & quia difficultas, an Feriâ V. in Cœna Domini, & in Sabbato S. omnes aliæ Miſſæ, excepta ſolemni, prohibitæ ſint, multos forſan divexat, ſubjunguntur ſequentia.

45. *Primò* : Feriâ V. in Cœna Domini, de ſe loquendô, non eſt illicitum, nec prohibitum ſingulis Sacerdotibus Miſſam celebrare. Ità Suarez *diſp.* 80. *ſect.* 2. ℣. *Supereſt verò.* Soto, Navar. Angelus, Vaſq. Diana &c. Ratio eſt : quia nullibi conſtat de prohibitione, neque de jure ſcripto, neque ex conſuetudine vim legis habente. Quamvìs enim Sacerdotes comuniter ea die non celebrent, quia comunicaturi ſunt in Miſſa

ſolem-

ſolemni, nihilominus hoc faciunt ex decentia, vel devotione, non ex obligatione. Unde (ait Suarez) licèt multi Sacerdotes eo die non ſacrificent, tamen alii plures docti, pii, ac timorati ſacrificant ſinè ullo ſcrupulo. Ex quibus ſequitur, Sacerdotes privatos nullo modo peccare hac die celebrandô, ſecluſa prohibitione ſuorum Prælatorum, & maximè Epiſcoporum; etſi conſulendum omnino ſit iis, ut à Celebratione abſtineant, atque ad Eccleſiæ ornatum, cultum Divinum, populique communem ædificationem ſacram Communionem de manu Celebrantis accipiant. In hoc tamen caſu (ſecluſô ſcandalô) non eſt obligatio, ut communicaturi Stolam è collo pendentem deferant. Quamvìs enim adducatur præceptum Conc. Braccar. III. relatum *c. Eccleſiaſtica. diſt.* 23. quo jubentur Sacerdotes ſub pœna Excommunicationis laico more communicaturi Stolam induere per modum Crucis, conſuetudine (ſaltem quoad gravem obligationem) abrogatum docent DD. & ratio eſt: quia non exercent Officium Ordinis. Manual. Paroch. *art.* 4. *n.* 10. & Dominic. Bello Decret. S. R. C. *c.* 2. ℣. *Hebdomada ſancta. n.* 31. ibi: *Uſus Stolæ* (in Communione Cleri Feriâ V. Cœnæ Domini in Miſſa ſolemni)

non

non eſt etiam Sacerdotibus neceſſarius. Vid. etiam Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. ℣. *Quinta difficultas.* & DD. apud ipſum citt. imò, ùt ait Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 1. ℣. *Secundò.* Viri etiam timorati ſolent Stolam omittere facilè, quando commodè ſervari non poteſt. Quod quidem & in aliis caſibus, e. g. pro accipiendo Viatico notandum eſt. Porro, neque Superiores & Prælati peccant, ſi (ſpeciali Epiſcopi prohibitione non extante) permittant paucos Sacerdotes, ſaltem ob rationabilem cauſam ſecretò celebrare, dummodo non ſit impedienda ſolemnis Communio Cleri.

Dices, referri nonnulla Sac. Rit. Congreg. Decreta contraria, ſeu Miſſæ privatæ celebrationem prohibentia. ℞. dat Quarti *p.* 1. *Proœm. dub.* 5. ℣. *Circa Decreta.* conſiderandum eſſe primò, an de illîs conſtet authentice. Deinde, etiamſi conſtaret, dicendum eſt, illîs non præcipi, niſi ut fiat Communio Cleri in Miſſa ſolemni, & præceptum afficere Prælatos & Superiores, non autem privatos Sacerdotes. Quòdſi autem quæras, an & quomodo peccarent Prælati & Superiores, ſi tot Sacerdotes permitterent celebrare, ut omittenda ſit Communio Cleri in Miſſa ſolemni, vel fieri non poſſit cum debita ſolemnitate juxta

conſuetum Eccleſiæ Ritum? ℞. hoc diiudicandum eſſe ex circumſtantiis: nam, ſi ex tali omiſſione gravis perturbatio, populive offenſio probabiliter timetur, videtur grave peccatum; ſin minùs, erit peccatum veniale. Quarti cit. ℣. *Utrùm autem.*

Urgebis, ex novo Decreto S. R. C. & publica prohibitione Clem. XI. 23. *Mart.* 1701. & 20. *April.* 1707. & 15. *April.* 1710. interdictum eſſe, ampliùs in Cœna Dom. aut Sabbato Sancto in una, eadémque Eccleſia, præter Miſſam ſolemnem habere aliam privatam, prout notat Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 9. *n.* 110. *in Addit.* ℞. ſi de hujusmodi prohibitione authenticè conſtat, utique parendum eſſe; niſi idem de hac prohibitione dicendum ſit, quod mox de aliis Sac. Rit. Congregationis Decretis dictum eſt. Atque ſub hac Reſponſione dicta *hoc, & ſeq. num.* intelligenda, & verba, *de ſe loquendô*, appoſita bene advertenda ſunt.

46. *Secundò*: In Sabbato S. de ſe loquendô, licitum eſt, privatim celebrare (ſeclusô ſcandalô, & niſi ſpecialis Superiorum, maximè Epiſcoporum extet prohibitio) non tamen ſimpliciter, ſed ſolùm poſt Miſſam ſolemnem, vel cœptâ Miſſâ ſolemni. Ità ex probabiliori Quarti *p.* 1.

Proœm.

Proœm. dub. 5. ℣. *Dubitatur* 3*tiò.* Suarez, Fagund. Perſic. Amic. Diana &c. ab eodem citt. contra alios docentes, licitum eſſe, ſecluſô ſcandalô, celebrari Miſſas, etiam privatas à ſummo manè & ante Miſſam ſolemnem, horîs videlicet aliàs conſuetîs. Ratio probabilioris ſententiæ contra hanc 2dam eſt: quia eatenus licitum eſt celebrare, quatenus fit anticipatio Myſterii Reſurrectionis, & lætitiæ Paſchalis: ſed hæc non incipit, niſi in Miſſa ſolemni, quando cantatur, *Alleluja*, & pulſantur campanæ; ergo tunc, & non antè licitum eſt celebrare. Qualiter autem in hoc caſu Miſſæ privatæ celebrandæ ſint, declarat Quarti dicens: Tenendum eſt, Miſſam privatam dici debere ſinè Introitu, prout dicitur Miſſa ſolemnis: quia non eſt licitum aliquid addere Ritibus in Miſſali præſcriptis. Et ità ſervatur Romæ in Eccleſia S. Marthæ propè Baſilicam S. Petri, ubi ex privilegio celebrantur Miſſæ à ſummo manè uſque ad meridiem. Ità ille. At, nunquid in hujusmodi Miſſa etiam Veſperæ dicendæ ſunt? Affirmativam tenet Arnaud *de Sal* *b.* *S. Tit.* 10. *n.* 27. Sed negativa juxta alios apud Gav. *p.* 4. *tit.* 10. *n.* 44. tenenda eſt; quia Veſperæ ſub Miſſa ſolemni cantandæ correſpondent tempori Quadrageſimæ,

 quo

quo in Choro dicuntur ante comeſtionem, & in hoc tantùm caſu ſub Miſſa ſolemni; cùm autem extra Chorum nulla ſit hujus obligatio, ſed licitè Veſperæ dicantur tempore pomeridiano, idem de Veſperis in Miſſis privatis hoc caſu intelligendum eſt, maximè quia Rubrica ſic ſonat: *Poſt ſumptionem Sacramenti, pro Veſperis* (NB.) *in Choro cantatur Antiph. Alleluja &c.* Unde

Pro praxi, Miſſa privata hac die (ab illis, quibus celebrare licitum eſt) ſic fieri poterit: Sacerdos ſtans ante Altaris gradus incipit Miſſam, *In nomine Patris &c.* dicit Pſalm. *Judica me Deus &c.* cum *Gloria Patri &c.* facit Confeſſionem, & alia omnia recitat uſque ad, *Oramus te Domine &c.* incluſivè, ùt aliàs. Oſculatô Altarî, dicit in mediô (omiſſô *Introitu*) novies *Kyrie eleiſon*, & *Gloria in excelſis &c.* ùt in Miſſali, non tamen ſub hoc pulſantur tintinabula, nec campanæ, quia hæc ſpectant ad ſolemnitatem Miſſæ ſolemnis. Deinde ſubſequuntur cætera, ùt in eodem Miſſali Romano notantur. Non tamen dicuntur Veſperæ, neque Antiph. quæ *Communio* dicitur, ante Poſtcommunionem, ſive Orat. *Spiritum nobis &c.* quia nihil licet addere, quod in Miſſali non notatur, ùt mox dictum eſt; &, ſi

hac

Digitized by Google

hac vera ex ratione omittitur *Introitus*; quare *Communio* dicatur?

47. ℟. 3. In Dominicis quibuſcunque per annum, niſi in iis occurrat Feſtum primæ claſſis ſive univerſale, ſive particulare, poteſt, præſente corpore, Miſſa ſolemnis Defunctorum celebrari. Ratio eſt: quia Sac. Rituum Congregatio hoc concedit in Dominicis abſque exceptione. Nec dicat Henric. Piſart. p. 1. tit. 5. n. 15. *Per Dominicas hic intelligendæ veniunt Dominicæ per annum, non privilegiatæ primæ claſſis*; ex quibus verbis concludendum eſſet, in Dominica 1ma Adventûs, 1ma Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum, & Dominica in Albis non poſſe in dicto caſu Miſſam ſolemnem *de Requiem*, præſente in Eccleſia corpore, celebrari. Ratio eſſe poteſt: quia Dominicæ 1. claſſis præfatæ æquiparantur Feſtis primæ claſſis. Sed ℟. negandô ſuppoſitum; ideo enim, ùt inquit Gav. *in Rubr. Breviar. Rom. ſect. 3. cap. 5. n. 11.* Dominicæ *primæ claſſis* cognominantur, quia excellunt aliis, quibus cedunt etiam Patroni (Principales) neque unquam omittuntur, id eſt, ſemper fit Officium Divinum de tali Dominica, occurrente quocunque Feſto, etiam primæ claſſis, ùt patet ex *Tabell. Occurr. n. 1.* Idem habet Arnaud *tr. 2. p. 1. tit. 4. n. 3.*

48. ℟. 4. In Feſtis, quamvis ſint 2. claſſis, vel ſint Feſta Fori, & non primæ claſſis, poteſt præſente corpore celebrari Miſſa ſolemnis Defunctorum. Deſumitur ex Rit. Rom. & conceſſione S. Rit. Congregationis ſupra *num.* 43. *Not. I. & II.* allegatis. Opponit iterum Piſart cit. dicens: *Æquum videtur, ut 2. claſſis Feſta de præcepto in populo excipiantur.* Sed contra eſt, quod tam Rituale Romanum, quàm conceſſio S. R. Congregationis indiſtinctè loquantur de *die Feſto*, niſi magna diei celebritas obſtet. Unde etiam Merati *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 2. *Obſervat. II.* ait: *Etiam in Feſtis de præcepto* (id eſt, in Feſtis Fori) *dummodo non ſint primæ claſſis, poteſt celebrari Miſſa ſolemnis Defunctorum cadavere præſente.* Hoc gratis conceditur, quòd, ſi Feſtum 2. claſſis, aut Feſtum Fori magna cum Solemnitate ſpecialiter celebratur, æquum videatur, ut Exequiæ cum Miſſa *de Requiem* transferantur. Porro, addit quidem Baruffaldus cit. *n.* 44. celebrari non debere Miſſam Defunctorum præſente corpore diebûs, quibûs neque de duplici fieri poteſt, utpote in majori Hebdomade &c. ſed Reſponſio eſt eadem, quæ ſupra *Reſp.* 3. *num. præc.* Quòd ſi autem quæras, utrùm in adductis Reſponſionibus ſub ly *Præſente corpore*, intelligenda ſit *præ-*

ſen-

ſentia phyſica, vel ſufficiat *moralis*, e. g. ſi corpus ſive ex conſuetudine, ſive ex alia cauſa in Eccleſia non exponatur, ſed ante Miſſam ſepeliatur, atque eo ſepulto immediatè Miſſa ſequatur? ℞. in hujusmodi caſu ſufficere præſentiam moralem; quia non videtur Rituale Romanum & conceſſio S. R. Congregationis in ſenſu grammaticali, ſed morali accipiendum, & utique in ſimili caſu præſentia moralis phyſicæ æquipollere videtur?

49. Quid autem intelligendum eſt ſub verbis Ritualis Rom. dicentis: *Cum tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina non impediantur?* ℞. Verba *Conventualis Miſſa* intelligenda ſunt de Miſſa Conventuali, ſeu Principali in illis Eccleſiis, ubi eſt obligatio eam quotidie, vel ſaltem aliquoties in hebdomade cantandi, ſcilicet in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, non tamen in aliis, niſi in his aliunde ſit obligatio; neque in Eccleſiis Regularium: in his enim probabiliùs nulla eſt obligatio cantandi Miſſam neque diebûs ferialibûs, neque Dominicîs & Feſtivîs, niſi vi Regulæ, Fundationis &c. aliud faciendum ſit. Quarti *p.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 4. Nec obſtat conſuetudo nonnullarum Religionum, in quibus ſolet infallibiliter cantari Miſſa vel quotidie, vel ſaltem

Dominicîs, feſtiſque diebûs; quia conſuetudines hujuſmodi non habent vim legis, neque (ùt ſupponitur) introducuntur, aut introductæ ſunt animô obligandi. Idem *ibid.* ex Diana. Imò, ùt loquitur Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 6. *§.* 2. *n.* 9. ex eo, quòd probabiliter Eccleſiæ Regularium non ſint Collegiatæ, ſequitur, Regulares non teneri ad celebrandam (ſaltem quotidie) Miſſam Conventualem. Concordat noſter Sanctorus de Melphi in *Stat. Gen.* qui ℣. *Miſſa. num.* 4. ſic ait: *Miſſam Conventualem celebrare tenemur propter decorem Eccleſiæ, Fratrum, & ſæcularium conſolationem, & exemplum, non tamen quotidie, aut ſub mortali, ſed ſub gravi veniali; nec omnino ad duas Conventuales Miſſas tenemur, quando in Miſſali aſſignantur. Conſtit. c.* 3. *Stat.* 6. Hæc ille. Sed hoc loco inſpiciendum eſt, quid S. Regulæ, Fundationes, Conſtitutiones &c. à ſuis exigant.

50. Denique, quid Rituale Rom. per verba, *Officia Divina non impediantur*, velit, explicat Baruffaldus cit. *n.* 49. dicens: Nomine Divinorum Officiorum venit hic non tantùm Miſſa (ſubintellige, Conventualis, ſeu Principalis) ſed & Horæ Canonicæ, Proceſſiones, Conciones, & quæcunque aliæ functiones, quæ fieri debent de

neceſ-

neceſſitate in tali die : quæ Officia anticipare, vel poſticipare, pro canenda Miſſa Defunctorum præſente corpore, eſſet inconveniens & contra Ritum. Et hæc tandem pro *Prænotione* dicta ſufficiant.

TRACTATUS IN PARTEM III. RUBRICARUM MISSALIS ROMANI, DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURENTIBUS.

AMpla profectò, & ſpatioſa eſt via Materiarum hujus Tractatûs, per quam ambulandum nobis erit; tametſi Rubrica omnia quaſi in compendium collegiſſe videatur. Ne ergo diverſitas, & copia Materiarum confuſionem, aut legentibus tædium pariant, ſed omnia rite, ordinatè, utiliter, & commodè procedant, omnia, ſervato ordine Titulorum, & Titulorum Paragraphîs, juxta ordinem ipſius Miſſalis Romani ordinata proponuntur. Sit ergo

TI-

Digitized by Google

TITULUS I.
De Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus.

Sacerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne deſit aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Evchariſtiæ conficiendum. Poteſt autem defectus contingere ex parte Materiæ conſecrandæ, & ex parte Formæ adhibendæ, & ex parte Miniſtri conficientis. Quidquid enim horum deficit, ſcilicet Materia debita, Forma cum Intentione, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et hîs exiſtentibûs, quibûſcunque aliîs deficientibûs, veritas adeſt Sacramenti. Alii verò ſunt defectus, qui in Miſſæ celebratione occurrentes, etſi veritatem Sacramenti non impediant, poſſunt tamen aut cum peccato, aut cum ſcandalo contingere. *Rubrica.*

1. Hæc

1. HÆc Rubrica eſt generica, quæ quaſi in compendio & ſynopticè omnia, quæ in SS. Miſſæ Sacrificio defectuoſa contingere poſſunt, complectitur. Agit etenim *primò*, de defectibus ſubſtantialibus, quales ſunt defectus ex parte Materiæ, & ex parte Formæ, & ex parte Miniſtri, vel Ordine ſacerdotali non inſigniti, vel inſigniti quidem, ſed ſinè intentione debita celebrantis. Agit *ſecundò*, de defectibus accidentalibus quibuſcunque, qui veritatem quidem Sacramenti, & valorem Sacrificii non impediunt, reatum tamen peccati mortalis vel venialis ſecundùm materiæ quantitatem & qualitatem non evadunt. Agit *tertiò*, de diligentia Celebraturi, ut omnimode curet, ne aliquid ex requiſitis ad Sacramentum Evchariſtiæ conficiendum, id eſt, ad SS. Miſſæ Sacrificium validè & licitè celebrandum deſit. Cùm verò Rubrica de Defectibus ſubſtantialibus & accidentalibus multa (in ſequentibus videnda & dignoſcenda) recenſeat, hoc loco ſolummodo *de Diligentia celebraturi* unum vel alterum breviter proponitur. Sequitur proin

2. Quæſtio: Qualis ſit obligatio cavendi defectus ſubſtantiales, & accidentales in genere? ℞. 1. Sacerdos celebraturus

rus tenetur ſub peccato mortali præcavere quoſcunque defectus ſubſtantiales Sacrificii. Quarti *p.* 3. *tit.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 2. eſtque certiſſima ſententia. Quapropter, ſi Sacerdos ante inchoatam Miſſam prævideat, non adeſſe vinum, vel Hoſtiam, nec tempore opportuno haberi poſſe, tenetur abſtinere, etiamſi urgeat præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa, aut ſi per modum Viatici communicandus eſſet infirmus. Ratio eſt: quia irritum facere SS. Sacrificium, eſt grave ſacrilegium: ſed deficiente alterutra materia Sacrificium ex communi DD. ſententia eſt irritum, vel ſaltem mutilum & non integrum, eò quòd (ùt ſupra *Prænot. num.* 2. vidimus) conſecratio utriuſque ſpeciei ſit de eſſentia Sacrificii; ergo. Imò, ſi Sacerdos exiſtat ad Altare, & in progreſſu, ante Hoſtiæ conſecrationem, advertat defectum vini qualitercunque provenientem, & impotentiam ſupplendi, non poſſet licitè conſecrare Hoſtiam, ſed teneretur diſcedere ab Altari, cavendô ſcandalum, quantùm fieri poteſt; populúmque de illicititate unam ſolummodo ſpeciem conſecrandi informandô. Suarez *diſp.* 75. *ſect.* 6. ℣. *Atque hinc.* Averſa *q.* 11. *ſect.* 16.

3. ℟. 2. Sacerdos tenetur ſub peccato

to mortali ex genere ſuo adhibere diligentiam moralem ad cavendos & ſupplendos defectus accidentales. Quarti cit. *dub.* 3. ex D. Thom. *q.* 83. *ar.* 6. Suarez, Averſa. Unde, ſi hujusmodi defectus prævideatur ante inchoatam Miſſam cum impotentia illum cavendi, regulariter loquendò potiùs omittenda eſt Miſſa, quàm cum tali defectu dicenda. Dictum eſt, *regulariter loquendò*; quia, ſi ex omiſſione Miſſæ ſequeretur ſcandalum, vel ſimile grave incommodum, e. g. in maxima ſolemnitate, & defectus eſſet levis, permitti poterit, ut Miſſa dicatur, & tunc non imputabitur ad culpam, v. g. ſi Hoſtia eſt aliquantulùm fracta, vel vinum verum quidem, ſed non omnino ſincerum &c. Suarez *diſp.* 84. *ſect.* 2.

Si autem hujusmodi defectus cum impotentia cavendi non fuerit prævisus ante Miſſam, ſed advertatur in progreſſu ejusdem Miſſæ, ſervanda erit Regula D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 2. nempe; ſi defectus advertatur poſt conſecrationem etiam ſolius Hoſtiæ, e. g. ſi Sacerdos recordetur, ſe non eſſe jejunum, proſequenda erit Miſſa; quia Sacrificium ſubſtantialiter inchoatum non debet relinqui imperfectum ob ritum accidentalem. Quòd ſi advertatur defectus

ante

ante Conſecrationem, & Cæremonia gravis ſit, omittendum potiùs erit Sacrificium, quàm indebitô modô conficiendum, niſi grave ſcandalum timeretur. In dubio autem & gravi perplexitate, ſeu difficultate eligendum erit, quod habet minus periculi, & minus malum putatur. Ità D. Thom. ſupra. Vid. etiam Suarez *diſp.* 84. *ſect.* 2. in fine, ubi ait: Si tempore Oblationis Calicis Sacerdos intelligat, deeſſe aquam, & non poſſit expectare, donec afferatur, potiùs debet omittere, quàm ulteriùs progredi, aut conſecrare ſinè miſtione aquæ; quia, juxta ritum Eccleſiæ, illa cenſetur res valde gravis. Hæc ille. Vid. etiam dicta *num.* 63.

4. ℞. 3. Defectus accidentales, poſtquam commiſſi ſunt in ipſo actu Celebrationis, non ſunt ſupplendi regulariter loquendô, reſumendô omiſſa, & iterandô præpoſtero ordine, quod priùs dicendum, vel faciendum erat. Ità Quarti ex D. Thom. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 2. ℣. *Secundò. ibid. citt.* Dictum eſt iterum, *regulariter loquendô;* quia ſi in aliquo caſu aliter ſtatuatur in Rubricis, ùt de miſcenda aqua cum vino, etiam immediatè ante Conſecrationem Calicis, quando ſuo tempore non fuit appoſita, ſervandum erit, quod Rubricæ præſcribunt,

bunt, infra *tit.* 4. *§.* 7. Idem intelligendum eſt, ſi Sacerdos ante Conſecrationem advertat, ſe Oblationem Hoſtiæ, vel Calicis, vel utriuſque ſive advertenter, ſive inadvertenter omiſiſſe. Similiter, ſi Sacerdos aliquid omiſit, & paulò poſt advertat, ſe prætermiſiſſe aliquam ex partibus præcipuis, ùt Evangelium inchoatô jam Symbolô, vel Offertoriô, deberet ſuo ordine reaſſumere: quia minus malum eſt id, quando in continenti fit, quàm illud omittere; ſemper tamen in ſupplendis his defectibus accidentalibus eligendum eſt, quod minùs poteſt offendere populum. Quarti cit.

5. Quôdſi autem defectus ſit modicus, e. g. advertit quis inchoata jam Præfatione, ſe Orationem aliquam Secretam omiſiſſe, non eſt Præfatio interrumpenda, nec Secreta omiſſa poſt Præfationem, vel inter Poſtcommuniones reaſſumenda; quia hæc reaſſumptio ordinem Miſſæ turbaret. Idem intellige, ſi quis inconvenientem Epiſtolam, vel Evangelium legit, & in progreſſu primùm advertit. Item, ſi quis finitâ Miſſâ ad Sacriſtiam reverſus advertat, ſe in fine Evangelium inconveniens legiſſe, ſuperflua foret Religio, ſi aliud conveniens in Sacriſtia, ſive adhuc indutus veſtibûs ſacrîs, ſive jam exutus vellet legen-

dô

dô ſupplere; quia Evangelium privatim recitatum non poteſt eſſe pars publici Sacrificii. Tamburin. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 23.

6. Sed quid? Sacerdos celebraturus, & ad Sacriſtiam veniens non invenit, nec ob diſtantiam habere poteſt Hoſtiam majorem, licèt adſint minores, poteritne conſecrare minorem, ſive ſit celebraturus ex neceſſitate, ſive ex devotione? ℞. affirmativè in utroque caſu.Ità Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 16. Ratio eſt: quia nec ullum præceptum adeſt, nec ullam conſtat eſſe conſuetudinem, ùt obligantem de conſecranda Hoſtia majore vel minore (maximè deficiente majore, ùt in caſu hoc) utrobique enim Sacrificium æquè perficitur. Quòd ſi gravis offenſio imperitorum timeatur, facilè de rei veritate inſtrui poterunt. Vid. etiam dicenda *infra num.* 330.

7. Quid *ſecundò*? Sacerdos conſecraturus eſt duas Hoſtias majores, unam pro ſe, alteram pro Monſtrantia, ſtatim poſt ſuam Miſſam pro Comprecatione XL. horarum exponendam; aſt ad Sacriſtiam veniens præter minores unam tantùm majorem invenit, & aliam intrà hoc tempus habere non poteſt. Quare conſecrat ma-

jorem illam & alias minores pro communione populi, ac reſervata majore ſua pro Monſtrantia, accipit unam minorem à ſe mox conſecratam, quam de more frangit, particulam ex ea in Calicem immittit, ac tandem ſumit. Nunquid rectè? ℟. affirmativè. Ità Tambur. cit. *n.* 18. Ratio eſt: quia hic Sacerdos adhuc verè communicat de ſuo Sacrificio, ad quod utique tenetur ex *c. Relatum.* 12. *de Conſecr. diſt.* 2. ibi: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe cognoſcatur?* Dictum eſt autem, *accipit unam minorem à ſe mox conſecratam*; ſi enim ſolam minorem pro ſe conſecravit, non poteſt hanc pro Monſtrantia reſervare, & aliam majorem ab altero præconſecratam locò majoris ſumere. Idem cit. ex *c. cit.* Et ratio eſt; quia in hoc caſu non ſumeret integra Sacramenta juxta inſtitutionem Eccleſiæ. Vid. infra *tit.* 10. §. 4. Unde nullo modo probari poteſt illud, ſi Sacerdos conſecrat Hoſtiam majorem, cum intentione eam in Monſtrantia exponendi, & illam veterem, quæ hactenus in Monſtrantia extitit, ſolam ſumendi. Idem *ibid.* Lugo, & communiſſima DD. Duas itaque in hoc caſu conſecrare debet Hoſtias, quarum unam ſumat cum illa, quam accipit ex Monſtrantia;

tia, & alteram neo-conſecratam in Monſtrantia locò prioris reponat. La Croix *l. 6. p. 2. n.* 185. Nec dicas: poteſt Sacerdos die Paraſceves ſumere Hoſtiam pridie conſecratam ab alio; Ergo. ℞. Hoc fieri ex diſpenſatione Eccleſiæ, non autem in caſu priori. Deinde negatur paritas; quia Feriâ VI. Paraſceves non offertur Sacrificium, ſaltem propriè dictum, ſecùs in caſu priori. Vid. dicenda *infra num.* 328.

8. Quid ergo faciet Sacerdos, ſi Hoſtiam majorem in Monſtrantia exponere debet, ſuam verò reſervare non poteſt, poteritne, donec de majori conſecrata provideatur, minorem conſecratam interim exponere, vel (forſan meliùs) minorem conſecratam majori non conſecratæ affigere, & ſic utramque ſimul exponere? ℞. eum omnino minorem conſecratam exponere poſſe, nullo autem modo minorem conſecratam maiori non conſecratæ affigere, & ſic utramque ſimul exponere. Ratio prioris eſt: quia, deficiente Hoſtia majore, poteſt minorem conſecrare, ùt *num. 6.* vidimus; ergo etiam ſimilis exponi poterit. Ratio 2di eſt; quia eſſet periculum idololatriæ, quamvis materialis, quod nullo modo licet. Nec dicas: poteſt ex rationabili cauſa permitti

Digitized by Google

alterius peccatum nedum materiale, ſed etiam formale; ergo. ℞. enim, negandò conſequentiam; quia in noſtro caſu, permittendi alterius peccatum materiale, nulla eſt rationabilis cauſa; cùm impediri poſſit ac debeat per expoſitionem ſolius Hoſtiæ minoris conſecratæ. Vid. Tambur. cit. *n.* 23. *Quarti p.* 2. *tit.* 8. *ſect.* 2. *dub.* 7. At, inquies, hoc non bene audiet coram populo. ℞. Pejùs audire, ſi formaliter peccas, & reſcit populus peccatum tuum. Et nunquid etiam pejùs audiret coram populo, ſi reſciens hic deceptionem tuam ſcandalizaretur, murmuraret &c. Tibi ergo, & ſocordiæ tuæ imputes, ſi coram populo non bene audias. Vid. *infra num.* 329.

TITULUS II.

De Defectibus Materiæ.

Defectus ex parte Materiæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad ipſam requiruntur. Requiritur enim, ut ſit panis triticeus, & vinum de vite: & ut hujuſmodi Materia conſecranda in actu Conſecrationis ſit coram Sacerdote. *Rubrica.*

9. QUòd Panis & Vinum ſint Materia propria Sacramenti Eucharistiæ, patet ex hac Rubrica, éſtque de fide definitum in Concil. Florent. in Decreto Eugenii, & in Lateran. cap. *Firmiter.* ùt refert Quarti *p.* 3. *tit.* 2. *ſect.* 1. *dub.* 1. Ratio eſt voluntas & inſtitutio Chriſti, quæ conſtat ex facto ejusdem in ultima Cœna, éſtque hæc Materia præfigurata in Sacrificio Melchiſedech; unde canit Eccleſia in Officio SS. Corporis Chriſti: *Sacerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundùm ordinem Melchiſedech, panem & vinum obtulit.* Dicit autem Rubrica: *Requiritur, ut ſit panis triticeus, & vinum de vite.* Ex quo liquet, eſſe de neceſſitate præcepti, ut non conficiatur hoc Sacramentum in una ſola ſpecie, prætermittendô aliam. Ità D. Thom. *q.* 77. *a.* 1. *ad* 2. & omnes Theologi apud & cum Quarti cit. *ſect.* 1. *dub.* 2. Ratio eſt: quia in Eucharistia reperitur nedum ratio Sacramenti, ſed etiam Sacrificii; Chriſtus autem inſtituit, ut non niſi offerendô Sacrificium conficiatur hoc Sacramentum, ùt patet ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* vel, ùt ex Miſſali Romano dicitur: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde, inquit Quarti, colligitur, hoc præceptum non eſſe ſolùm humanum

& Eccleſiaſticum, ſed per ſe & primariò eſſe præceptum Divinum ipſius Chriſti, conſequenter in nullo unquam caſu licitè fieri conſecrationem in una ſolùm ſpecie, ſed fore immane ſacrilegium. Ità DD. apud Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 3. & *ſeq.* Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *ſect.* 2. *n.* 131. cum comuniſſima. Utrùm autem ex diſpenſatione Summi Pontificis id poſſit eſſe licitum, dictum eſt in *Prænot. num.* 2.

10. Porrò, dicit Rubrica: *Hujuſmodi materia conſecranda in actu conſecrationis ſit coram Sacerdote.* Ex hac Rubrica certum eſt *primò*, materiam conſecrandam debere neceſſariò præſentem eſſe Sacrificanti; iſthoc enim requirunt pronomina *Hoc*, & *Hic*, quæ ſunt demonſtrativa, & ex vi ſuæ ſignificationis deſignant rem præſentem; ſive, ùt Theologi loquuntur, pronomina *Hoc* & *Hic* ſubſtantivè ſumpta, ſignificant ens ſingulare ac individuum determinatum, quod eſt Corpus & Sanguis Chriſti, ità ut ſenſus ſit: *Hoc* ens, quod ſubſtat accidentibus panis in fine propoſitionis eſſentialis, ſeu verborum Conſecrationis, *eſt Corpus meum.* Idem dic de ly *Hic* in forma Conſecrationis Calicis.

11. Certum eſt *ſecundò*, ut Conſecratio licitè fiat & abſque peccato mortali,

ma-

materiam debere eſſe ſuper Altare coram Sacerdote, & ſuper Aram & Corporale; imò & Hoſtiam majorem debere eſſe in manibus Sacerdotis. Ità Quarti cit *ſect.* 2. *dub.* 2. Ratio autem quoad majorem Hoſtiam in manibus tenendam, eſt: quia ſecundùm omnes DD. uſus Aræ conſecratæ, & pariter Corporalis in Miſſis præcipitur ſub mortali, ut ſuper illis, & non extra debeat eſſe tum Calix, tum Hoſtia, præcipuè tempore Conſecrationis, & poſt Conſecrationem, & graviter peccaret, qui extra Corporale vellet ea conſecrare; ergo etiam graviter peccaret, qui tempore Conſecrationis ſuam Hoſtiam non teneret in manibus; eò quòd hic ritus gravior ſit uſu Aræ & Corporalis, tum quia fundatur in facto Chriſti, *Accepit panem in Sanctas, ac venerabiles manus ſuas*, ùt habetur in Canone Miſſæ; tum quia excellentiorem habet ſignificationem. Ità ille. Dictum eſt autem, *ſuam Hoſtiam*; ſi enim in caſu, e. g. in Cœna Domini, conſecraret duas vel tres Hoſtias majores, ſufficit, ſi ſuam ſolam in manibus teneat, & alias coram ſe ſuper Corporali, ùt alias minores pro communione populi, præſentes habeat.

12. Certum eſt *tertiò* : peccare mortaliter Sacerdotem, qui conſecrat Particu-

las pro communicandis intrà Tabernaculum clauſum exiſtentes. Ità Quarti cit. *dub.* 5. Utrùm autem ſaltem valide poſſint conſecrari, probabiliùs negatur; quod idem de Hoſtiis ſub mappa Altaris, vel ſub Corporali latentibus intellige. Ità Paſq. Averſa, Laym. Coninch &c. Ratio eſt: quia non ſunt moraliter præſentes, nec poſſunt deſignari ſeu demonſtrari in ſe, neque ratione continentis. Nec dicas: ergo nec Hoſtiæ in Pyxide, ſeu Ciborio clauſo valide conſecrantur. ℞. enim, negandô illatum; quia Hoſtiæ in Pyxidæ ſeu Ciborio clauſo ſunt moraliter præſentes ratione continentis ordinarii, &c, ùt inquit Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 10. contentum cum continente reputatur, & moraliter præſentatur, Lugo, Averſa, Dicaſtill. Suarez &c. Secus eſt de exiſtentibus in Tabernaculo; hoc enim non habet rationem continentis ordinarii, ſed æquiparatur parvo cubiculo, in quo ceu in cuſtodia manet Chriſtus ſub ſpeciebus non expoſitus ſenſibus. Cùm igitur Hoſtia in alio cubiculo clauſo exiſtens validè conſecrari nequeat ob defectum præſentiæ moralis, ità nec Particulæ in Tabernaculo clauſo. Paſq. &c. citt. apud Quarti cit. qui in fine addit, hujusmodi in Tabernaculo clauſo conſecratas Hoſtias

ra-

Digitized by Google

ratione dubii ſumendas eſſe poſt ſumptionem S. Sanguinis. Cæterùm putat quidem Quarti cit. *dub. 6. ℣. Dico ſecundò*, teneri ſub veniali Sacerdotem diſcooperire Pyxidem Particularum, & removere operculum ante Conſecrationem; quia tamen addit, *DD. dicunt, meliùs eſſe, ut diſcooperiantur*, hinc probabile videtur, nec venialiter peccaturum Sacerdotem, ſi non diſcooperiat. Sive autem diſcooperiat, ſive non, certum eſt illas Particulas conſecrari; ſubintellige, niſi alia fuerit Conſecrantis intentio.

TITULUS III.

De Defectu Panis.

§. I. Si Panis non ſit triticeus, vel ſi triticeus, admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat Panis triticeus, vel ſit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum. *Rubrica.*

Hæc Rubrica quoad materiam Panis tria proponit, quorum quodlibet, ſi adſit, invalidam reddit Conſecrationem. Et quidem.

13. *Primò* dicit: *Si panis non ſit triticeus, non conficitur Sacramentum.* Ex quibus

verbis patet, omnem & ſolum panem triticeum (ſeu ex farina triticea confectum) & uſualem eſſe materiam neceſſariam & ſufficientem Sacramenti Eucharistiæ. Eſt communis & certa ſententia DD. apud Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 3. ſect. 2. ſ. 2. n.* 134. & conſtat ex Concil. Florent. *in Decreto Unionis.* Unde Catechiſmus Roman. c. De Euchar. §. 12. *Nullus panis, niſi triticeus apta ad hoc Sacramentum materia putandus eſt: hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſiæ authoritas firmavit.* Eſt igitur ex his *Regula Generalis* hæc: Ex illo ſolo frumento conficitur certa hujus Sacramenti materia, quod in quavis Regione à peritis certò judicatur eſſe triticum. Omnis autem alius panis eſt aut abſolutè inſufficiens, aut certè materia dubia: quod ipſum ſufficit, ut quivis teneatur ab ea ſub gravi peccato abſtinere; adeò, ut ne quidem in extrema neceſſitate liceat conſecrare materiam dubiam, illam nimirum etiam, de qua inter Authores utrinque probabiliter diſceptatur, utrùm ſit materia valida, nec ne. Ità cum aliis Suarez, Alanus, Chappeaville, Gobat apud, & cum Sporer cit. *n.* 137. Ratio eſt: quia, cùm Sacramentum Eucharistiæ ex una parte ſit ſumma veneratione digniſſimum:

ex

Digitized by Google

ex altera verò parte non ſit Sacramentum ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, nulla videtur poſſe occurrere cauſa moraliter ſufficiens ad conficiendum illud in materia dubia. Idem cum Scoto, Suarez, Maſtrio, Caſtropal. Herincx, & communi aliorum docet Aquilin. Aman in *Specul. Ordinand. n. 556,* dicens, nequidem licitum eſſe conſecrare Hoſtiam ex farina ſiliginea (idem dic de alia materia dubia) confectam, dum urget neceſſitas providendi moribundo, aut celebrandi Miſſam die Feſtivo, etiamſi ex defectu Hoſtiæ triticeæ populus non audiret Miſſam. Suarez, Herincx, Quarti cit. *dub.* 11. quia ex una parte hoc Sacramentum non eſt abſolutè neceſſarium ad ſalutem moribundi; ex altera verò potiùs ceſſat præceptum de audienda Miſſa die Feſtivo, quàm ut debeat conſecrari materia dubia cum periculo nullitatis, & gravis irreverentiæ erga SS. Eucharistiæ Sacramentum. Secus eſt de Baptiſmo; hic enim, cùm ſit Sacramentum abſolutæ neceſſitatis, poterit in neceſſitate in materia dubia adminiſtrari, non quidem abſolutè, ſed conditionatè; quia ſic pro poſſibili providetur ſaluti baptizandi, & præcavetur omne periculum irreverentiæ. Cæteroquin utique aliter diſcurren-

dum

dum eſt de Sacramentis, quæ conſiſtunt *in fieri*, ſeu in uſu, quàm de Evchariſtia, quæ conſiſtit *in facto eſſe*?

14. Ut autem certa ab incertis ſeparemus, & cuivis in compendio innoteſcat, quænam pro conſecratione Evchariſtiæ ſit materia, & abſolutè ſufficiens, quænam dubia, & quænam omnino inepta, ſequentia ſubjungimus. *Primò*: Materia certa eſt omnis verè triticeus panis, ùt *num. præc.* dictum. Item: Panis confectus ex ſpecie frumenti Suevici (quod vulgò vocatur Feſen/ vel Kern/ & in aliquibus locis Dünckel/ latinè autem communiter dicitur *Spelta*, ab aliis *Far*) eſt apta materia Evchariſtiæ; cùm ſit verè triticum, aut tritico ſtrictè ſumpto proximè accedat, imò uſu & bonitate excedere dicatur. Quocirca ex eo tritico in iis partibus paſſim conficiuntur Hoſtiæ pro Evchariſtia, utì obſervant DD. comuniter. Ità Sporer cit. *n.* 138. quamvis Aquilin. Aman *n.* 557. ex D. Thom. Caſtropal. Henno &c. putet, panem ex Spelta & Farre materiam eſſe ſaltem dubiam; quia licèt magìs accedant ad ſimilitudinem tritici, non tamen communiter reputantur pro tritico. Sed de hoc vid. etiam *num. ſeq.*

Secundò : Materia dubia, & eò ipſo excludenda, eſt omnis panis confectus ex aliqua frumenti ſpecie, de qua dubitatur, an ſit verum triticum : ùt ſunt Siligo ſeu Secale (vulgò & propriè Roggen / vel Korn) Far, vel Spelta, & ſimiles ſpecies frumenti, etſi ſatìs uſuales, attamen inferiores triticô. De his enim magna eſt inter DD. controverſia : multi enim affirmant, illas eſſe eſſentialiter triticum & differre ſolùm accidentaliter ob ſterilitatem ſoli; alii plures negant, dicentes, omnino eſſe ſpecies diverſas eſſentialiter, & longè inferiores triticô, ideóque panem ex iis confectum non eſſe materiam aptam. Sporer ibid. *n.* 139. dicens tamen, priorem ſententiam eſſe probabiliſſimam.

15. Dices, Sporerum ſibi ipſi contradicere; priùs enim dixerat panem confectum ex Spelta ſive Farre eſſe materiam aptam : hìc autem dicit, eſſe materiam dubiam. Ante ℞. nota, quod Quarti cit. advertit, dicens, opinionum diverſitatem circa Siliginem, Speltam & Far ortam eſſe ex diverſa acceptione horum nominum; unde, ſi hæc nomina ſignificent quædam frumentorum genera valde deteriora triticô, dicendum eſt, non eſſe materiam aptam hujus Sacramenti ; quia non per-

tinent ad genus tritici, vel hoc eſt valdè dubium. Quòdſi autem prædicta nomina aliter uſurpentur, ſicut alicubi uſurpari ſolent, ut ſignificent ſpeciem tritici electi, quam Plinius *lib.* 28. *c.* 8. delicias tritici vocat, & ſiliginem etiam appellat, tunc nulli dubium eſt, eſſe aptam materiam panis conſecrabilis; cavenda tamen eſt æquivocatio. Hæc Quarti citans Suarez, Lugo, Averſ. H. N. &c. ad Inſtantiam, negativè. Priùs enim dixit, panem confectum ex ſpecie frumenti Suevici (quod NB. vulgò vocatur *Spelta*, ab aliis *Far*) eſſe materiam aptam; cùm ſit verè triticum &c. poſteà verò loquitur de Siligine, Farre, Spelta &c. propriè dictis, ideóque materia Evchariſtiæ dubia ſunt. Atque in hoc ſenſu intelligendus eſt etiam Aquilin. Aman. cit. Porro, quia panis confectus ex Amylo ſeu Amido (vulgò Ammelmehl) eſt materia ſaltem dubia, hinc in omnium ſententia grave foret ſacrilegium, eum conſecrare. Quarti cit. *dub.* 6. ex quo etiam *dub.* 8. habetur, Hoſtiam rubeam confectam cum cinnabere, etiam parùm admixto, eſſe materiam vel non aptam, vel meritò dubiam; quia per talem mixtionem materia, quamvis triticea, extrahitur à ratione panis uſualis, & ad alium uſum valde

di-

diverſum deſtinatur, nempe ad ſigillandas literas. Sporer. cit. *n.* 142. *&c.*

16. Cæterùm, materia certò inepta & inſufficiens ad Sacramentum Evchariſtiæ eſt omnis panis confectus ex aliqua frumenti ſpecie, quam apud omnes conſtat, non eſſe triticum etiam latè ſumptum; utpote panis ex hordeo, avena, miliô, oriza, illo tritico Turcico, ſeu Indico vel Aſiatico, ex ozimo ſeu fagopyro (vulgò Haydenkorn) & à fortiori omnis panis confectus ex fructibus arborum, utpote amygdalis, caſtaneis, nucibus &c. ſecundùm omnes. Sporer cit. *n.* 140. Item, panis confectus ex furfure triticeo (quod fit ex cortice tritici) non eſt apta materia Evchariſtiæ. Quarti cit. *dub.* 3. Ratio: quia hujusmodi panis non eſt communis & uſualis hominum, ſed fieri ſolet ad uſum canum &c. Utrùm autem panis triticeus elixus, & in juſculum redactus ſit materia conſecrabilis, ℞. det Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 58. apud Quarti cit. *dub.* 7. negativè. Ratio eſt: quia hujusmodi panis, agente igne & aqua, effectus eſt quoddam mixtum artificiale, & quidem diverſum à pane uſuali, unde non dicitur ſimpliciter panis. Idem dicendum de maſſa farinacea cruda, vel oleô, butyrô, vel aquâ elixa. Laym. *l.* 5.

tr.

tr. 4. *c.* 2. *n.* 3. Secus eſt, ſi Hoſtia calore tantùm digitorum nonnihil madefacta ſit; hæc enim madefactio non eſt panis in maſſam crudam tranſmutatio, ſed modiciſſima ſolummodo alteratio, quæ Hoſtiam nec illicitè nec invalidè conſecrabilem reddit. Manet ergo, omnem & ſolum panem triticeum, & uſualem eſſe materiam neceſſariam & ſufficientem, & conſequenter licitam Eucharistiæ Sacramenti.

17. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si panis triticeus admixtus ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, non conficitur Sacramentum.* Hæc Rubrica intelligenda eſt in caſu, quo major, vel æqualis pars granorum alterius generis, id eſt, quo major, vel æqualis pars *farinæ* ex granis alterius generis reſoluta farinæ triticeæ admixta eſt; panis etenim ex tali mixtura confectus non erit ſufficiens materia. Ità D. Thom. *q.* 74. *art.* 3. *ad* 3. Suarez, Averſa, Bonac. alii apud & cum Quarti cit. *dub.* 2. Quòdſi quis conſecret Hoſtiam confectam ex farina, cujus ferè dimidia, vel ſaltem notabilis pars eſt hordeacea, avenacea &c. procul dubiô peccat mortaliter; quia talis panis non eſt debita, vel ſaltem eſt dubia materia Sacramenti Euchariſtiæ, ùt notavit etiam S. Thom.

3. *p.*

3. *p. q.* 74. *ar.* 3. *ad* 3. apud & cum Sporer cit. *n.* 141. At verò, ſi cum pane triticeo permiſceatur farina ex granis alterius frumenti, aut materiæ in ea quantitate, quæ non deſtruit ſubſtantiam tritici, valet conſecratio, ſed illicita eſt. Aquilin. Aman *n.* 558. Sporer cit. Ratio eſt: quia talis panis ex ipſo uſu loquendi adhuc ſimpliciter vocatur triticeus, etiamſi habeat aliquid admixtum alieni frumenti, & conſequenter cenſebitur materia valida, quamvis illicita. Idem multò magis eſt, ſi valde parùm hordei, vel alterius frumenti admiſceatur; quod contingere poteſt ex tritico malè purgato, & de hoc inquit Sporer cit. Non puto, quemquam Theologorum eſſe tam rigidum, ut noxæ lethalis damnet Sacerdotem, qui uteretur Hoſtiâ, ſciens paucula grana hordei eſſe in ea commolita.

18. Quæres autem, utrùm in hujuſmodi caſibus integra Hoſtia tam quoad partes triticeas, quàm alias conſecretur? ℟. negativè. Ratio eſt: quia, quod abſolutè materia inepta eſt, etiam cum apta commixta apta fieri non poteſt. Unde dicit Aquilin. Aman cit. Si modicum de materia inepta admiſceretur, licèt omnes partes tritici exinde pervaderet, tamen particula demonſtrativa *Hoc* afficeret ip-

ſum totum conſtitutum ex partibus potioribus, quæ eſſent triticeæ. Secus eſt de modica aqua cum vino miſcenda; hæc enim juxta probabiliorem DD. ſententiam (ùt videre eſt apud Reiffenſtuel *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 4. *n.* 33.) priùs convertitur in vinum, non autem convertitur modica farina avenacea, hordeacea &c. in triticeam. Sed de aqua in vinum convertenda vide *Tit. ſeq. n.* 61.

Unum addit Quarti cit. *dub.* 3. ſcilicet; quamvis panis ex furfure tritici confectus non ſit apta materia Evchariſtiæ (ùt *num.* 16. vidimus) attamen, ſi conficiatur panis triticeus ex farina mixta cum furfure triticeo, foret materia ſufficiens (ſed, ſubintellige, illicita) Sacramenti, & totus panis transſubſtantiaretur in Corpus Chriſti, quando longè major eſt medulla ſeù farina, quàm furfur. Ratio eſſe poteſt: quia furfur triticeus eſt ejusdem ſpeciei cum farina triticea, & (ùt inquit) ſæpe cum ſimili permixtione confici ſolet panis uſualis. Sed hoc, quod totus panis transſubſtantietur in Corpus Chriſti, non videtur probandum; ſi enim furfur triticeus ſolus non eſt materia apta Evchariſtiæ, quomodo talis erit, ſi cum farina triticea mixtus fuerit? Idem ergo dicendum eſt de hac mixtu-

tura, quod mox de aliis diximus. Interea de ſe patet, qualiter omnino curandum ſit, ut in reverentiam tanti Sacramenti conficiatur panis conſecrandus ex pura, &, furfure rejecto, diligentiùs expurgata farina, quàm fiat pro pane uſuali hominum.

19. *Tertiò*, dicit Rubrica: *Si panis ſit corruptus, non conficitur Sacramentum.* Quæritur autem, ex quo cognoſci poſſit, ac debeat, panem eſſe ſubſtantialiter corruptum? Reſpondet Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 3. n.* 144. dicens: corruptio ſubſtantialis debet attendi ex mutatione accidentium connaturalium panis, coloris, odoris, ſaporis, an ſit facilè reſolubilis quaſi in cinerem vel pulverem. Unde cautè providendum eſt Sacerdotibus, ne Hoſtias ad longius tempus comparatas tamdiu detineant, donec vel jam corruptæ ſint, vel corrumpi incipiant, vel ſaltem prudenter dubitandum ſit, an adhuc materia apta exiſtant. Et certè ſtante dubio, an panis ſit corruptus ſubſtantialiter, nec ne, non poteſt licitè fieri conſecratio; moraliter enim in hoc caſu certum eſt, panem jam incipere corrumpi: talem autem panem conſecrare, grave peccatum eſt, ùt infra *num.* 22. videbimus. Cæterùm, manet materia valida panis triticeus bis coctus; manet etenim,

non obſtante iterata coctione, ſimpliciter panis uſualis. Sporer *ibid.*

§. II. Si panis ſit confectus de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis, dubium eſt, an conficiatur. *Rubrica.*

20. Ut panis ſit materia apta & licita Evchariſtiæ, neceſſe eſt omnino, ut ſit confectus ex farina triticea, & aqua naturali tantùm, ignéque toſtus. Sporer cit. *num.* 142. éſtque certiſſima ſententia. Ratio eſt: quia ex Chriſti inſtitutione requiritur pro materia hujus Sacramenti panis, non quicunque triticeus, ſed uſualis; talis autem eſt ſolus ex farina & aqua naturali confectus, ignéque toſtus: ergo. Dicitur autem, *aqua naturali*, id eſt, ſive ſit aqua dulcis, ſive marina; quia hæc eſt vera aqua naturalis, teſte D. Thoma *q.* 74. *art.* 7. apud Quarti cit. Unde non valet, ſi farina ſit ſubacta lacte, melle, oleo, butyro, ovis, ſaccaro, vino, ſuccis herbarum &c. quia non eſt panis uſualis, ſed potiùs habet rationem libi, vel tortæ, vel tucetæ, vel placentæ, vel germanice Hönigflad/ Paſtett/ Butter-Laibl/ Ayr-Brod/ Zucker-Brod ꝛc. Cur autem Rubrica dicat, panem confectum de apua roſacea &c. eſſe *dubium*, ſeu

ma-

materiam dubiam, indicat, in hac re nihil eſſe deciſum, ſed rem Theologorum, ſeu Doctorum ſenſis & judicio relinqui. Interea Doctores communiſſimè docent, panem, ut ſit conſecrabilis, debere confectum eſſe ex farina triticea, & ſola naturali aqua, non autem aqua artificiali, vel alio liquore non elementari. Ità D. Thom. Palud. Alan. Sotus, Angel. Lugo &c. Layrn. *l.* 5. *tr.* 4. *q.* 2. *n.* 3. Sporer *num.* 142. contra Cajet. qui putavit, ex farina & aqua roſacea fieri panem ejusdem ſpeciei cum alio communi, cujus tamen ſententia (ùt inquit Quarti) ab omnibus rejicitur. Ratio inconcuſſa eſt, & manet: quia non eſt panis communis & uſualis; quidquid ſit de eadem ſpecie infima farinæ, quæ hìc nihil valet. Conſequenter certum eſt, graviter peccaturum Sacerdotem, qui Hoſtiam de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis, utpote materiam ſaltem dubiam conſecraret. Ratio patet ex dictis *num.* 13.

21. At quid, ſi panis ſit confectus partim ex aqua naturali, partim ex liquore alterius diſtillationis, ſeu aquæ artificialis? ℟. hìc diſcurrendum eſſe, ùt ſupra *num.* 17. & *ſeq.* de commixtione diverſorum granorum. Quòd ſi igitur major, vel æqualis pars ſit alterius liquoris, panis inde con-

foctus non erit apta, vel ſaltem erit dubia materia Sacramenti; ſi verò major pars ſit aqua naturalis, & parùm aliquid alieni liquoris miſceatur, non tolleret veram rationem panis, nec proinde vitiaret materiam Sacramenti quoad valorem conſecrationis: eſſet tamen illicitum hoc facere contra puritatem materiæ hujus Sacramenti. An autem ſit peccatum mortale vel veniale, prudentis arbitrio diiudicandum erit, conſiderata quantitate liquoris admixti. Suarez. Sylv. Armill. Tolet. & alii, quos citat & ſequitur Bonac. apud & cum Quarti cit. *dub.* 4. Eſto autem, quòd ob parvitatem materiæ ſit tantùm veniale; abſurdum tamen eſt, ſi Sacerdos pro ſe ſtudiô hujusmodi Hoſtias confici procurat; talia enim olida indicant vel hominem delicatum, vel ſaltem animum non genuinè maſculinum. Idem fit, ſi Hoſtiis rite confectîs, & in reſervatorio pro futura conſecratione clauſîs bullam, vel aliud olidum adjungit, ut Hoſtiæ ex tali conjunctione odorem contrahant &c.

§. III.

§. III. Si panis cœperit corrumpi, ſed non ſit corruptus; ſimiliter ſi non ſit azymus, ſecundùm morem Eccleſiæ latinæ, conficitur, ſed conficiens graviter peccat. *Rubrica.*

21. Rubrica hæc clara eſt, & committitur peccatum mortale, ſive quis panem ſubſtantialiter corrumpi incipientem, ſed non corruptum, ſive non azymum, ſed fermentatum conſecret. Duo hìc ſolùm inquirenda ſunt. *Primò*, unde colligi queat, panem jam incipere corrumpi? R. id colligendum eſſe ex panis alteratione, ſaporis & ſimilium qualitatum mutatione, e. g. ſi panis eſt mucidus (vulgò ſchimelächtig) Sporer cit. *n.* 144. Utrùm autem Hoſtia licitè conſecrari queat in dubio, an jam incipiat ſubſtantialiter corrumpi, adſintque dicta alterationis ſigna, dicendum videtur, non licere in dubio negativo, licere autem probabiliter in dubio poſitivo, practicè & prudenter depoſitô. Ratio eſt: quia in dubio poſitivo ex gravi, ſive ſufficienti (ùt ſupponitur) cauſa probabile eſt, panem adhuc exiſtere verè & integrè panem. Secus eſt in dubio negativo. Nec dicas, hoc contradicere

dictis ſupra *num.* 19. ℞. enim negandô illatum; ibi enim erat ſermo de moraliter ſaltem certa corruptione accidentali, & dubia ſubſtantiali : hìc autem moraliter certum eſt, ſubſtantiam panis necdum actu eſſe corruptam, & ſimul verè (ùt ſupponitur) probabile eſt, neque accidentalem talem exſtare corruptionem, quæ poneret initium ſubſtantialis corruptionis.

23. *Secundò*, quæritur, utrùm Sacerdoti latino nunquam liceat panem fermentatum conſecrare? Ante ℞. ſupponendum eſt, *primò*, certum eſſe de fide, utrumque panem, ſcilicet azymum & fermentatum ſufficere ad valorem conſecrationis, conſequenter mixtionem fermenti nec eſſe per ſe neceſſariam, neque contrariam veritati Sacramenti. Ità Concil. Florent. in Decreto Eugenii &c. & docet D. Thom. omnéſque Scholaſtici. Ratio eſt : quia uterque panis ſive azymus ſive fermentatus eſt verè, ac ſimpliciter panis uſualis, & talis abſolutè appellatur. Supponendum eſt, *ſecundò*, tam Græcum, quàm Latinum Sacerdotem teneri ſub mortali (per ſe loquendô) ſervare conſuetudinem, & ritum ſuæ Eccleſiæ, quando in ea celebrat, ùt expreſsè indicat Concil. Florent. in Decreto Unionis, dicens : *Definimus in azymo,*

ſive

ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici: Sacerdotéſque in Altari ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive occidentalis, ſive orientalis conſuetudinem. Sporer cit. *n.* 146. H. S.

24. ℟. 1. Quando Sacerdos Latinus peregrinandô tranſit per loca & regiones Græcorum, ubi ſunt templa Latini ritûs, tenetur Latino ritu, & in azymo celebrare, ſi eligit celebrare in prædictis templis Latinorum: & idem dicendum de Sacerdote Græco, qui per tranſitum reperitur in regione Latinorum, ubi ſunt templa Græcis conceſſa, ut poſſint ſuum ritum ſervare. Ità Suarez, Con. Averſa, Diana &c. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 10. Ratio eſt: quia in hujusmodi caſu ſinguli reſpectivè, & perinde ſe habent, ac ſi in propriis regionibus & Eccleſiis verſarentur, nec eſt ratio variandi. ℟. 2. Non licet Sacerdoti Latino in propria regione moranti conſecrare in fermentato, etiamſi celebrare velit in aliqua Eccleſia Græcorum, quæ ibi exiſtit, quamvìs in ea Græci ritus ſerventur à Græcis. Ità communis apud Quarti *ibid.* Ratio eſt: quia hoc eſt quaſi privilegium ſolis Græcis ibi conceſſum. Atque ex hoc patet diſparitas inter hunc & priorem caſum.

25. ℞. 3. Sacerdos Latinus tranſiens per Græciam, & in templis Græcorum celebrans poteſt conſecrare vel ritu Græcorum in fermentato, vel ritu Latinorum in azymo, prout ipſi libuerit: & idem eſt de Sacerdote Græco tranſeunte per loca Latinorum, Ità Suarez, Fagund. Silvius, Coninch, Filliuc. &c. apud & cum Quarti, cit. Ratio eſt; quia ex opinione valde probabili, & ferè communi poteſt quilibet tranſiens per aliquem locum ſe accommodare ejuſdem loci conſuetudinibus, ſed non tenetur. Imò, etiamſi in Græcia ſint aliqua templa Latini ritûs, & Celebrans Latinus in illis non celebret, ſed in templis Græcorum, poteſt more Græcorum celebrare in fermento. Ratio eſt eadem; & DD. abſolutè aſſerunt, poſſe in templis Græcorum Sacerdotem Latinum ſequi eorum ritum in eorundem regione. Idem aſſerendum de Sacerdote Græco peregrinante per loca Latinorum, eum poſſe in Eccleſiis Latinis celebrare in azymo. Quarti *ibid.* ubi etiam addit, poſſe (in hoc caſu) utrumque, ſcilicet Sacerdotem Latinum & Græcum ſervare ſuum proprium ritum, non ſolùm ſi in alieno ſolo moretur per tranſitum, & brevi tempore, ſed etiam tempore notabili, & majori parte anni.

Ratio eſt: quia (quidquid ſit de aliis conſuetudinibus) quoad ritum celebrandi ità eſt introducta conſuetudo, ut poſſit ſuas quiſque Miſſas patrio more celebrare, ex eo; quia difficile eſſet Græco Cæremonias Latinas ediſcere; & econtra Sacerdoti Latino ritus Græcos apprehendere, & meliùs expeditiúsque ſuo quiſque ritu celebrat. Ità Suarez, Coninch, Averſa & alii. Hæc ille. Vid. etiam Spor. cit. n. 149.

26. R. 4. Non licet Sacerdoti Latino in Eccleſia Latina ad dandum etiam morituro Viaticum, in fermentato conſecrare. Ità Suarez *diſp.* 44. *ſ.* 3. ℣. Unum verò. apud & cum Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 3. Jo. de la Cruz, Villalob. Sotus, Ledeſma, Tambur. & alii paſſim juxta communem ſenſum DD. Sporer *n.* 148. Ratio eſt: quia ritus conſecrandi ſolùm in azymo eſt graviſſimus, & ſtrictiſſimi juris, fundatus in facto ipſius Chriſti; ergo licitum non eſt eum mutare propter neceſſitates privatas non extremas, qualis eſt Viaticum, quod non eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſed duntaxat neceſſitate præcepti Divini affirmativi, ſcilicet quando, ſalvîs aliîs ſalvandîs, ſervari poteſt. Denique (quod obiter hìc notes) ex communi ſenſu DD. apud Tan. *n.* 109. pani azymo conſecrando

non

non eſt miſcendum ſal. Quòd ſi autem per errorem admixtus ſit, non ſolùm in neceſſitate celebrandi, ſed etiam ex libera devotione adhiberi poteſt pro Sacrificio, quando deeſt alia Hoſtia; quia nec ratio, nec lex, nec authoritas, vel conſuetudo id vetat. Gobat *n.* 42. apud & cum Sporer cit.

§. IV. Si Celebrans ante conſecrationem adverterit, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam; remotâ illâ Hoſtiâ, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco, ubi deſivit. *Rubrica.*

27. Rubrica hæc ex hactenus dictis duo ſupponit, ſcilicet Hoſtiam corruptam eſſe materiam nec validè, nec licitè conſecrabilem: & Hoſtiam fermentatam eſſe quidem materiam validè, ſed à Sacerdote Latino mortaliter illicitè conſecrabilem. Hîs ergo ſuppoſitîs, hoc numero informatur Sacerdos, quid ipſum facere oporteat, ſi ſub Sacrificio actuali advertat, Hoſtiam eſſe vel corruptam, vel non eſſe triticeam. Dictum eſt, *ſi ſub Sacrificio actuali advertat*: ſi enim hoc advertat ante Sacrificium, nulla

la occurrit difficultas; quia abſtinendô à celebratione (prout in utroque caſu abſtinere omnimodè tenetur) omne difficultatis punctum tollitur. Videndum igitur ſolùm eſt, quidnam in hujusmodi caſibus Sacerdoti faciendum ſit, ſi defectum ſub actuali celebratione advertat.

28. Si Sacerdos ante Hoſtiæ conſecrationem advertit, Hoſtiam eſſe corruptam, vel non eſſe triticeam, faciendum eſt, quod ipſa Rubrica mox allata docet. Quòd autem dicat, *facta Oblatione, ſaltem mente concepta,* oſtendit, Oblationem, quæ eſt præparatio materiæ conſecrandæ, nunquam eſſe penitus omittendam, cùm ſit gravis Cæremonia. Sufficit autem Oblatio mente concepta extra proprium locum, absque conſueta elevatione Hoſtiæ conſecrandæ ſuper Patena, & absque facto ſigno Crucis, ne Ordo Miſſæ perturbetur. Quarti hìc *in Expoſ. lit.* quidquid Aquil. Aman. n. 742. contra ſentiat, dicens: hæc Oblatio probabiliùs vocalis eſſe debet, ùt etiam ſentit Illſung contra Gobat; ſed Rubrica nihil determinat, nec præcipit, ſed utrumlibet arbitrio Celebrantis relinquit. Porro, Oblatio hæc, etiam mentalis, fit per ordinariam Orat. *Suſcipe, ſancte Pater &c.* non enim licet aliam Oblationis formam,

nisi

niſi ab Eccleſia præſcriptam adhibere, quod & in ſequentibus ſimilibus nota.

29. At quid, ſi Hoſtia alia, id eſt, legitima haberi non poteſt? ℞. cum diſtinctione: Si Hoſtia eſt corrupta, ab ulteriori Miſſæ progreſſu ceſſandum, nullo autem modo ſolum vinum conſecrandum eſt; quia deeſt materia de per ſe ac ſimpliciter ad Sacrificium neceſſaria, & offerre Sacrificium mutilum contra Chriſti inſtitutionem, eſt intrinſecè malum. Quarti cit. *ſect.* 2. *dub.* 1. cum DD. Si verò adeſt Hoſtia fermentata, nec poteſt haberi triticea, per ſe loquendô potiùs omittendum quidem eſſet Sacrum, quàm cum tali defectu proſequendum; nihilominus per accidens, ſi nimirum ex omiſſione ſive abruptione Miſſæ prudenter timeretur gravis infamia, vel grave ſcandalum, poteſt Sacerdos Hoſtiam fermentatam conſecrare, & Sacrum proſequi; quia præcepta poſitiva cum tanto rigore & incommodo non obligant. Idem cit. *dub.* 6. ex D. Thom. & DD. comuniter. Nec dicas, hanc doctrinam contradicere priori *num.* 26. ℞. enim negativè; quia aliud eſt, Hoſtiam fermentatam conſecrandam poſitivè, & ante Miſſæ inchoationem aſſumere; aliud

eſt

eſt in præſenti caſu, ùt bene conſideranti patet.

30. Si Sacerdos defectum Hoſtiæ corruptæ advertit poſt hujus conſecrationem, & ante conſecrationem Calicis, & non poteſt habere aliam Hoſtiam aptam; debet omittere Sacrum. Ità comuniter DD. apud & cum Quarti cit. *ſect.2.dub.1.* Ratio eſt: quia ex una parte Hoſtia corrupta non eſt conſecrata, & ex altera parte nunquam licitum eſt conſecrare unam ſpeciem absque alia, ùt mox *num. præc.* dictum eſt. Si verò poſt conſecrationem Hoſtiæ, & ante conſecrationem Calicis advertat, Hoſtiam eſſe fermentatam, progredi debet, perinde ac ſi Hoſtiam non fermentatam conſecrâſſet: quod idem faciendum eſſet, ſi advertenter. & mortaliter illicitè conſecrâſſet Hoſtiam fermentatam. Ratio eſt: quia hujusmodi conſecratio eſt valida, habens materiam eſſentialiter conſtitutivam Sacrificii, conſequenter propter accidentalem ritum Sacrificium nec eſt imperfectum dimittendum, nec alia Hoſtia non fermentata conſecranda, ne in eodem Sacrificio bis fiat conſecratio. DD. communiter cum S. Thom.

§. V.

§. V. Si id adverterit poſt conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſitâ aliâ, faciat oblationem ùt ſupra, & à conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur &c.* & illam priorem ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, vel alii ſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quàm quòd à jejunis ſumatur. *Rubrica.*

31. Hæc Rubrica loquitur, & intelligenda eſt de pane corrupto. Dicit ergo: *Si id adverterit poſt conſecrationem*, id eſt, ſi Sacerdos poſt conſecrationem ſive Hoſtiæ, ſive etiam Calicis adverterit, panem eſſe corruptum: & etiamſi id poſt Hoſtiæ corruptæ ſumptionem adverterit, poſitâ aliâ legitimâ Hoſtiâ faciat Oblationem, ùt *num.* 28. dictum eſt, & à conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis, *Qui pridie &c.* atque hac conſecratione facta, deinde pergat

gat ab eo loco, ubi deſiit. Ex his aliqua quædam quæri poſſunt: & quidem

31. Quæritur *primò* : cur incipiendum ſit à verbis, *Qui pridie &c.* cùm tamen hæc verba non ſint de eſſentia conſecrationis? ℞. 1. Satis eſſe, quòd hæc ſit diſpoſitio Eccleſiæ; unde & hìc Plato quieſcere jubet. ℞. 2. Ideo ab his verbis incipiendum eſſe, quia conducunt ad clariorem ſenſum verborum eſſentialium, quæ Sacerdos profert in perſona Chriſti.

33. Quæritur *ſecundò* : quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi poſt conſecrationem Calicis advertit, Hoſtiam eſſe corruptam, nec aliam poteſt habere? ℞. Sacerdotem debere proſequi Miſſam, & abſolvere, prætermittendô verba & ſigna, quæ pertinent ad ſpecies panis; quod idem dicendum, ſi poſt legitimam Hoſtiæ conſecrationem advertitur, non adeſſe, nec haberi poſſe vinum. Ità DD. comuniter, Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. Averſa &c. éſtque hoc conforme Rubr. Miſſal. Rom. *tit.* 4. §. 8. de qua *tit. ſeq.* §. *VIII.* Ratio autem eſt: quia etſi in hoc caſu Sacrificium ſit mutilum & imperfectum, non poteſt tamen Sacerdoti talis defectus imputari; quia, ùt ſupponimus, nec ante prævidit, neque poſtquam advertit, poteſt eum vitare. Quòd ſi prævideret defectum,

 al-

alterius ſpeciei non ſupplebilem, e. g. ſi ante Conſecrationem Hoſtiæ defectum vini, & impotentiam illud acquirendi prævidiſſet, nulla ratione poſſet licitè Hoſtiam conſecrare; ſecus, graviter quidem peccaret conſecrandô alteram; teneretur tamen facta unius ſpeciei conſecratione, proſequi Miſſam, *ùt ſupra*, & conteri de peccato ſuo. Ità DD. communiter.

34. Quæritur *tertiò* : cur Rubrica dicat, Hoſtiam corruptam *ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, vel alibi reverenter conſervet* ? ℟. ideo: quia hujuſmodi Hoſtia corrupta vel acquiſivit quoddam eſſe ſacrum per oblationem & conſecrationem quamvìs invalidam : vel, quia fieri poteſt, ut revera non ſit omnino, & ex integro corrupta, & ibi ſit Corpus Chriſti. Quarti hìc in *Expoſit. lit*. Porro, ſi Sacerdos Hoſtiam corruptam jam ſumpſit, debet nihilominus aliam Hoſtiam, facta priùs oblatione, conſecrare, *ùt ſupra*, debétque eam ſumere, quamvìs non ampliùs jejunus; quia, ùt ait Rubrica, præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quàm quòd à jejunis ſumatur. Cæterùm, iſthæc Rubrica loquitur de advertentia panis corrupti ante ſumptionem S. Sanguinis; & in hoc caſu, quamvìs novus

panis,

Digitized by Google

panis, ſeu Hoſtia conſecrari debeat, nova tamen conſecratione vini opus non eſt; quia etſi non ſervatus ſit debitus ordo in conſecratione, ſuppletur tamen hic defectus in ſumptione, dum priùs ſumitur Corpus, deinde Sanguis. Quarti in *Expoſit. lit. ad* §. *VI.*

§. VI. Quòdſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta priùs oblatione, ùt ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendô ab illis verbis, *Qui pridie &c.* ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo. *Rubrica.*

35. Exhibet hæc Rubrica modum ſupplendi, ſi defectus Hoſtiæ, id eſt, ſi Hoſtia corrupta deprehenditur primùm poſt ſumptionem Sanguinis. Cùm verò dicat: *apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua*, quæritur, utrùm modus iſte ſupplendi cadat ſub præcepto, ità ut præter novam Hoſtiam, novum quoque vinum conſecrari debeat, non obſtante, quòd

prius vinum validè conſecratum jam fuerit? ℟. Sententia probabilior docet, non oportere in hoc caſu conſecrare novum vinum, neque hoc cadere ſub præcepto. Ità Angelus ℣. *Miſſa. n.* 17. Scotus, Navar. Henriq. & alii plures, quos citat, & ſequitur Averſa *q.* 11. *de Sacrif. ſect.* 16. apud & cum Quarti cit. *ſect.* 2. *dub.* 2. Ratio eſt: tum, quia ex Jure communi traditur regula, nempe in talibus caſibus nihil eſſe iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum: tum, quia, ſi de novo fit conſecratio utriusque ſpeciei, de novo conficitur integrum Sacrificium, non autem perficitur priùs inchoatum, ſed imperfectum relinquitur; poſita enim nova utriusque ſpeciei conſecratione hoc Sacrificium habet ſuas partes eſſentiales completas, & prior unius ſpeciei conſecratio remanet ſola, & imperfecta absque ſua comparte. Econtra per conſecrationem & ſumptionem alterius tantùm (quæ ſola deerat) ſpeciei perfectè completur, & integratur Sacrificium, quod inchoatum & dimidiatum fuerat. Unde

30. Ex hoc intelligi datur, Rubricam hanc, *de novo vino ponendo*, non eſſe præceptivam, ſed directivam: nec mirum eſſe debet; quia Rubricæ de Defectibus

Miſſæ

Digitized by Google

Miſſæ *reduplicativè ſumptæ*, ex comuni DD. ſententia non ſunt ſpeciales Conſtitutiones inducentes novam obligationem, ſed ſunt ſecundùm ſe propriè directivæ, meræque inſtructiones doctrinales de ſupplendis defectibus Miſſæ, vel ex præſcripto SS. Canonum, vel ex doctrina Theologorum, quam ſuæ naturæ relinquunt, & probabilitati, quam habent ex ſuis principiis. Nec obſtat, quòd aliquando in eisdem hiſce Rubricis declaretur, graviter vel graviſſimè peccare facientes oppoſitum ejus, quod ibi præſcribitur; hæc quippe declaratio non fundatur quaſi in præcepto ſpeciali à Rubrica lato, ſed declaratur duntaxat obligatio SS. Canonum, Juris communis, vel etiam Juris Divini &c. juxta qualitatem materiæ. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. ℣. *Ad primam Confirmationem*, Lezana, Pellizar. Vid. etiam Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. *§.* 1. *n.* 3. Secus eſt de Rubricis Miſſalis ex præcepto S. Pii V. in actu Celebrationis ſervandis: hæ enim ſunt conſtitutivæ Rituum & Cæremoniarum, ex quibus tanquam partibus ipſa Miſſa juxta formam S. Eccleſiæ componitur; defectus autem non ſunt partes Miſſæ, ſed caſu, vel negligentiâ &c. contingunt, quibus proin ritè ſupplendis pro-

ponitur modus conformiter Juri Divino, SS. Canonum præſcriptis, ac Theologorum doctrinæ.

37. Sed quid, *primò*, ſi defectus contingit in utraque ſpecie, putà, ſi nec adeſt panis triticeus, nec vinum de vite? ℞. 1. Si Sacerdos hoc advertit ante Conſecrationem, & expectandô aliquamdiu poteſt habere materiam aptam quoad utramque ſpeciem, expectare debet, & conſecrare in materia apta, factâ priùs oblatione &c. ſi autem non poteſt habere utramque, omittenda erit Miſſa. Ità DD. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 4. Ratio eſt: quia nunquam, nec ad vitandam mortem, minùs ad communicandum infirmum, licitum eſt, per ſe & directa intentione unam ſpeciem ſinè altera conſecrare. Idem Q. *Proœm. ſect.* 2. *punct.* 5.

38. ℞. 2. Si Sacerdos poſt Conſecrationem advertit, panem eſſe corruptum, & vinum non eſſe de vite, & conſequenter utriusque ſpeciei conſecrationem invalidam eſſe, idem faciendum eſt, quod mox in Reſp. I. dictum eſt. Unde etiam Suarez cit. ℣. *Secundò etiam.* ait: Si forraſſe Sacerdos ex defectu intentionis, vel formæ neutram ſpeciem conſecravit, tenebitur ſecretè iterare & conſecrare, antequam

ſumat,

ſumat, & quàm primùm poſſit: non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium ſubſtantialiter inchoatum, quia hoc revera nondum obligat; ſed ex vi præcepti non fingendi aliquid falſum in hoc miniſterio; & conſequenter perſeverandi in inchoata fictione: nec ſumendi potum & cibum per modum Sacramenti, quod verum Sacramentum non eſt: nec dandi aliis occaſionem adorandi merum panem & vinum. Hæc ille.

39. R. 3. Si Sacerdos defectum utriusque materiæ ineptè & invalidè conſecratæ, poſt ſumptum jam panem aut vinum, advertit, nec tenetur, nec poteſt in alia materia conſecrationem ſupplere. Suarez *ubi ſupra*, Bonac. Averſa, & communis. Quòd *non teneatur*, ratio eſt: quia tunc revera non fuit factum, nec perfectum, nec imperfectum Sacrificium, ſed totum fuit fictum: & ideo tunc non obligat præceptum de integrando, ſeu perficiendo Sacrificio. Quòd autem *non poſſit* in alia materia conſecrationem ſupplere, ratio eſt: quia non eſt jejunus, nec ulla urget neceſſitas. Poterit ergo in hoc caſu Sacerdos ad vitandum ſcandalum recitare Orationes, ſeu Poſtcommuniones (omiſsîs, quantùm fieri poteſt, verbîs, quæ percep-

Digitized by Google

xionem Sacramenti ſignificant) & data Benedictione legere Evangelium S. Joannis more ſolito. Suarez cit. Vid. etiam in ſimili infra *num.* 79.

40. Quid *ſecundò*, ſi dubitatur de defectu ſubſtantiali panis vel vini? Ante ℞. nota, hanc Quæſtionem verſari circa dubium rationabile, & ex ſufficientibus indiciis, non autem ex inani ſolummodo ſcrupulo ortum. H. N ℞. 1. Si dubium hoc occurrit ante conſecrationem, tenetur Sacerdos ſub peccato mortali, remotâ illâ materiâ dubiâ, aliam aſſumere, & facta priùs oblatione, conſecrare, præſertim ſi dubium eſt negativum. Ratio eſt: quia aliàs exponitur Sacrificium & Sacramentum periculo irritationis, quod eſt grave ſacrilegium. Et certè, ſi Sacerdos panem, ſeu Hoſtiam corrumpi incipientem, ſed nondum corruptum conſecrans graviter peccat, ùt *num.* 22. vidimus, & docent communiter DD. ergo à fortiori in hoc caſu, quando dubium eſt, an panis ſit corruptus, graviter peccat conſecrans. Vid. etiam ſupra *num.* 19. Dictum eſt autem, *præſertim, ſi dubium eſt negativum*; licèt enim aliqui excuſent à peccato conſecrantem depoſitô dubiô, ſi ſit probabile, panem nec eſſe corruptum, nec in via ad corruptionem,

nem, ſeu aliàs materiam eſſe aptam, quamvis cum formidine de oppoſito, hæc tamen ſententia admitti non poteſt, ſive dubium ſit poſitivum, ſive negativum, an panis ſubſtantialiter ſit corruptus, idque ob Propoſitionem I. ab Innocentio XI. damnatam, quæ ità ſonat: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

41. ℞. 2. Si dubium occurrit poſt conſecrationem, & eſt dubium negativum, an materia conſecrata fuerit apta, nec ne, idem agendum eſt, quod *num. præc.* dictum. Averſa *de Sacrif.* apud Quarti cit. *dub.* 5. & videtur communis. Ratio eſt: quia Sacerdos tenetur jure divino conficere Sacrificium integrum & perfectum, ac ſaltem probabiliter judicare, Sacrificium quod offert, eſſe tale; atqui in dubio negativo ne quidem probabiliter judicare poteſt, Sacrificium ſuum eſſe integrum & perfectum, cùm probabile dici nequeat, quod omni probabilitate deſtitutum eſt: ergo. Adverte tamen; quamvìs Sacerdos in hoc caſu teneatur novam materiam conſecrare, hoc tamen facere debet non abſolutè, ſed ſub conditione; nec removenda, ſed retinenda eſt prior materia ſeu Hoſtia, de qua dubitatur, an ſit validè conſecrata, nec

ne. Si autem quæris, quanam ex his duabus Hoſtiis ritus, e. g. ſigna Crucis, fractionem &c. exercere, quámque ante ſumptionem Sanguinis ſumere debeas? ℞. det Quarti cit. ℣. *Ad rationem.* dicens: Si ſcitur, unam ex duabus Hoſtiis eſſe conſecratam, neſcitur autem quænam, ritus exerceri poſſunt unâ ex illis ad libitum Sacerdotis, & quoad ſumptionem poteſt utraque ſimul ſumi. Ratio eſt: quia non eſt major ratio de una quàm de altera, cùm de utraque æqualiter dubitetur, quænam ſit conſecrata. Nec obſtat fractio jejunii; quia magis urget, & præferri debet præceptum integritatis Sacrificii, ùt cum D. Thom. docent DD. communiter; utraque etiam ſumi poteſt ante Sanguinem, ut ſervetur debitus ordo, quia ceſſat præceptum jejunii ratione neceſſitatis. Ità ille.

42. ℞. 3. Si dubium eſt poſitivum, & occurrit poſt conſecrationem, quia nempe Sacerdos probabiliter judicat, materiam fuiſſe aptam, quamvis dubitet de oppoſito, in hoc caſu debet dubium prudenter deponere, & proſequi Sacrum, nihil iterandô. Quarti cit. *dub.* 5. conformiter D. Thom. *ibid.* cit. Ratio eſt: quia ex ratione verè probabili poteſt ferre judicium

pro

pro ſufficientia materiæ & valore Sacramenti, qua ratione valde minuitur dubium; nec ſinè certo fundamento (peracta jam conſecratione) turbandum eſt Sacrificium, ejúsque ordo, maximè, quia in dubio facti melior eſt conditio poſſidentis, id eſt Hoſtiæ conſecratæ, donec probetur, fuiſſe corruptam. Vid. in ſimili Tambur. *de Sacrif. l. 2. c. 8. §. 5. n. 6.*

43. Dices, hoc adverſari Rubricæ *p.* 3. *tit.* 5. *n.* 2. ubi dicitur: *Si* (Sacerdos) *valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione:* ergo. Ante ℟. ſciendum eſt, *Dubium poſitivum* aliud eſſe *probabile*, aliud *valde probabile*. *Probabile* eſt, cujus utraque pars nititur gravi fundamento, quod oppoſita ſententia non convincit. Dubium *valde probabile* eſt illud, quando una pars nititur tali fundamento, contra quod non poteſt dubium rationabiliter deponi in alteram partem, tametſi videatur habere probabilitatem apparentem (vid. Quarti *p.* 3. *tit.* 5. *n.* 2. *in Expoſit. lit.*) unde hæc altera pars dicenda eſt opinio tenuiter probabilis, ſeu talis, quæ habet probabilitatem apparentem, dicitúrque opinio dubiæ probabilitatis, prout notat Reiffenſt. *tr.* 1. *diſt.* 3. *q.* 4. §. 1. *n.* 46. H. N. ℟. negandô Antecedens,

dens; quia Rubrica cit. loquitur de caſu, quando Sacerdos dubitat *valde probabiliter*, nixus fundamento gravi, contra quod non poteſt dubium rationabiliter deponere in alteram partem tenuiter ſolummodo probabilem; & in hoc caſu deberet Sacerdos ſupplere defectum ſub conditione, ſaltem mente retenta, ùt *num. præc.* dictum. Secus eſt in noſtro caſu, prout conſideranti patet. Alia videri poterunt *infra Tit. V.* §. 2.

§. VII. Si Hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, ùt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendô, *Qui pridie, quàm pateretur &c.* facta ejus priùs oblatione, ùt ſupra. *Rubrica.*

44. Docet hæc Rubrica, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi Hoſtia conſecrata diſparet, quod dupliciter fieri poteſt, ſcilicet vel caſu, e. g. ventô, aut ſi ab aliquo animali auferatur: vel fieri poteſt miraculô, ſeu divina virtute, e. g. ſi in Altari, vel in manibus Sacerdotis apparet Chri-

ſtus

ſtus in forma parvuli, vel caro, aut Sanguis: vel ſi ſpecies Evchariſticæ ad correptionem Sacerdotis indignè celebrantis diſparent, qualiter Sacerdoti cuidam Theutonico contigiſſe, narrat Petr. Cluniac. *l.* 1. *de Miracul. c.* 2. & ex eo Rodriquez. Nos inpræſentiarum non inquirimus, qualiter dictæ apparitiones fiant, & utrùm Corpus Chriſti adhuc permaneat, ſi locò Hoſtiæ conſecratæ Chriſtus in forma parvuli &c. apparet, hoc enim, Doctoribûs diverſimodè opinantibûs, Quarti *p.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 3. *dub.* 4. breviter reſolvit, dicens: Quando Sacramentum videtur verti in puerum, aut carnem & ſanguinem, regulariter loquendô, adhuc manet ibi Chriſtus Sacramentaliter. Ità Suarez *diſp.* 55. *ſect.* 3. Coninch, Lugo, & alii communiter apud ipſum. Ratio eſt: quia non videtur credibile, ea miracula, quæ fiunt ad oſtendendam veritatem præſentiæ Chriſti in hoc Sacramento, deſtruere ipſam præſentiam tunc, quando maximè Chriſtus ſe manifeſtat præſentem. Confirmatur ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ Hoſtias conſecratas mutatas in colore carneo, & ſanguineo diu conſervat, & veneratur ùt verum Evchariſtiæ Sacramentum. Aſt de hoc, ùt dictum, hìc non inquirimus, bene verò, utrùm

utrùm Rubrica hæc ſit præceptiva; item; quid Sacerdoti in hujusmodi caſûs emergentia ſit agendum & obſervandum. Sit ergo

45. ℞. 1. Si Hoſtia conſecrata diſparet caſu aliquo, e. g. vento &c. ità, ut reperiri nequeat, alia Hoſtia conſecrari debet, facta priùs oblatione, ùt ſupra. Ità ex probabiliori & tutiori DD. ſententia Quarti in *Expoſit. lit.* hìc. Ratio eſt: quia id exigere videtur integritas Sacrificii, ſcilicet, ut Sacerdos utramque materiam non ſolùm conſecret, ſed etiam, quantùm fieri poteſt, conſecratam utramque ſumat, & hoc conformiter Rubricæ præcitatæ.

46. ℞. 2. Si Hoſtia ſola (idem reſpectivè & in ſimili intellige, & dic de Sanguine ſolo) diſparet, id eſt, ſi mutatio miraculoſa fit in ſola Hoſtia, ità ut appareat Chriſtus ſub ſpecie pueruli, vel ut appareat caro & ſanguis, probabiliùs eſt, non eſſe præceptum, ſed ſolùm conſilium, ut Sacerdos novam Hoſtiam conſecret & ſumat. Ità D. Thom. Cajet. Sylv. Soto cum aliis apud & cum Quarti cit. *p.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 3. *dub.* 5. Ratio eſt: quia, cùm Chriſtus tunc conſtituat Sacramentum in eo ſtatu, ut ſumi non poſſit, videtur diſpenſare in lege, qua præcipitur ſumptio. Contrarium

rium tamen docent alii cum D. Antonino *ibid.* videlicet, quòd Sacerdos teneatur novam materiam conſecrare & ſumere, ſervatâ illâ, in qua accidit miraculum; quia ex præcepto Divino Sacerdos tenetur ſumere Sacramentum ſub utraque ſpecie ob integritatem Sacrificii. Cùm igitur in hoc puncto Doctores diverſi ſint, poterit Sacerdoti in caſûs emergentia pro praxi ſervire effatum Quarti cit. dicentis: *Poteſt Sacerdos conſecrare novam materiam & ſumere, non tamen tenetur.*

47. ℞. 3. Quando fit mutatio in ſpeciebus conſecratis, & ibi apparet caro, vel ſanguis, non debet ſumi Sacramentum ità mutatum, ſed aſſervari. Ità D. Thom. & patet ex uſu Eccleſiæ, & communi DD. ſententia. Si verò ſpecies redirent ad propriam formam panis vel vini, debent ſumi, ſicut aliæ conſecratæ; quia tunc non eſt dubium, ibi contineri Corpus Chriſti ſacramentaliter, in quo omnes conveniunt.

48. ℞. 4. Si miraculoſa mutatio contingit in utraque ſpecie, tunc non urget præceptum novam materiam conſecrandi & ſumendi: imò nec licitè poſſet de novo conſecrari utraque ſpecies. Ità *quoad* 1. *partem* Suarez *diſp.* 55. *ſect.* 4. *in fine.* citans

Palud.

Palud. Cajet. Soto, Sylveſt. &c. *2dam* tenet Quarti *ibid.* Ratio *primæ partis* eſt: quia in hujusmodi caſu non poteſt impleri tale præceptum reſpectu ejusdem Sacrificii quoad ſpecies conſecratas, quia, ùt ſupponitur, ſumi non poſſunt: conſecrare autem de novo utramque ſpeciem, non eſſet prius Sacrificium conſummare, ſed aliud omnino diſtinctum offerre, quod vi prioris conſecrationis non eſt præceptum; ergo. Ratio *2dæ partis* eſt: quia extra certos caſus, non poteſt quis eodem die bis celebrare, neque apparet, eo miraculo in hoc præcepto diſpenſari. Vid. etiam de hac materia Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *ſect.* 1. *n.* 124. *& ſeqq.*

TITULUS IV.

De Defectu Vini.

§. I. Si vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis ſeu non maturis expreſſum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum ſit corruptum, non conficitur Sacramentum. *Rubrica.*

Digitized by Google

49. MAteriam neceſſariam, & ſuffi-cientem Eucharistiæ (quoad conſecrationem Calicis) eſſe ſolum vinum de vite, apud omnes certiſſimum eſt *ex Concil. Florent. in Decret. Union.* Sporer. *Theol. Sacram. p. 2. c. 3. ſect. 2. n.* 150. dictúmque eſt ſupra *num.* 9. Unde hoc loco ſolummodo videre eſt, qualenam vinum ſit materia apta, & quale inepta Conſecrationis. Priùs tamen notes, velim, ſcrupuloſam propemodum eſſe diſputationem illam, quando anxiè quæritur, quænam vini quantitas pro Conſecratione in Calicem ponenda ſit. Ecce! Rubrica *p. 2. tit. 7. n.* 4. dicit; Sacerdos *ponit vinum in Calicem*, ubi nihil determinat, ſed quantitatem Sacerdotis arbitrio relinquit. Pone igitur, quantum volueris, ſive multum ſive parùm fuerit. Attende tamen, ut, ſi parùm poſuiſti, tantæ hoc ſit quantitatis, quatenus modicam aquam cum vino miſcendam excedat, prout infra *n.* 58. dicturi ſumus. H. N. ſequitur

50. Materia apta eſt quodcunque vinum de vite, ſive album, ſive rubrum, ſive ex utroque mixtum, cujuscunque Regionis, vel geniminis: ſive naturâ ſuâ generoſum, ſive debile: ſive differant inter ſe ſpecie phyſica (ùt opinatur Ariſtoteles)

Digitized by Google

ſive accidentaliter tantùm. Sporer cit. *n.* 155. Suarez, Fagund. Averſa, Vaſq. & alii communiter. Ratio eſt: quia quodlibet horum, ùt ſupponitur, habet veram & eſſentialem rationem vini: & nihil eſt, unde colligi poſſit, unam potiùs, quàm aliam ſpeciem inſtitutam eſſe; quin imò ex praxi Eccleſiæ de oppoſito conſtat. Item, eſt materia validè & licitè conſecrabilis, vinum miraculosè productum, ùt illud à Chriſto ex aqua factum in nuptiis Canæ Gallileæ. Sporer cit. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 3. *n.* 22. Ratio eſt: quia adhuc eſt vinum vitis quoad ſubſtantiam, etſi non quoad modum generandi, éſtque, ùt ſupponitur, verè vinum ex natura ſua, & per ſe potabile, atque in ſua ſpecie perfectum. Item, etiamſi plura ac varia vina ſimul miſceantur, talis mixtura foret ſufficiens materia conſecrationis. Averſa. Ratio eſt: quia tale vinum eſt verum vinum de vite. Item, ſi vinum aliquid de ſulphure, lacte, aut de alia materia ſibi temperatè admixtum habeat ad conſervanda ſua accidentia connaturalia, validè conſecraretur; cùm per hoc non ceſſet eſſe vinum uſuale, ſed potiùs per ea media ad uſum conſervatur, ùt advertit P. Boſco. Nihilominus ſi vino admiſceantur tam acria,

im-

Digitized by Google

impura, ac copioſa confortamenta, ut eorum impuritas prævalens linguæ, & palato alliſa hæreat cum nauſea ſumentis, tunc probabiliùs eſt, tale vinum illicitè conſecrari; eo tamen in caſu non peccat plerumque Sacerdos, utpote non diſcernens illud ante Miſſam, ſed Oenopola, qui cupiditate lucri voluntaria cauſa exiſtit hujus mixturæ, ac propterea graviter reprehendendus in Confeſſionali. Aquilin. Aman. *n.* 564.

51. Econtra Materia validæ Conſecrationis non eſt, ſi vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, ſeu non maturis expreſſum: vel ſi vino admixtum ſit tantum aquæ, ut vinum ſit corruptum. *Rubr. cit.* Item, non eſt materia ſufficiens, quidquid non procedit de vite, nec eſt vinum propriè dictum, e. g. vinum ex moris, pyris, granatis &c. Item, Sapa, id eſt, muſtum valde (putà, ad tertiam, vel dimidiam partem) decoctum, & condenſatum (vulgò, eingeſottner Wein) quia jam non eſt vinum, neque materia potûs, ſed vel merus cibus, vel condimentum ciborum. Henriq. Fagund. Lugo &c. Sporer cit. *n.* 153. Item Lora (vulgò, Treſterwein) quæ fit ex aqua infuſa in vinacea, ſeu uvas jam

expreſſas, quæ ſecum trahit vini reliquias in vinaccis relictas, colorem & aliquem ſaporem vini habens. Ità Sylv. Lugo, Bonac. & DD. communiter. Ratio eſt: quia ſimpliciter non habet vini ſubſtantiam, neque poteſt vocari vinum, ùt patet ex Plin. *l.* 4. *c.* 10. & revera lora eſt ſimpliciter aqua quoad ſubſtantiam, & parùm de vino participat. Item, uvæ ipſæ vinum continentes non ſunt materia Conſecrationis, ùt habetur *c. Didicimus. De Conſecrat. d.* 2. Sporer cit. Ratio eſt: tum, quia uvæ non ſunt potus, ſed verus cibus; tum, quia vinum in uvis incluſum non eſt per ſe, & directè demonſtrabile, & conſequenter non conſecrabile; eſt enim ſuccus in uvis tanquam pars, ſicut ſanguis in homine. Idem de vino in pane imbibito intellige. Sporer *n.* 154. quamvis quoad hoc ultimum contrà ſentiat Aquilin. Aman. *n.* 568. dicens, vinum imbibitum tantùm localiter contineri in pane, ſolúmque contiguum eſſe partibus panis, ac proin demonſtrabile, ſicut vinum contentum in ſpongia; imò proximè potabile eſſe, conſideranti patet. Ità ille. Secus eſt de vino contento in uvis, aut in juſculo; quia habet ſe per modum cibi, non verò per modum potûs. Idem *n.* 563.

Porro

Porro, conſecrari nequeunt lacrymæ vitis, acetum, vinum aduſtum &c. quamvìs enim tales liquores de vite proveniant, revera tamen non ſunt vinum, ſed alius quidam liquor antecedens, vel conſequens veram formam vini. Reiffenſt. cit. *n.* 20. Item mulſum, ſeu vinum melle, ſaccharô, butyrô, vel aliîs aromatibûs &c. conditum & decoctum, nec licitè nec validè conſecrari poteſt.Ità Fagund. Henriq. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 4. *dub.* 5. Ratio eſt: quia tale vinum, ùt fieri ſolet, per decoctionem mutat ſpeciem, & non eſt abſolutè vinum; vel ſaltem non eſt moraliter vinum quoad communem uſum. Cæterùm notandum eſt, quod idem *ibid.* addit, dicens: Colligitur univerſaliter, vinum aliîs ſuccîs imbutum, eſſe vel ſaltem fieri poſſe materiam dubiam, & illicitè conſecrari: tanta enim poteſt eſſe mixtio, ut nullum, aut dubium reddat Sacramentum. Quòdſi modicum quid alieni liquoris admiſceatur, erit validum Sacramentum, ſed graviter peccat conficiens propter irreverentiam, ùt in ſimili diximus de tritico admixto cum granis alienæ materiæ. Unde etiam Sporer *n.* 158. docet, vinum aromatibûs &c. conditum (ſiquidem ità modicè ſit conditum vel permixtum, ut ſubſtantiam vini notabili-

ter & ſenſibiliter retineat) validam manere materiam Conſecrationis, etſi ſemper graviter illicitam contra præceptum, vel conſuetudinem Eccleſiæ.

52. Quæres, quid ſentiendum ſit de hoc caſu. Solet in aliquibus locis (ùt refertur) fieri vinum cum infuſione aquæ in muſto, vel in racemis, antequam exprimantur, poteritne tale vinum conſecrari? ℟. cum diſtinctione, ſcilicet: ſi parùm aquæ multo muſto infundatur, certum eſt, validè & licitè conſecrari poſſe. Ratio eſt: quia eſt verum vinum uſuale. Ità Vaſq. *diſp.* 175. Si verò infundatur aqua in quantitate notabili, ex circumſtantiis judicandum erit, an valeat, vel liceat Conſecratio; videlicet ex vigore vini & proportione aquæ. Si enim illa potio retineat vini ſubſtantiam, ità ut dubitari non poſſit, eſſe verum vinum, erit valida & licita conſecratio; quia aqua abſorbetur à vino: ſecus, ſi vinum ſit tenue; quia interdum poterit eſſe materia dubia ad valorem ob periculum corruptionis vini: interdum verò illicita quoad uſum, ob irreverentiam admixtionis materiæ ſuperfluæ, & contra uſum Eccleſiæ. Ità Henriq. Filliuc. Vaſq. Averſa.

53. Quæres denuo, quid agendum, ſi

Digitized by Google

ſi vinum ità ſit alteratum, ut diſcerni nequeat, & verè ſit dubium, num adhuc ſubſtantialiter vinum, vel acetum ſit? ℞. nunquam licere in tali vino conſecrare citra graviſſimum ſacrilegium, nequidem in neceſſitate, e. g. ut populus audiat Sacrum die Feſto, aut ei detur Communio Paſchalis, aut moribundo Viaticum. Sporer cit. *n.* 157. Ratio eſt: quia plùs urget reverentia tanto Sacramento debita, & certam materiam poſtulans, quàm præceptum audiendi Sacrum, communicandi in Paſchate, aut etiam Viaticum ſumendi. Vid. ob paritatem rationis dicta *n.* 19. & dicenda *n.* 55. Quòdſi tamen Sacerdos advertat (ſed ſub dubio) id, quod poſuit in Calice, fuiſſe acetum, idque *poſt ſumptionem Calicis,* ſibi perſuadeat, fuiſſe vinum; quia poſſidet ſubſtantia vini, & pro ipſo in dubio eſt præſumendum. Tambur. *de Sacrif. lib.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 6. addens: idem puto, ſi in dubium incidat poſt Conſecrationem; ne ſinè certo fundamento turbetur Sacrificium, ejúsque ordo: & ex alia parte pariter tunc poſſidet ſubſtantia vini. At ſi dubites ante Conſecrationem, vel deponere prudenter debes dubium, vel mutare vinum, ne exponas te periculo non conſecrandi. Quòdſi non poſſit inveniri, vel

Digitized by Google

certè difficillimè, vel cum notabili populi offenſione vinum: ſi non eſt inceptus Canon, & tutiùs, ſi non eſt incepta Conſecratio, deſiſtas: ſi eſt incepta, præſumas eſſe vinum, & progreditor. Ità Tambur.

54. At, inquies, quid faciam, ſi in actuali ſumptione Calicis adverto, locò vini eſſe poſitum acetum, vel aquam? ℞edet idem Tambur. cit. *n.* 4. dicens: Illud adverte, Sacerdotem, ſi defectum talem agnovit, dum habet in ore illam aquam, ſeu acetum, non debere ea proiicere, ſive exſpuere; quia eſſet irreverentia, & fortè periculum eiiciendi aliquod fragmentum aſſumptæ Hoſtiæ. Deglutiat igitur, & poſitô in Calice vinô cum aqua conſecret (facta priùs oblatione) ſumátque, nihil curans, quòd per illam aquam vel acetum jejunium naturale fregerit; quia ſic Sacramenti reverentia tunc expoſcit. Ità ille, quod etiam docet Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. ℣. *Ad primam confirmationem.* Quarti *p.* 3. *tit.* 4. *dub.* 13. citans Coninch, Averſa &c. quibus accedit Aquilin. Aman *n.* 747. Ratio eſt: quia præceptum Divinum de perficiendo Sacrificio plùs obligat, quàm Eccleſiaſticum, ne non jejunus ſumat Corpus, aut Sanguinem Chriſti. Cæterùm, poſſet hìc quæri, an vinum congelatum validè,

&

& licitè conſecrari valeat? Sed de hoc infra, *Tit.* 10. §. *XI.*

§. II. Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantùm acre, vel muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat. *Rubrica.*

55. Rubrica hæc plures complectitur particulas; & *primò* quidem dicit: *Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Ubi notandum eſt, hujusmodi mutationem, ſeu tranſitum vini in acetum incipere ab alteratione accidentium, qua paulatim deſtruuntur accidentia propria vini, & introducuntur qualitates aceti, quod deſumi poteſt ex ſapore, & odore, & maximè, ſi vinum notabiliter muceſcit. Eſt autem hìc diſtinguendum inter vinum aliqualiter acidum, & inter vinum notabiliter acidum. De hoc Gobat *Theol. Exper. tr.* 3. *num.* 54. apud Sporer cit. *n.* 157. ſic ſcribit: Vinum aliquantulùm aceſcens, deficiente

 alio,

Digitized by Google

alio, adhiberem ſinè ſcrupulo nixus authoritate Suarii hìc *diſp.* 85. *ſect.* 2. accenſentis levioribus defectibus, ſi vinum ſit aliquantulùm acidum: nixus & praxi ſatis communi Parochis ruralibus: at valde notabiliter acidô non uterer. Hæc ille, conſentiente Sporer cit. & rectè; quia vinum valde notabiliter acidum, ſive ſemicorruptum conſecrare, cedit in irreverentiam SS. Sacramenti, & conſequenter conficiens, conformiter Rubricæ, graviter peccat.

56. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si vinum fuerit aliquantùm acre, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Ubi rurſus notandum, aliud eſſe vinum *acidum*, aliud *aliquantùm acre*. Vinum *acidum* dicitur, quod eſt in via ad corruptionem, & tranſitum in acetum. Vinum autem *aliquantùm acre* dicitur, quod fuit expreſſum ex uvis maturis quidem, ſed non perfectè maturis, & aliquantulùm acerbis; unde eſt verum vinum, ſed aliquantulùm acre, éſtque imperfectum: non quia eſt in via ad corruptionem, ſed ob imperfectam, ſeu non omnino maturam generationem. Eſt ergo valida conſecratio, quia illud eſt verum vinum: eſt autem illicita, quia vinum eſt imperfectum, conſequenter con-

tra

tra reverentiam Sacramenti; quia imperfecta materia adhibetur ad ejus uſum. Ità Quarti in *Expoſ. lit.* hìc.

57. *Tertiò*, dicit Rubrica: *Si vinum fuerit muſtum de uvis tunc* (id eſt, recenter) *expreſſum, conficiens graviter peccat.* Ratio eſt; quia, licet ſit verum vinum, nihilominus eſt impurum, & fæculentum, ideóque indecens. Quòd muſtum hujusmodi ex uvis recenter expreſſum validè conſecretur, eſt communis DD. cum D. Thoma 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 3. Scoto 4. *d.* 11. *q.* 7. *n.* 1. & habetur *c. Cùm omne crimen. De Conſecrat. d.* 2. eſt etenim verum vinum. Quamvìs autem graviter peccaret, qui absque neceſſitate in muſto conſecraret, videtur nihilominus (inquit Aquil. Aman *n.* 564.) culpam gravem non committi, ſi ſit ſaltem à potiori defæcatum, & non adeò impurum. Imò ſi adſit neceſſitas conſecrandi, & deſit vetus vinum, ſinè ullo peccato Conſecratio fieri poterit in muſto, utì clarè ſignificat Pontifex *cit. cap.* dicens; *Sed ſi neceſſe ſit, botrus in Calice comprimatur.* Unde facilis eſt reſolutio caſûs, ſi quæritur, quid faciendum Parocho, vel Sacerdoti celebraturo, quando in aliquo pago nullum habetur vinum, habet tamen Parochus, vel alius circa domum ſuam pendu-

las

Digitized by Google

las è vite uvas maturas? ℟. dет Sporer *num.* 156. Si Sacrum faciendum eſt ex obligatione, utpote die Dominico, vel Feſto, & maximè pro Viatico moribundi, poterit ſinè peccato unam, alterámve uvam comprimere pro ſuo Sacro; certè autem non item, ſi ex ſola devotione celebrare vult: Pontifex enim ait, *ſi neceſſe ſit*, & patet ex dictis.

58. *Quartò*, dicit Rubrica: *Si non fuerit admixta aqua, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Ex quo conſtat, Rubricam hanc cadere ſub gravi præcepto, jure Eccleſiaſtico tantùm (ùt cum Scoto tenent DD. communiſſimè apud Quarti *p.* 2. *tit.* 7. *ſect.* 2. *dub.* 3.) nec fieri poſſe ob parvitatem materiæ peccatum veniale, ùt de ſe liquet. Quæritur ergo, quantum aquæ cum vino miſcendum ſit, Rubrica dicente, *infundens parùm aquæ in Calice*, p. 2. tit. 7. n. 4. ſive, ùt Concil. Florent. (apud Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 4. *n.* 32.) loquitur *Ante Conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet*? Ante ℟. ſupponendum eſt, hanc aquam vino miſcendam debere eſſe naturalem ſeu elementarem in ſubſtantia. Ità D. Thom. *q.* 74. *a.* 3. *ad* 3. éſtque communis; hæc enim ſimpliciter venit nomine aquæ, & hoc ipſo adhibenda eſt, prohibi-

tà

tâ quacunque aliâ aquâ artificiali, ùt *num.* 62. videbimus. H. N. ℟. Quoad quantitatem aquæ vino miſcendam varias eſſe DD. opiniones. *Primò* : Suarez & alii apud Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *n.* 163. affirmant, certum eſſe, ſufficere quamlibet guttulam, dummodo ſatis ſit ſenſibilis: quia eſt vera aqua, & ſufficiens ad totam ſignificationem myſticam ad imitationem Chriſti ; ſignificat enim & repræſentat aqua hujusmodi vino mixta ſanguinem & aquam, quæ de latere Chriſti profluxerunt, juxta Innocent. III. *c. In quadam. De Celebrat. Miſſar.* Item, cùm vinum ſignificet Deum vel Chriſtum, & aqua populum, hinc mixtio aquæ cum vino ſignificat unionem Eccleſiæ, ſeu populi Chriſtiani cum Chriſto capite. Sporer cit. *n.* 160. *Secundò* : Coninch *de Evchar. q.* 74. *art.* 8. *n.* 140. & Laym. communem praxin eſſe ajunt, ut octies vel decies plùs vini ponatur, quàm aquæ: non tamen ſcrupuloſè agendum, quia modicus in alterutram partem exceſſus non eſt curandus. Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 4. §. 1. *n.* 1. *Tertiò* : Card. de Lugo *de Evchar. diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 38. apud Tambur. cit. ait : Etiamſi quinta vel ſexta pars aquæ poneretur, non videtur habendus ſcrupulus; quia non eſt credibile,

vi-

vinum eſſe adeò debile, ut tam modicâ aquâ corrumpatur, ſubintellige, niſi vinum aliunde, maximè à cauponibus abundè adaquatum jam ſit. Curandum eſt ergo, ut non excedatur prædicta quantitas quintæ vel ſextæ partis, nec modicus exceſſus eſt pertimeſcendus; quia non devenitur ad peccatum mortale, niſi ratione periculi corruptionis vini; ſive, ùt loquitur Tambur. cit. *n.* 2. non debet tantum aquæ apponi, ut non poſſis abſolutè dicere, *Hoc, quod eſt in Calice, eſt vinum.* Accipe igitur Regulam, quam idem *ibid. n.* 3. tradit, dicens: *Tanta aqua infundi poteſt, quanta non ſufficit ad corrumpendum, ſeu ad diſtrahendum vinum ab eſſe phyſico, vel certè ab eſſe morali (ut ſic loquar) vini, ità ſcilicet, ut poſſit dici: Hoc, quod eſt in Calice, vinum abſolutè eſt.*

59. Si itaque res ità ſe habet, quid, Sacerdos, trepidas timore, ubi timor non eſt? eſto, quòd impoſueris vini e. g. guttas ſexaginta, & aquæ guttas ſex vel octo, quid tum? nunquid, ſi ſex vel octo guttas vini reſpectu totidem guttarum aquæ ſubtrahis, remanent adhuc quinquaginta duæ guttæ vini, & de ipſo vino in Calice poſito abſolutè dici poteſt, *Hoc, quod eſt in Calice, eſt vinum?* quid ergo times, quid trepidas, quid ſcrupulizas? Dices: In admi-

miniſtratione Sacramentorum, ubi agitur de valore, tutior pars eſt tenenda; ergo. ℟. hoc verum eſſe, quando agitur in dubio de valore; non autem, quando res extra dubium, & ſaltem moraliter certa eſt, ut in hoc caſu, ubi ſecundùm hominum, maximè Doctorum communem, & prudentem æſtimationem eſt abſolutè vinum, quod in calice poſitum eſt. Et certè, ſi hujusmodi ſcrupuloſitatibus condeſcendamus, concedendum tandem erit, quòd ſemper in Sacramentis adminiſtrandis via tutiſſima quærenda & ſectanda ſit; quod neſcio, an ullus Theologorum probaturus, vel ſuaſurus ſit.

60. Oppones, has ſententias eſſe nimis rigidas, & contra Concilium Tiburienſe, in quo conceditur tertia pars aquæ, cum duabus partibus vini. Unde Lohner *de Sacrif. p. 2. tit.* 18. *n.* 4. ſic ſcribit: Ne Sacerdos nimiùm anxius ſit, timeátque, ne nimium aquæ affundat, recordetur, Synodum Tiburienſem approbâſſe factum illius, qui tertiam partem aquæ in Calice miſcuit, teſte P. Gobat *tr.* 3. *n.*61. ubi ipſe quoque conſentit, ſi vinum tam robuſtum ſit, ut tertia parte aquæ affuſâ retineat adhuc ſubſtantiam & nomen vini. Quod etiam Sporer cit. *n.* 163. innuere

vi-

videtur, dicens: Non tamen in hoc ſcrupuloſè agendum eſt, dummodo quantitas aquæ admixtæ tertiam partem vini non excedat; quia alioquin redderet materiam dubiam ob periculum corrumpendi ſubſtantiam vini, præſertim tenuis, & non multùm meraci. Sed ℞. Concilium Tiburienſe fuiſſe Provinciale, non Generale ſeu Univerſale, nec approbatum. Ità Quarti *p.* 2. *tit.* 7. *ſect.* 2. *dub.* 6. *℣. Dicetis.* Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 4. *§.* 1. *n.* 1. Caſtropal. *tr.* 21. *d. un. p.* 5. *n.* 6. apud Aman, *n.* 585. Et eſto, quòd pro ſpeciali conditione, ſeu præſtantia vini illius regionis Tiburienſis potuerit eſſe licitum, ut tertia pars aquæ cum vino miſceretur, defacto tamen ſtandum omnino eſt Concilio Generali Florentino, quo utpote poſteriori jubetur, ut ante conſecrationem modiciſſima aqua vino admiſceatur, atque etiam ab Armenis, ut paululùm aquæ in Calicem mittant, obſervetur. Tambur. Aman citt.

61. Poſſet equidem hoc loco moveri quæſtio, utrùm aqua modica vino miſcenda, priùs in ſubſtantiam vini, & conſequenter mediatè tantùm convertatur in Sanguinem Chriſti? Cùm verò hanc Quæſtionem explanare Theologorum ſit,

non

non autem noſtri fori, duplicem circa hoc DD. ſententiam, ſolummodo referendo adducimus. *Prima* ſententia docet, aquam vino mixtam converti quidem mediatè in Sanguinem Chriſti, ſi videlicet ea priùs ante inchoatam Conſecrationem fuerit converſa in vinum per hujus virtutem; non tamen, juxta probabiliorem ſententiam DD. convertitur aqua immediatè in Sanguinem Chriſti, ſi videlicet tempore Conſecrationis adhuc retinet ſubſtantiam aquæ, & necdum fuit in vinum converſa. Ità Scotus, D. Thom. D. Bonavent. & Alenſis, cum omnibus Thomiſtis & Scotiſtis, ac pluribus Recentioribus apud Reiffenſt. *tr. 14. diſt. 4. q. 4. n. 33.* quibus accedit Auctoritas Innocent. III. *c. Cùm Marthæ. De Celebrat. Miſſar.* Rationes vid. apud citt. *Secunda* ſententia tenet, aquam vino mixtam per accidens etiam immediatè converti cum vino in Sanguinem Chriſti, licèt antea necdum fuerit converſa in vinum. Ità Card. de Lugo, Coninch, Laym. aliique plures, præſertim Recentiores apud eund. Reiffenſt. Quidquid autem ſit de hac ſententiarum diverſitate, ea Celebrantem parùm tangit. Miſceat igitur modicum aquæ vino, & conſecret juxta Chriſti inſtitutionem, ritúmque S. Eccleſiæ, & tota res erit ſalva;

nec ſit ſollicitus, utrùm aqua in vinum converſa ſit, nec ne, ſed ſufficiat ipſi, quòd, quantum in ipſo eſt, rite functus ſit officiô ſuô.

61. Ulteriùs, & *Quintò*, dicit Rubrica: *Si fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Ubi nota, graviter peccare Sacerdotem infundentem in Calicem vel ſolam aquam roſaceam, aut ſimilem artificialem: vel cum aqua naturali adjungentem roſaceam, aut alium liquorem; quia grave peccatum eſt, aliquid miſcere materiis Sacramentorum, præter inſtitutionem Chriſti, & conſuetudinem Eccleſiæ. Quarti cit. *dub.* 5. cum DD. Eſt autem validæ in hoc caſu Conſecrationis ratio: quia vino conſecrando aqua naturalis admiſcenda eſt, non neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti tantùm, non Divini, ſed Eccleſiaſtici, ſub mortali tamen obligantis. Sporer *n.* 161. Concilia enim Trident. & Florentinum abſolutè definiunt, materiam hujus Sacramenti eſſe vinum de vite, cui aqua admiſceri debet. Unde Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 7. ſimpliciter dicit: *Monet Sancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent.* Cæterùm notandum eſt, dictam mixtionem

aquæ

aquæ cum vino fieri debere ab ipſo Sacerdote in Miſſa privata, vel à Subdiacono in Miſſa ſolemni, juxta præſcriptum ritum Eccleſiæ in Rubricis. Hæc autem mixtio fieri debet tempore Sacrificii, & in ipſo ſacro Calice ante oblationem ejusdem Calicis, ùt habet Eccleſiæ uſus; unde graviter peccaret, qui voluntariè hoc omitteret. Quarti cit. *dub.* 7. Non ergo ſufficit, admixtionem aquæ cum vino priùs, & quomodolibet extra Celebrationem Sacri factam eſſe, e. g. in urceolo, cantharo, alio vaſe, vel dolio à caupone more ipſis ſolito: alioquin valde ſæpe non opus eſſet, hanc admixtionem aquæ fieri in Altari. D. Thom. Sylv. Alenſ. Suarez, Coninch, quos ſequitur Sporer *n.* 164. Denique obſervat Dicaſtill. apud Gobat *num.* 59. *in fine*, non eſſe reprehendendos eos, qui ex privilegio, aut legitima Ordinis conſuetudine miſcent aquam vino ante Sacrum inchoatum, præſertim cæremonialiter, in ipſo Altari. — Aſt

63. Dubitabis, utrùm in caſu gravis neceſſitatis poſſit licitè fieri Sacrum conſecratione vini tantùm absque admixta aqua? ℞. non eſſe licitum celebrare omiſſo hoc ritu (id eſt, ſinè aqua) etiam urgente quavis neceſſitate. Quarti cit. *dub.* 4.

 Sua-

Suarez, Sporer *n.* 161. ubi dicit: Admixtio hæc aquæ tam neceſſaria eſt, ut Theologi non admittant ullum caſum, quo liceat inchoare Sacrificium cum præviſo defectu aquæ. Idem docet Gobat *num.* 58. idcirco, ſi non poſſit haberi aqua, omittendum eſſet Sacrum. Ratio eſt: quia hic ritus multò gravior eſt, quàm celebrare cum veſtibus ſacris: ſi ergo non eſt licitum privata auctoritate Sacrum facere absque veſtibus ſacris quavis urgente neceſſitate, ùt communiter fatentur DD. multò minùs erit licitum celebrare omiſſo ritu mixtionis aquæ cum vino. Vid. etiam dicta *num.* 3. *in fine.*

§. III. Si Celebrans ante Conſecrationem Sanguinis, quamvìs poſt Conſecrationem Corporis, advertat, aut vinum, aut aquam, aut utrumque non eſſe in Calice, debet ſtatim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt ſupra, conſecrare, incipiendô ab illis verbis, *Simili modo &c. Rubrica.*

64. Ex hac Rubrica cape, pro praxi applicanda ſequentia. *Primò*: Si Sacerdos ante

ante vel poſt Conſecrationem Hoſtiæ, & ante Conſecrationem Calicis advertat, nec vinum neque aquam eſſe in Calice, debet ſtatim apponere vinum cum aqua (quam de more benedicit, niſi ſit Miſſa *de Requiem*, Gav. *p.* 3. *tit.* 4. *n.* 7.) & facta oblatione, ſaltem mente concepta (dicendô Orat. *Offerimus tibi Calicem &c.*) conſecrare, incipiendô ab illis verbis, *Simili modo &c.* Hoc idem faciendum eſt, etiamſi defectum hunc immediatè ante verba Conſecrationis advertat. *Secundò*: Si in caſu poſito advertat, ſolam aquam in Calice exiſtere, idem, quod mox dictum eſt, facere debet, repoſitâ in aliquo vaſe illâ aquâ, quæ in Calice fuerat. *Tertiò*: Si ante Conſecrationem Calicis advertat, vel recogitet, vinum ſolum abſque aqua in Calice eſſe poſitum, ſtatim debet eam (in modica, ùt aliàs quantitate) apponere, & Calicem conſecrare. In hoc tamen caſu, quamvis aqua de more benedicenda ſit, ùt mox ex Gav. dictum eſt, attamen, quia oblatio vini jam præceſſit, non eſt facienda nova oblatio Calicis poſt aquæ infuſionem. Quarti *p.* 2. *tit.* 7. *ſect.* 1. *dub.* 4. Ratio eſt: quia materia Sanguinis, quæ mediante oblatione præparari debet in ordine ad Conſecrationem, propriè & per ſe eſt vinum; ergo facta ſemel obla-

tione vini non requiritur nova ejusdem oblatio. Accedit, quòd aqua modica mixta vino fiat unum continuum cum eo vino, imbibátque omnes ejus conditiones, etiam morales, ſicut ſi oleo benedicto admiſceatur modica pars olei non benedicti, totum cenſetur benedictum, & aptum ad Sacramenti adminiſtrationem. *Quartò*: Si Sacerdos poſt conſecrationem Hoſtiæ advertat, aquam non eſſe mixtam vino, eámque haberi non poſſe, non eſſet propterea omittenda Sanguinis conſecratio in ſolo vino; quia magìs neceſſarium eſt, eſſentiam Sacramenti perficere, quàm cæteros defectus vitare. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. *℣. Prima Regula.* Vid. etiam Rubric. infra §. VII.

§. IV. Si poſt verba Conſecrationis advertat, vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſitâ aquâ in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & conſecret, reſumendô à verbis prædictis, *Simili modo &c.* *Rubrica.*

65. **Loquitur hæc Rubrica conformiter illi** *Tit.* **3. §.** *V.* **Unde Quarti in** *Expoſ.*

lit.

lit. hic, ità ſcribit : Sicut in ſimili caſu defectûs Hoſtiæ (dum ſcilicet Sacerdos poſt Conſecrationem advertit, Hoſtiam eſſe corruptam) præmitti debet oblatio novæ Hoſtiæ ſaltem mente concepta, antequam hæc conſecretur, ità pariter in hoc caſu; & ſicut ibi incipiendum eſt ab illis verbis, *Qui pridie, quàm, &c.* ità in his caſibus *de defectu vini*, incipiendum vel reſumendum eſt ab illis verbis, *Simili modo &c.* ob ſimiles rationes. Tandem, ſicut ibi Hoſtia invalidè oblata, vel conſecrata ſervari debet, & ſumi poſt ſumptionem Corporis & Sanguinis, ità pariter hìc aqua, vel ſimilis materia inepta invalidè oblata & conſecrata ob eandem rationem ſervari, & eodem modo ſumi debet. Ità ille. Vid. dicta *n.* 31. *& ſeqq.* De aqua benedicenda vid. *num. præc.*

ſ. V. Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat, quamvìs non ſit jejunus. Vel, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſunt, ad evitan-

Digitized by Google

dum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt ſupra, conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cætera. *Rubrica*.

66. Hæc quoque Rubrica reſpondet illi *Tit.* 3. §. *VI*, & de hac diſſerendum eſt conformiter dictis ſupra *n.* 35. *& ſeqq.* Unde, quamvìs D. Thom. p. 3. q. 83. a. 6. ad 4. cenſeat, non tantùm Calicem de novo conſecrandum eſſe, ſed etiam novam Hoſtiam, ſi Sacerdos primùm poſt ſumptam Hoſtiam, in ipsáque ſumptione Calicis agnoſcat, ſe aquam pro vino aſfudiſſe; attamen Scotus 4. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 7. oppoſitum amplectitur, docendô, decentius eſſe, ut in dicto caſu, omiſſa conſecratione alterius Hoſtiæ, ſolum vinum de novo Calici infuſum, & modicâ aquâ mixtum conſecretur; cùm per hoc totus defectus ſuppleatur, & Sacrificium recipiat ſuum complementum eſſentiale. Scoto aſſentiuntur Sylv. Navar. Suarez, Vaſq. Coninch, Laym. & Recentiores paſſim cum Scotiſtis, ùt refert Aman *num.* 743. Ratio eſt eadem, quæ ſupra *num.* 35. Nec obſtat, quòd S. Pius V. in Rubricis velit hunc defectum ſuppleri modô aſſignatô à D. Thoma; negant enim DD. (vid. Hhung *tr.* 6. *d.* 5. *n.*

Digitized by Google

175. apud Aman *n.* 744.) hanc Rubricam eſſe præceptivam, prout jam ſupra *n.* 36. indicatum eſt. Eſto autem, quòd Rubrica declaret, defectum in eadem hac Rubrica notatum (ſi Miſſa in publico loco celebretur) ſupplendum eſſe ad modum à Scoto præſcriptum; attamen non eſt major ratio, cur idem non liceat etiam in Miſſa privata. Si enim ideo in Miſſa privata, ſeu coram paucis præſentibus non licet, quia deficeret illa myſtica ſignificatio, tunc neque liceret, ſtante tali caſu, in Miſſa publica (ubi plures adſunt) omittere conſecrationem novæ Hoſtiæ. Neque etiam ideo, quia in Miſſa privata non urget periculum ſcandali, ſicut in publica; equidem in Miſſa quacunque plus non requiritur, quàm ut cautè ſuppleatur, quod incautè erat prætermiſſum, quod hic & nunc abundè fit per conſecrationem ſolius vini aquâ modicâ mixti. Aman. cit. Ut autem hæc ſuppletio rectè fiat, & à circumſtantibus, quoad fieri poteſt, defectus non advertatur, modus aptus traditur à Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 5. *n.* 2. ſcilicet, ut Celebrans, quaſi accepturus ablutionem, accedat ad cornu Epiſtolæ, ibique Calici imponat vinum, & paululum aquæ, factâque in medio Altaris oblatione, ſaltem

tem mente concepta, conſecret, ac ſtatim ſumat, & poſtea ſumat ablutionem, ùt aliàs, obſervatîs iis, quæ à *num*. 64. dicta ſunt.

67. Porro, ex hac Rubrica patet, defectus præfatos (tam Hoſtiæ, quàm vini) ſupplendos eſſe in ipſo Celebrationis actu. Unde, ſi Sacerdos, poſtquam Miſſâ abſolutâ, jam receſſit ab Altari, adverterit, talem defectum ex inadvertentia, vel incuria à ſe non fuiſſe ſuppletum, nec debet, neque poteſt ampliùs conſecrare vinum ad ſupplendum ſuum errorem; eò quòd moraliter non ampliùs duret eadem actio ſacrificativa. Ità Suarez & Herincx apud & cum Aman *n*. 745. Tambur. *de Sacrif. l.* 2. c. 8. §. 5. *n*. 5. ubi ſic habet: Si quis, vel propter ignorantiam, vel propter animi turbationem, quæ in his caſibus etiam ſolertiſſimo accidere ſolet, rite non ſuppleviſſet talem defectum, nullo modo debet iterum conſecrare poſt abſolutum Sacrum; quia tunc in re tam gravi non judicaretur eſſe idem, ſed diſtinctum Sacrificium. Hæc ille. Unde perperam faceret Sacerdos, qui ſumens Calicem, & advertens, aquam vel acetum locò vini fuiſſe impoſitum, pergeret, Miſſam abſolveret, ad Sacriſtiam rediret, & populô dilapsô, ad Altare iterum

redi-

Digitized by Google

rediret, vinúmque modicâ aquâ mixtum conſecraret, ac ſumeret, ratus, Sacrificium tali modo rite completum eſſe. Alia, quæ huc facere poterunt, videantur ſupra *num.* 37. *& ſeqq.*

68. Quæres autem occaſione hujus Rubricæ, utrùm Sacerdos pro ſtipendio celebrans obligationi ſuæ ſatisfecerit, ſi in ſumptione Calicis advertit, aquam vel acetum pro vino eſſe poſitum, & aliud vinum habere non potuit? ℟. negativè. Ratio eſt: quia benefactor, ſeu petens pro ſtipendio Sacrificium, ipſum oblatione ſtipendii obligavit ad offerendum Sacrificium, quale à Chriſto eſt inſtitutum, & ad quod offerendum jure Divino obligatur: atqui Sacerdos de jure Divino obligatur ad offerendum Sacrificium per conſecrationem utriusque ſpeciei, ùt bene probat Scotus 4. *d.* 8. *q.* 3. & utì fuerat à Chriſto inſtitutum: ergo.

§. VI. Si quis percipiat ante Conſecrationem, vel poſt Conſecrationem, totum vinum eſſe acetum, vel aliàs corruptum, idem ſervetur quod ſupra, ac ſi deprehenderet, non eſſe poſitum vinum, vel ſolam aquam fuiſſe appoſitam in Calice. *Rubrica.*

69.

69. Hæc Rubrica clara eſt; ideóque eadem in hoc caſu obſervanda ſunt, quæ à *num.* 64. dicta ſunt. Sive enim locò vini fuerit in Calice appoſita aqua, ſive acetum, perinde eſt.

§. VII. Si autem Celebrans ante Conſecrationem Calicis advertat, non fuiſſe appoſitam aquam, ſtatim ponat eam, & proferat verba Conſecrationis. Si advertat pòſt Conſecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti. *Rubrica.*

70. Quare Rubrica hæc velit, ut aqua ante Conſecrationem Calicis cum vino miſceatur, ratio eſt: quia, ſi ea admixta non fuerit, Conſecrans graviter peccaret, ùt ſupra *num.* 58. vidimus. Quamvis autem in hoc caſu, & tam brevi tempore non poſſit converti in vinum, hoc non obſtat; quia miſcetur ob myſterium, ùt *eod. num.* audivimus. Cur autem aqua poſt Calicis Conſecrationem S. Sanguini admiſcenda non ſit, ratio eſt: quia hæc Cæremonia non habet locum, ùt inſtituta eſt; nec ſervit ad ſignificandum myſterium unio-

unionis Eccleſiæ cum Chriſto capite, quod fit per commixtionem aquæ cum vino, non autem per mixtionem aquæ cum S. Sanguine. Vid. *num. cit.*

§. VIII. Si materia, quæ eſſet apponenda, ratione defectûs vel panis, vel vini, non poſſet ullo modo haberi; ſi id ſit ante Conſecrationem Corporis, ulteriùs procedi non debet: ſi poſt Conſecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius ſpeciei, alterâ jam conſecratâ, tunc ſi nullo modo haberi poſſit, procedendum erit, & Miſſa abſolvenda, ità tamen, ut prætermittantur verba & ſigna, quæ pertinent ad ſpeciem deficientem. Quòdſi expectandô aliquamdiu haberi poſſit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum. *Rubrica.*

71. In hac Rubrica notanda ſunt verba, *ſi nullo modo haberi poſſit*, quod intellige *moraliter*, inquit Arnaud *p.* 3. *tit.* 4. *n.* 7. unde (ait Gav. *p.* 3. *tit.* 4. *n.* 8. *lit. U.*) ſi difficillimô modô haberi poſſit, & notabilis

inde

indè oriretur offenſio populi, Miſſa abſolvenda erit absque materia deficiente ſivè Hoſtiæ, ſive vini; quia majoris eſt vinculi jus naturale, evitandi ſcandalum proximi, quàm Divinum ſcriptum, aut poſitivum abſolvendi Miſſam. Azor *l.* 10. *c.* 35. *q.* 6. Hæc Gav. Idem habet Arnaud. cit. Hoc tamen intellige, ſi moraliter impoſſibile ſit, poſſe haberi materiam deficientem, & ſalvâ Rubricâ, *Quòdſi expectandô aliquamdiu haberi poſſit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum*; unde, ſi aliquamdiu expectandô habere poſſit materiam deficientem, debet, quoad fieri poterit, inſtruendô populum, obviare ſcandalo; quòd ſi hoc, facta inſtructione, removere non potuerit, expectare nihilominus debet; quia præmiſſâ debitâ diligentiâ, ſcandalum, quod ſequi poteſt, potiùs eſt fictum & paſſivum, quàm verum & activum, & ideo non imputandum Sacerdoti; defectus autem Sacrificii verè illi imputaretur, quando ſuppleri poſſet, & non ſuppleretur, utpote cùm ſit contra jus naturale, Sacrificium mutilare, & dimidiare. Vid. Quarti *p.* 3. *tit.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 1. Cæterùm, quia de hac Rubrica jam actum eſt ſupra *num.* 33. hinc, Lectore illuc remiſſo, hoc loco nihil videtur repetendum.

TI-

Digitized by Google

TITULUS V.

De Defectibus Formæ.

§. I. Defectus ex parte Formæ poſſunt contingere, ſi aliquid deſit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipſa conſecratione requiruntur. Verba autem Conſecrationis, quæ ſunt Forma hujus Sacramenti, ſunt hæc: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de Forma Conſecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipſa verborum immutatione verba idem non ſignificarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod ſignificationem non mutaret, conficeret quidem, ſed graviſſimè peccaret. *Rubrica.*

72. DE hac Rubrica plurima dictà ſunt ſupra in *Prænot. num.* 15. 33. *& ſeqq.* unde, quia ad alià properamus nihil repetendum videtur.

§. II. Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam Conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs. *Rubrica.*

73. Hæc Rubrica verè dici poteſt *Solamen afflictorum. Primò* namque dicit: *Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.* Nota; loquitur de *forma conſecrationis*, ſeu parte eſſentiali Sacramenti

ci *in fieri*, non *in facto eſſe.* 2*dò*, dicit : *Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti* (de quibus dubitat, num aliquid omiſerit) *non reſumat, ſed procedat ulterius.* Ecce! ſolatium timidorum, & maximè ſcrupuloſorum, dummodo tamen hi ſequi voluerint. At verò, quoniam hæc Rubrica quatuor particulas continet, & ex iis variæ Quæſtiones moveri poſſunt, ſingulas ſingulariter conſideremus.

74. *Primò*, dicit Rubrica : *Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.* Eſt autem notandum, quòd ex vario capite oriri poſſit, ut Conſecrans dictorum ſuorum non ampliùs recordetur, ſcilicet ex diſtractione, debilitate memoriæ, nimia ſollicitudine, apprehenſione, ſubito caſu, ſcrupuloſitate &c. H. N. dicendum eſt : Ex eo præcisè, quòd Sacerdos non recordetur, ſe dixiſſe, quæ neceſſaria ſunt ad Conſecrationem, communiter tamen in Conſecratione dicuntur, nihil repetere tenetur, ſed poteſt tutò proſequi eas partes, ad quas pervenerat. Ità D. Thom. 3. *p. q.* 84. *a.* 6. *ad* 5. apud Quarti *p.* 3. *tit.* 5. *in Expoſit. lit. ad Num.* 2. item *ſect.* 2. *dub.* 2. atque hoc maximè, ſi Sacerdos ſciat, ſe aliàs debitam diligentiam adhibere, ac

72. DE hac Rubrica plurima dicta ſunt ſupra in *Prænot. num.* 15. 33. & *ſeqq.* unde, quia ad alia properamus nihil repetendum videtur.

§. II. Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam Conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs. *Rubrica.*

73. Hæc Rubrica verè dici poteſt *Solamen afflictorum.* *Primò* namque dicit: *Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.* Nota; loquitur de *forma conſecrationis*, ſeu parte eſſentiali Sacramenti

ti *in fieri, non in facto eſſe.* 2dò, dicit : *Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti* (de quibus dubitat, num aliquid omiſerit) *non reſumat, ſed procedat ulterius.* Ecce! ſolatium timidorum, & maximè ſcrupuloſorum, dummodo tamen hi ſequi voluerint. At verò, quoniam hæc Rubrica quatuor particulas continet, & ex iis variæ Quæſtiones moveri poſſunt, ſingulas ſingulariter conſideremus.

74. *Primò,* dicit Rubrica : *Si Celebrans non recordetur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari.* Eſt autem notandum, quòd ex vario capite oriri poſſit, ut Conſecrans dictorum ſuorum non ampliùs recordetur, ſcilicet ex diſtractione, debilitate memoriæ, nimia ſollicitudine, apprehenſione, ſubito caſu, ſcrupuloſitate &c. H. N. dicendum eſt : Ex eo præcisè, quòd Sacerdos non recordetur, ſe dixiſſe, quæ neceſſaria ſunt ad Conſecrationem, communiter tamen in Conſecratione dicuntur, nihil repetere tenetur, ſed poteſt tutò proſequi eas partes, ad quas pervenerat. Ità D. Thom. 3. *p. q.* 84. *a.* 6. *ad* 5. apud Quarti *p.* 3. *tit.* 5. *in Expoſit. lit. ad Num.* 2. item *ſect.* 2. *dub.* 2. atque hoc maximè, ſi Sacerdos ſciat, ſe aliàs debitam diligentiam adhibere, ac

etiam hìc & nunc eandem adhibuiſſe, ut rite verba Conſecrationis pronuntiaret. Unde inquit Aman *num.* 540. ſi poſt Conſecrationem Sacerdos tantùm fiat anxius, & timeat, ne forſan aliquid ad illius valorem eſſentialiter requiſitum defuerit; quin de hoc probabile, & prudens judicium formare poſſit, forma nullatenus eſt repetenda, ſed potiùs credi debet, omnia rite peracta fuiſſe. Ità communis doctrina. Ratio eſt: quia iteratio Sacramenti circa eandem materiam Evchariſticam eſt ex genere ſuo peccatum grave; eò quòd fiat cum periculo nullitatis: ergo, ut ſit licita, & à peccato excuſetur, debet adeſſe prudens motivum, & ratio illud iterandi; atqui talis non adeſt, hoc ipſo, quòd non poſſit prudenter dubitari de valore prioris Conſecrationis: ergo. Hæc ille.

75. Dices, hanc doctrinam non procedere de culpabiliter diſtractè conſecrante. ℞. Vel talis diſtractè conſecrans ſolet errare, vel non? ſi non, & practicè atque experientiâ ſciat, ſe verba Conſecrationis ſemper rite, licèt culpabiliter diſtractè pronuntiare, nec habeat probabile & prudens judicium alicujus erroris facti, poterit dicta doctrina etiam de illo procedere; ſi enim, cùm conſtat (ùt inquit

Sporer

Sporer *de Pœnitent. c. 5. q. 3. §. 2. n. 629.*) Sacerdotem protuliſſe formam Abſolutionis conſuetam, ex eo ſolùm, quòd voluntariè, vel involuntariè diſtractus protulerit, non habet rationabilem cauſam dubitandi, an revera integrè protulerit, nec conſequenter ex hoc habebit cauſam, multò minùs obligationem repetendi, cur hanc in noſtro caſu habeat, cùm æquè ſit in materia *facti*? Vide infra *num.* 85. Secus eſt, ſi ſciat, quòd ſoleat errare, & quòd aliàs jam erraverit; in hoc enim caſu, ſi verè dubitet, præſertim dubiô negativô, an verba Conſecrationis rite pronuntiaverit, debebit ſub conditione ſaltem mente concepta, formam Conſecrationis repetere, ſicut (ùt iterum inquit Sporer cit.) repetenda eſt, ſaltem ſub conditione mente concepta, forma Abſolutionis, quoties Confeſſarius rationabiliter dubitat, an protulerit formam Abſolutionis. Cæterùm, notent ſibi Sacerdotes culpabiliter diſtractè, & conſequenter indevotè conſecrantes, doctrinam, quam tradit Aman *num.* 537. dicens: Certum eſt, Sacerdotem voluntarias inter conſecrandum diſtractiones admittentem poſſe per accidens ſaltem graviter peccare: quando ſcilicet per actum reflexum cognoſcit, quòd per tales

diſtractiones, ſi ad eas ſe voluntariè receperit, periculo exponatur, ne forſan ex inattentione inde ſecutura, non rite ſit pronuntiaturus verba Conſecrationis, quantùm opus eſt ad valorem Sacramenti: atque inſuper voluntariè in cauſa ſit ſubſecuturæ perplexitatis, dubitationis de valore confecti operis, repetitionis formæ, & aliorum inconvenientium, quæ exinde ſolent ſubſequi. Quocirca dicendum, ex hoc capite gravem plerumque obligationem Sacerdoti incumbere, ne voluntariè animum ſuum, dum conſecrandum eſt, diſtractionibus involvat, utpote non niſi magnis incommodis, & inconvenientiis poſtea extricabilem; ratio eſt: quia cauſæ voluntariæ effectus ſuus imputatur. Ità ille.

76. *Secundò*: dicit Rubrica: *Si tamen certò ei conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam Conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem.* Ubi nota, idem hoc faciendum eſſe, ſi vel unicum ſolummodo verbum ex eſſentialibus omiſiſſet. Suarez, Averſa, & communiter DD. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 1. idcirco in hujuſmodi caſu repetenda eſſet integra forma, nec ſatis eſſet proferre ſolum verbum omiſſum; quia hoc non red-

dit

Digitized by Google

dit integrum ſenſum formæ neceſſarium ad conficiendum Sacramentum. Vid. etiam ſupra in *Prænot. n.* 15. Unde autem in hoc caſu Sacerdoti inchoandum ſeu reſumendum ſit, docet Quarti cit. dicens: Forma Conſecrationis panis reſumenda eſt ab illis verbis, *Qui pridie, quàm &c.* & forma Conſecrationis vini ab illis verbis, *Simili modo &c.* ùt conſtat ex Rubricis, *de Defectibus materiæ, Tit. III. & IV.* Excipe tamen, ſi e. g. immediatè poſt prolata verba Conſecrationis Hoſtiæ advertat, ſe omiſiſſe ly *Hoc*, vel *Eſt*, vel *Corpus*; tunc enim ſufficit, ſi ſola verba Conſecrationis proferat, dicendô: *Hoc eſt enim Corpus meum.* Ratio eſt: quia Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. *§. Sed quæres tandem.* abſolutè negat, cadere ſub præcepto, ut verba illa, *Qui pridie &c.* præmittantur, ſed ſufficiunt ſola verba eſſentialia formæ ad ſupplendum defectum, ne Sacrificium ſit mutilum; quod (ſubinfert Quarti) ſatìs probabile eſt: quia non cadit ſub præcepto, niſi quod eſt neceſſarium ad ſupplendum defectum; & aliàs hæ Rubricæ, reduplicativè ſumptæ, non ſunt præceptivæ, ùt dictum eſt *num.* 36.

77. Sed occaſione mox dictorum quæritur, quid ſentiendum de ſequentibus. Petrus Sacerdos conſecrandô Hoſtiam dicit

ſic : *Hoc enim Corpus meum*, inculpabiliter omittens ly *Eſt*. Alius ſic: *Hoc eſt enim meum*, omittens inculpabiliter ly *Corpus*. Uterque autem immediatè poſt ly *meum* pronuntiatum, advertit ſe verbum eſſentiale omiſiſſe, quare prior, defectum eſſentialem ſuppleturus, mox addit ly *Eſt*, ut integra forma ſit, *Hoc enim Corpus meum eſt*. Alter ſimiliter addit ly *Corpus*, ut forma integra ſit, *Hoc eſt enim meum Corpus*. An hoc validè & licitè? ℞. affirmative quoad utrumque. Quoad valorem dubitandum non eſt, niſi propter Celebrantis intentionem non ſubſiſtentem aliter ſentiendum ſit. Quòd autem hoc in caſu etiam licitum ſit, verbum inculpabiliter omiſſum ad integrandam eſſentialiter formam addere, ratio eſt : quia nec fit mutatio ſubſtantialis, neque accidentalis (de quibus dictum eſt in *Prænot. num. 36. & ſeqq.*) ſed eſt mera Grammaticalis tranſpoſitio verborum, præcisè ex naturali (ut ſupponitur) inadvertentia orta. Secus foret, ſi Sacerdos hoc (citra contemptum, & intentionem novum ritum introducendi) faceret voluntariè ; tunc enim culpam venialem non evaderet. Dices, hæc non convenire cum dictis *num. præc. ℣. Excipe tamen.* ℞. negativè ; quia ibi erat ſermo de caſu, quo to-

ta

ta forma neceſſariò reſumenda, vel repetenda eſt : ſecus eſt in hoc caſu.

78. Petes , quidnam in iſto caſu faciendum ſit ? Sacerdos quidam per errorem ſuper Hoſtiam protulit formam Conſecrationis Calicis, omiſsâ formâ propriâ Conſecrationis panis , & ſtatim poſt elevationem Hoſtiæ non conſecratæ hunc errorem advertit ; tenetúrne facta Conſecratione Hoſtiæ, iterum proferre verba Conſecrationis Sanguinis ſuper Calicem ? Ratio dubitandi eſt : quia non videtur , quòd Sacerdos iſte voluerit verba Conſecrationis Calicis materialiter tantùm proferre, ſed quòd voluerit conſecrare materiam Calicis præſentem. Ante ℞. nota, quòd Sacerdos in hoc caſu Hoſtiam non ſolùm debeat conſecrare, ſed etiam, quòd (ſi prolatîs verbîs Conſecrationis Calicis errorem ſtatim advertat) eam immediatè, & ſinè omni mora (verba Conſecrationis, *Hoc eſt enim Corpus meum* rite pronuntiandô) debeat conſecrare , nullatenus autem expectare , donec Hoſtiam non conſecratam poſt ejus elevationem iterum demiſerit. H. N. ℞. Teneri omnino Sacerdotem iterum proferre eandem formam ſuper Calicem. Quarti *p. 3. tit. 5. ſect. 2. dub. 1. ℣. Dubitari.* Ratio eſt : quia ex defectu inten-

tentionis debitæ, Calix non eſt conſecratus; non eſt enim veriſimile, quòd hujusmodi Sacerdos ullam habuerit intentionem, ordinem Sacrificii confundendi, ſeu invertendi, vel à graviſſimo ritu Eccleſiæ recedendi, graviterque peccandi. Nec dicas: Sacerdos iſte habuit veram conſecrandi intentionem, & ex hac intentione attentè, ac devotè Conſecrationis verba pronuntiavit; ergo. ℞. enim diſtinguendô; habuit intentionem in ordine ad Hoſtiam conſecrandam, conceditur: in ordine ad Calicem, negatur. Et eſto, quòd, quantum ex parte illius erat, verè formaliter, & cum omnimoda conſecrandi intentione, verba Conſecrationis Calicis ſuper Hoſtiam protulerit; attamen ea non protulit ſuper materiam aptam, ſed prorſus ineptam. Et per hoc patet ad rationem dubitandi. Id ſolummodo in hoc caſu inferri poteſt, dictum Sacerdotem erroneè conſecrandô non peccâſſe; quia (ùt ſupponitur) prorſus erroneè & inadvertenter hoc fecit.

79. Porro notanda ſunt ſequentia. *Primò*: Si deprehendatur defectus alterutrius formæ poſt ſumptionem vel Corporis, vel Sanguinis rite conſecrati, iteranda eſt forma omiſſa, vel invalidè prolata,

ùt

ùt per ſe patet. In utroque autem caſu non oportet utramque Conſecrationem repetere, ſi in una tantùm defectus accidit, ùt in ſimili dictum eſt *de defectibus materiæ*, eſt enim eadem proportio. Vid. etiam dicta *num.* 35. & 66. *Secundò:* Si defectus accidiſſet in utraque Conſecratione, quia in utraque omiſſum eſt aliquod verbum ſubſtantiale, ſic diſtinguendum eſt : Si Sacerdos hunc defectum advertat poſt ſumptionem vel utriusque, vel alterius ſpeciei invalidè conſecratæ, tunc non debet, nec poteſt licitè quicquam ſupplere, nec conſecrationem reſumere. Ratio eſt : quia ex una parte hìc non obligat præceptum integrandi, vel perficiendi Sacrificium, utpote cùm non ſit ſimpliciter inchoatum, nulláque peracta ejus pars ſubſtantialis ; unde, quidquid fieret, eſſet ex tunc inchoare Sacrificium. Ex altera verò parte non poteſt inchoare Sacrificium ; quia non eſt jejunus poſt ſumptionem materiæ non conſecratæ. Ad vitandum ergo ſcandalum, quod oriri poſſet, ſi ab Altari recederet Miſſâ non completâ, facere poterit, quod ſupra *num.* 39. notavimus. Quòd ſi autem Sacerdos hunc defectum advertat ante ſumptionem, quando nondum fractum eſt jejunium, tenebitur ſtatim (absque no-

Digitized by Google

va Oblatione) utramque ſpeciem conſecrare, reſumendô ab illis verbis, *Qui pridie, &c.* & *Simili modo &c.* deinde proſequi Sacrum, & Sacramentum ſumere, non tamen ſpecies modò conſecratas de more elevare. Ratio eſt: quia etſi non teneatur ad hoc vi præcepti perficiendi Sacrificium, quod adhuc non erat ſubſtantialiter inchoatum; teneretur tamen 1*mò*, vi præcepti non fingendi aliquid falſum in hoc miniſterio, nec perſeverandi in inchoata fictione. 2*dò*, vi præcepti non ſumendi ſpecies non conſecratas tanquam verum Sacramentum. 3*tiò*, ne det aliis occaſionem adorandi tanquam verum Sacramentum, quod tale non eſt. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. *§. Secundò etiam.* Vid. etiam *ſupra num.* 37. *& ſeqq.* Idem hoc faciendum eſt Sacerdoti, qui peſſimâ malitiâ perverſus utramque materiam fictè quidem conſecravit, ſed ante ſumptionem facti pœnitens, peccatum ſuum intimo & contrito corde deteſtatur. Rationes ſunt eædem, quæ mox recenſitæ ſunt.

80. Tertiò, dicit Rubrica: *Si verò valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione.* Quidnam ſit *Dubium valde probabile*, dictum eſt ſupra *num.* 43. Hoc ſuppoſito, ex hac Rubri-

Rubrica colligitur *1mò.* : Quando Sacerdos probabiliter judicat, ſe rite & validè pronuntiâſſe formam Conſecrationis, & Sacramentum eſſe validum, non tenetur eam reſumere, nec quicquam repetere, quamvis habeat formidinem oppoſiti, vel judicet etiam probabiliter, non fuiſſe validam. Quarti cit. *dub.* 3. Ratio eſt eadem, quæ ſupra *num.* 42. Colligitur *2dò* : Quando Sacerdos valde probabiliter, vel negativè dubitat, num validè formam Conſecrationis pronuntiaverit, tenetur formam, circa quam dubitat, ſub conditione ſaltem tacita, ſeu mente concepta iterare. Prima pars patet ex Rubrica. Secundam tenent Suarez, Averſa, & DD. comuniter cum Quarti cit. *dub.* 2. Ratio eſt : tum, quia aliàs exponitur manifeſto periculo offerendi Sacrificium mutilum & imperfectum, quod eſt intrinſecè malum : tum, quia dubitans negativè nullam habet rationem pro ſe, vi cujus dubium prudenter deponere poſſet. Vid. ſupra *num.* 41. Colligitur *3tiò*, idem, quod dictum eſt de dubio negativo, dicendum eſſe à fortiori, quando Sacerdos probabiliter judicat, ſe non conſecrâſſe, vel ſubſtantiale quid omiſiſſe, nec de oppoſito ferre poteſt judicium probabile. Ratio eſt : quia magis urget peri-

cu-

culum mutilationis Sacrificii ; & revera hoc eſt ipſum dubium *valde probabile*, ùt conſideranti patet. Cur autem Rubrica dicat, *iteret formam ſaltem ſub tacita conditione*, ratio eſt : quia, ſi forma abſolutè iteraretur, exponeretur periculo proferendi formam ſuper materiam jam conſecratam : ſiquidem non conſtat, Conſecrationem fuiſſe omiſſam, vel invalidam ; dum autem iteratur forma ſub conditione, vitatur duplex periculum, ſcilicet irritandi Sacrificium, & ineptæ prolationis formæ ſuper materiam conſecratam. Atque hæc, quæ *hoc Num.* de dubia Conſecratione dicta ſunt, etiam de Oblatione alterutrius, vel utriusque materiæ reſpectivè intelligenda ſunt.

81. Monent autem DD. præſertim Averſa, Sacerdotem non debere facilè admittere hujusmodi dubia, ſed regulariter debere exiſtimare, ſe integrè verba protuliſſe, ùt communiter contingit : itaque prudenter & maturè penſandum eſt dubium. Et probatur etiam, quia in hac Rubrica dicitur, iterandam eſſe formam in dubio, non ſimpliciter in quolibet dubio, ſed ſi Sacerdos *valde probabiliter* dubitet, ſe aliquod eſſentiale omiſiſſe : ergo non ſufficit quodlibet judicium, vel motivum dubi-

bi-

Digitized by Google

bitandi, ſed debet eſſe grave & valde probabile: ùt, ſi conſtet, omiſſum fuiſſe ritum connexum, e. g. elevationem Calicis, & interrogatus Miniſter aſſerat, revera non fuiſſe factam elevationem, quod grave indicium eſt, omiſſam fuiſſe Conſecrationem. Sed

82. Quæres, quid agendum, ſi omiſſa fuerint illa verba, de quibus eſt controverſia inter DD. an ſpectent ad eſſentiam formæ, e. g. ſi quis conſecravit Calicem, omiſsîs illîs verbîs, *Novi & æterni teſtamenti &c.* vel, ſi aliquod illorum ſubticuit? Ante R. in memoriam revocanda ſunt ea, quæ dicta habentur ſupra in *Prænot. num.* 17. Item, ſupponendum eſt, Quæſtionem verſari in caſu, quo Celebrans poſt prolata verba, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei*, ſtatim progreſſus eſt ulteriùs, e. g. dicendô, *Hac quotiescunque feceritis &c.* ſecus enim foret, ſi ulteriùs progreſſus nondum eſſet; tunc enim teneretur de per ſe, & ſub mortali pronuntiare etiam reliqua verba, *Novi & æterni &c.* H. N. R. det Quarti cit. *dub.* 4. dicens: Quamvìs aliqui ſentiant, reſumendam eſſe formam; quia ſecundùm probabilem opinionem D. Thomæ prædicta verba, *Novi & æterni &c.* ſunt de eſſentia Conſecrationis; nihilominus probabilius

eſt,

eſt, in rigore non teneri Celebrantem quicquam repetere, etiamſi conſtet, fuiſſe omiſſa prædicta verba. Ratio eſt: quia communis & probabilior ſententia docet, ea non pertinere ad eſſentiam Conſecrationis, neque ad integritatem ſubſtantialem ejusdem, ſed ſolùm eſſe de neceſſitate præcepti; & conſequenter, non obſtante eorum omiſſione, Sacrificium eſſet ſubſtantialiter integrum, & Sacramentum validum: ergo non eſt obligatio quicquam repetendi; quia poteſt Sacerdos ſequi eam probabilem opinionem: ideóque, licèt conteri teneatur de peccato ſuo, ſi voluntariè omiſit, poterit tamen licitè proſequi Sacrificium, cujus ordo turbari non debet, ut prædicta verba omiſſa reſumantur. Ità ille. Ex quibus infertur à fortiori, quòd, ſi Celebrans dubitet, ſive negativè, ſive poſitivè de omiſſione prædictorum verborum, non teneatur quicquam repetere, quia ſunt partes accidentales formæ, nec talis omiſſio obſtat valori Sacrificii. Infertur 2*dò*, nec teneri, nec poſſe Celebrantem repetere formam, eò quia omiſſum fuit aliquod verbum ex antecedentibus, e. g. *Qui pridie, quàm &c.* vel *Simili modo &c.* dummodo prolata fuerint verba eſſentialia; quia certum eſt, ſinè illis Conſecrationem

eſſe

Digitized by Google

eſſe validam, conſequenter non poteſt repeti forma, nec abſolutè, neque ſub conditione; quia applicaretur forma materiæ jam conſecratæ, quod eſt irriſorium, & ſacrilegum. DD. communiter. Ità Quarti cit.

83. *Quartò*, dicit Rubrica; *Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs.* Id eſt, ſi ea, quæ omiſſa ſunt, & à fortiori, de quibus eſt dubium, an ſint omiſſa, non ſunt de neceſſitate Sacramenti, nihil eſt repetendum; quia non debet immutari ordo Sacrificii propter accidentalia: unde melius eſt proſequi, utì docet D. Thom. apud Quarti in *Expoſit. lit.* hic.

84. Cæterùm, quia in prolatione verborum Conſecrationis variæ difficultates, apprehenſiones, anxietates, ſeu ſcrupuloſitates occurrere poſſunt, hinc pro praxi & coronide hujus Tituli notentur ſequentia, potiſſimùm ex la Croix citando deſumpta. 1*mò*: Aſſueſcat Sacerdos verba Conſecrationis pronuntiare eo ſimpliciſſimo modo, quo cætera quæcunque ſecretè legenda, vel dicenda pronuntiat; & ſi habet difficultatem in pronuntiando e. g. *Hoc*, *Hic*, ſequatur mox dictum, & ſtatim ſequens conſilium, & probet, & habebit felicem

ef-

effectum; Probatum eſt. 2*dò:* Proferat verba Conſecrationis ſinè timore, ſed audacter, & cordatè, non inflandô folles, & inde magno cum halitu, & ſonorîs aſpirationibûs verba quaſi evomendô: non halandô ſuper Hoſtiam, vel in Calicem, in hoc enim eſt irreverentia; non nutet caput ad ſingula verba, nec exhibeat ineptos & ridiculos corporis, vel vultûs geſtus, ſed proferat quietè, & continuatè, & immotus, ſicut cætera; certum enim eſt, quòd nimia ſollicitudo rectè proferendi, cauſa ſit non proferendi rectè. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 194. Et nunquid hujusmodi, atque alia exotica poſſunt in aſtantibus cauſare admirationem, riſum, vel etiam commiſerationem, dum vident, Sacerdotem conſecrantem præ anguſtia ferè ſudare, tremere, ſéque ipſum ſinè cauſa tam dirè diſcruciare & torquere?

85. 3*tiò:* Quamvìs fortè ob ſtrepitum vel turbationem non audîerit ſe verba Conſecrationis proferentem, non ideo turbetur, nec repetat quicquam: ſi enim moverit linguam & organa vocis, utì ſolet, quando audibiliter loquitur, imprudenter timet, ne nunc non ſatìs expreſſerit. Accedit, quòd mutilatio vel abſciſſio alicujus etiam ſyllabæ raro invalidet formam; unde ex eo capite adhuc non eſſet

ipſi

ipſi licitum quicquam repetere. La Croix cit. *n.* 193. 4*tò* : Si habet difficultatem in inchoando primo Conſecrationis verbo, *Hoc*, vel *Hic*, aſſueſcat, ut poſt pronuntiata verba, *Ex hoc omnes*, vel, *Ex eo omnes*, immediatè & ſinè mora proferat verba Conſecrationis; quod & aliis faciendum eſſet: ad quid enim ſervit, ſi conſecraturi e. g. pro intentione formanda, vel renovanda, longâ, ſcrupuloſâ, tædioſâ, ac ridicula moroſitate Hoſtiæ conſecrandæ incubant, velut gallina pullis excludendis (ùt loquitur Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *n.* 202.) donec tandem verba Conſecrationis proferant? nunquid & Chriſtus ſic fecit? noli putare, ſi non vis errare. 5*tò* ; Caveat, ne verbum ullum repetat, quamvìs timeat, ne non bene expreſſerit; hoc enim peccatum foret. La Croix *n.* 195. Vid. etiam in *Prænot. n.* 34. 6*tò* : Si ipſi incidat apprehenſio, quaſi per ly *meum*, vel *mei* ſignificet, aut ſignificârit corpus, vel ſanguinem ſuum Sacerdotis: aut quòd per ly *Hic* velit, aut voluerit ſignificare idem, ac *in hoc loco*, pergat; & quamvìs hoc ipſum vivaciter imaginetur, dum conſecrat, nihilominus pergat contemnendô, nec curet formare intentionem contrariam; certum enim eſt, illum habere, & habuiſſe intentionem gene-

ralem prævalentem ſignificandi hoc, quod, & ſicut in utraque Conſecratione ſecundùm Chriſti inſtitutionem ſignificare debuit; quod etiam inde evincitur, quia certum eſt, ipſum potiùs voluiſſe dicta verba proferre, ſicut proferri debent, quàm voluiſſe peccare mortaliter: atqui voluiſſet peccare mortaliter, ſi excluſa intentione generali maluiſſet proferre in ſenſu illo, de quo ſcrupulum, vel apprehenſionem habet; ergo certus eſt, ſe habere & habuiſſe intentionem ſufficientem. Idem *num.* 196.

86. 7*mò*: Si diſtractus fuerit, & poſtea neſciat, an non fortè omiſerit aliquid, imò ſi non recordetur ſe conſecrâſſe, non debet ex hoc turbari, inquit S. Thom. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 5. non enim, qui multa dicit, recordatur omnium, quæ dixit. Hinc monent omnes cum Paſq. *q.* 317. *n.* 4. ut pergat & ſupponat, ſe omnia debitè dixiſſe & feciſſe; nam ſolet iſta facere ſinè errore, & ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio pro faciente. La Croix *n.* 197. 8*vò*: Quamvìs Gobat in *Alphab. Sacrif. caſu* 3. *n.* 69. putet, peccatum mortale eſſe, ſi forma Conſecrationis tam alta proferatur voce, ut ad 40. paſſus audiri queat; quia ageretur contra ritum comuniſſimum, daretúrque occaſio obmur-

mura-

murationum, ſcandalorum, & offenſionum. Negat tamen Aman *num.* 536. poſt Illſung dicens: Certum videtur, formam Conſecrationis alta voce proferre, non eſſe peccatum mortale ex ſe, ſecluſo contemptu ritûs communis Eccleſiæ. Non enim eſt credibile, Eccleſiam, piam & benignam aliàs matrem Sacerdotes graviſſimô æternæ damnationis vinculô in hac re, utpote non gravi velle ligare. Quod concernit ſcandalum oriri ſolitum ex nimis elata recitatione formæ, hoc in nullo alio conſiſtit, quàm in adſtantium admiratione, qua admirantur, hunc Sacerdotem nimiùm eſſe anxium, & ſollicitum de forma Conſecrationis ritè proferenda; hanc autem admirationem ſpiritualem proximi ruinam non eſſe, palàm eſſe videtur.

87. Dices; Quid faciam, ſi perplexus factus neſcio, quid faciam? Rφdet idem la Croix *num.* 198. dicens: Si Sacerdos circa aliquid fiat quaſi perplexus, & neſciat, an hoc, an illud facere debeat, non hæreat, ſed ſtatim faciat, quod primò ipſi videtur eſſe melius; quod autem ſemel reſolverit, in eo (niſi ceſſante perplexitate, veritas pateat) permaneat, nec rurſus examinet, an bene ſic ſtatuerit, ſed pergat. Et quamvìs poſtea reperiat ſe erràſſe, non

ideo debet inquietari, quia bona fides excuſat. Hæc ille; qui etiam *num.* 200. addit: Sacerdos in his, aliiſque ejusmodi exquirat judicium probi, prudentis & docti Confeſſarii, totúmque illi humiliter aperiat; quod autem hic dicet faciendum, illo ſtet, quantumcunque remordeat conſcientia, vel obluctetur judicium proprium, hoc enim debet deponere. Atque hoc ultimum eſt univerſale, tutiſſimum, ſimúlque facillimum remedium.

TITULUS VI.

De Defectibus Miniſtri.

Defectus ex parte Miniſtri poſſunt contingere quoad ea, quæ in ipſo requiruntur. Hæc autem ſunt: imprimis Intentio, deinde Diſpoſitio animæ, Diſpoſitio corporalis, Diſpoſitio veſtimentorum, Diſpoſitio in Miniſterio ipſo, quoad ea, quæ in ipſo poſſunt occurrere. *Rubrica.*

88. Quemadmodum in præcedentibus actum eſt de Defectibus ex parte Materiæ & Formæ Evchariſtiæ

ſtiæ occurrentibus, ità nunc agendum eſt de Defectibus, qui ex parte Miniſtri, & in ipſo miniſterio contingere poſſunt. Quoniam verò Rubrica de his ipſis in ſequentibus Titulis ſingillatim & fusè tractat, hoc loco nihil viſum eſt addendum.

TITULUS VII.

De Defectu Intentionis.

§. I. Si quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere. Item, ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare, niſi quas videt. Item ſi quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolùm decem, non determinans, quales decem intendit: in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio. Secus ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat;

nam tunc omnes erunt conſecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet. *Rubrica.*

89. IN hac Rubrica declarantur præcipui caſus in quibus Conſecratio eſt invalida, & non conficitur Sacramentum ex defectu Intentionis in Miniſtro. Et econtra declaratur, in quibusdam aliis caſibus verè conſecrari materiam, de qua poterat eſſe difficultas, an ad illam extendatur intentio Miniſtri. Ut autem de hac Rubrica rite, & ſecundùm ordinem Particularum diſſeramus, priùs ex Theologorum doctrina

90. Supponitur *primò*, Intentionem (quæ ad noſtrum propoſitum nihil aliud eſt, niſi voluntas efficax conſecrandi panem & vinum juxta Chriſti inſtitutionem, & ritum S. Romanæ Eccleſiæ) dividi præcipuè in actualem, virtualem, habitualem: directam, ſeu formalem & poſitivam, ac in indirectam, ſeu interpretativam: in expreſſam & implicitam: & in intentionem actualem *in actu exercito*, & *in actu ſignato*: qua-

quarum hæc idem eſt, ac *intendo*, vel *volo conſecrare &c.* prior autem eſt idem, ac *Conſecro, & actu facio, quod facit S. Romana Eccleſia.* Supponitur 2*dò*, Intentionem, quæ ex parte Miniſtri conficientis requiritur, debere eſſe, & ſufficere vel actualem, vel ſaltem virtualem expreſſam, vel implicitam; nec ſufficere ſolam habitualem, neque interpretativam, ſeu indirectam tantùm. Sporer *Theol. Sacram. p.* 1. *c.* 2. *num.* 113. *& ſeqq.* Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 1. *q.* 3. *n.* 36. cum Scoto, & communi Theologorum. Supponitur 3*tiò*, ſufficere intentionem tam in actu ſignato, quàm in actu exercito; atque, ùt Elbel *de Conſcient. ſcrupul. Confer.* 8. § 2. *caſu* 1. *n.* 222. ſcribit: Eſt comuniſſima Theologorum doctrina, quòd ad validam adminiſtrationem Sacramenti minimè neceſſaria ſit intentio formalis explicita, ſed ſufficit virtualis & exercita, ſeu in actu exercito demonſtrata. Hæc ſupponuntur, & videri poſſunt apud Sporer cit. & alios. Sequitur ergo ex Rubrica,

91. Primò: *Si quis non intendit conficere, ſed deluſoriè aliquid agere, non conſecrat.* Quòd fictè conſecrans, ſeu conſecrans ſinè animo & intentione conſecrandi nulliter conſecret, eſt ex Rubrica hac, & in omni Theologia certiſſimum. Quòd autem

fictè conſecrare, ſeu conſecrare, vel celebrare ſine animo conſecrandi, graviſſimum peccatum ſit, patet præter rationes Theologicas, ex declaratione Innocentii III. *c. De homine. de Celebrat. Miſſar.* ubi refertur caſus de quodam incauto Presbytero, qui propter conſcientiam peccati mortalis, in quo ſe conſtitutum novit, nec tamen Miſſarum ſolemnia ob urgentem neceſſitatem intermittere potuit, peractîs cæterîs Ceremoniîs, ſed omiſsîs verbîs Conſecrationis, Miſſam celebrare ſe finxit. Rationem dat Pontifex: *quòd alter ſacrilegè celebrans in ſolius miſericordis Dei manum incidat; iſte verò* (fictè celebrans) *non ſolùm Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe aſtringat.* Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 1. *q.* 4. *n.* 48. Joan. Kugler *Criſi Theol. Propoſ.* 29. *fol.* 108. Idem ſervata proportione, dicendum de aliis Sacramentis. Unde meritò Innocentius XI. ſequentem, ordine 29. Propoſitionem damnavit: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

92. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si aliqua Hoſtia ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare, niſi quas videt, non conſecrat.* Hoc eſt: ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in

Al-

Altari non allatæ ad conſecrandum à Sacerdote, vel juſſu illius, ſed aliàs ibi relictæ Sacerdote non advertente, hæ non remanent conſecratæ ; quia intentio Celebrantis non extenditur ad materiam ei prorſus ignotam : cùm nihil poſſit eſſe volitum, quin præcognitum. Similiter ſi aliqua Hoſtia lateat etiam ex allatis à Sacerdote, & ipſe Sacerdos non intendat conſecrare, niſi quas videt, tunc illa, quam oculîs non videt, non remanet conſecrata ; quia ad eam non extenditur intentio Celebrantis. Malè tamen facit Sacerdos ſic limitandô ſuam intentionem ; quia intentio debet eſſe conſecrandi eas omnes, quas ante ſe poſitas habet, ùt expreſsè dicitur in hac Rubrica, ibi : *Quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet* : nec opus eſt, ut ſingulæ Hoſtiæ oculîs videantur.

93. *Tertiò*, dicit Rubrica : *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat ſolùm conſecrare decem, non determinans, quas decem intendit, non conſecrat. Secus, ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat ; nam tunc omnes erunt conſecratæ.* Ratio prioris eſt : tum, quia intentio ferri debet in materiam certam & determina-

Digitized by Google

fictè conſecrare, ſeu conſecrare, vel celebrare ſine animo conſecrandi, graviſſimum peccatum ſit, patet præter rationes Theologicas, ex declaratione Innocentii III. *c. De homine. de Celebrat. Miſſar.* ubi refertur caſus de quodam incauto Presbytero, qui propter conſcientiam peccati mortalis, in quo ſe conſtitutum novit, nec tamen Miſſarum ſolemnia ob urgentem neceſſitatem intermittere potuit, peractîs cæterîs Ceremoniîs, ſed omiſsîs verbîs Conſecrationis, Miſſam celebrare ſe finxit. Rationem dat Pontifex: *quòd alter ſacrilegè celebrans in ſolius miſericordis Dei manum incidat; iſte verò* (fictè celebrans) *non ſolùm Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe aſtringat.* Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 1. *q.* 4. *n.* 48. Joan. Kugler *Criſi Theol. Propoſ.* 29. *fol.* 108. Idem ſervata proportione, dicendum de aliis Sacramentis. Unde meritò Innocentius XI. ſequentem, ordine 29. Propoſitionem damnavit: *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

92. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si aliqua Hoſtia ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hoſtia lateat, cùm non intendat conſecrare, niſi quas videt, non conſecrat.* Hoc eſt: ſi aliquæ Hoſtiæ ex oblivione remaneant in

Al-

Altari non allatæ ad conſecrandum à Sacerdote, vel juſſu illius, ſed aliàs ibi relictæ Sacerdote non advertente, hæ non remanent conſecratæ; quia intentio Celebrantis non extenditur ad materiam ei prorſus ignotam: cùm nihil poſſit eſſe volitum, quin præcognitum. Similiter ſi aliqua Hoſtia lateat etiam ex allatis à Sacerdote, & ipſe Sacerdos non intendat conſecrare, niſi quas videt, tunc illa, quam oculîs non videt, non remanet conſecrata; quia ad eam non extenditur intentio Celebrantis. Malè tamen facit Sacerdos ſic limitandô ſuam intentionem; quia intentio debet eſſe conſecrandi eas omnes, quas ante ſe poſitas habet, ùt expreſsè dicitur in hac Rubrica, ibi: *Quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habere deberet, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet*: nec opus eſt, ut ſingulæ Hoſtiæ oculîs videantur.

93. *Tertiò*, dicit Rubrica: *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat ſolùm conſecrare decem, non determinans, quas decem intendit, non conſecrat. Secus, ſi putans quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat; nam tunc omnes erunt conſecratæ.* Ratio prioris eſt: tum, quia intentio ferri debet in materiam certam & determina-

tam, nec eſt major ratio in hoc caſu, cur potiùs hæc, quàm alia ſit conſecrata: tum, quia omnis actio tranſiens, & practica verſatur circa ſingularia determinata; ſed conſecratio eſt hujusmodi, quia eſt cauſa practica Tranſubſtantiationis panis in Corpus Chriſti, & vini in Sanguinem; ergo debet verſari circa hunc panem, & hoc vinum determinatè. Non determinatur autem niſi per intentionem Sacerdotis, qui idcirco materiam conſecrandam debet determinatè cognoſcere & intendere; ergo. Ratio *ſecundi* eſt: quia error accidentalis nihil obſtat valori Conſecrationis. Sed de hoc plura *Rubrica ſequenti.*

§. II. Si Sacerdos putans ſe tenere unam Hoſtiam, poſt Conſecrationem invenerit, fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque. Quòdſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant. *Rubrica.*

94.

94. Continet hæc Rubrica duas particulas, & *primò* quidem dicit: *Si Sacerdos putans ſe tenere unam Hoſtiam, poſt Conſecrationem invenerit, fuiſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat ſimul utramque.* Ratio eſt: quia ſimpliciter loquendô, utraque (ſive ſit utraque major, ſive una tantùm major habens à tergo affixam minorem) cenſenda eſt conſecrata, habita videlicet intentione conſecrandi juxta ritum & directionem S. Eccleſiæ, quæ (ùt *Num. I.* vidimus) præſcribit, ut quilibet Sacerdos talem ſemper intentionem habeat, ſcilicet conſecrandi eas omnes Hoſtias, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet. Et certè hanc directionem ſecutus, Sacerdos liber erit à variis dubiis, ſcrupulis & anxietatibus perplexitatibus &c. ſecurúſque ſinè ullo peccandi periculo procedet. Quod autem dictum eſt de Hoſtia minori, etiam intelligendum eſt, ſi Hoſtiæ majori à tergo conjuncta eſt dimidia pars alterius Hoſtiæ, & ſic de quarta parte, & aliis minutioribus, omnes enim cenſentur conſecratæ. Quarti *p. 3. tit. 7. dub. 9.* Quare optimè faciunt Sacerdotes, qui habent intentionem, prout in Oratione, *Ego volo celebrare Miſſam &c.* exprimitur. Neque obſtat error, quo putabat Sacerdos, ſe tenere unam Hoſtiam;

quia

quia eſt error accidentalis, & privatus, qui non tollit debitam intentionem conformem directioni, intentioni, & ritui S. Eccleſiæ.

Dictum eſt autem, *ſimpliciter loquendô*, & poſita debita intentione, quam quisque præſumitur habere, niſi conſtet de oppoſito; etenim ſi Sacerdos in hoc caſu voluit præcisè conſecrare eam ſolam & unicam Hoſtiam, quam oculîs vidit, tunc certè altera non eſt conſecrata, quia eſt extra terminum intentionis; unde nec ſumi poteſt ante Sanguinem, ne violetur jejunium, bene tamen poteſt eam ſumere poſt ſumptionem Sanguinis, ùt ſupra *num.* 34. de Hoſtia corrupta dictum eſt. Quarti hìc in *Expoſit. lit. & dub.* 7. citans Suarez, Lugo, Coninch, Averſa &c. Quod idem in ſimili de particulis pro Communione populi intelligendum, & §. I. dictum eſt. Porro, notanda ſunt verba Rubricæ: *Si poſt Conſecrationem invenerit*: Si enim Sacerdos advertat ante Conſecrationem, & poſt Oblationem, non unam, ſed duas Hoſtias ſe obtuliſſe, tunc alteram ſeponat, eámque vel pro alia Miſſa ſervet, vel poſt ſumptum S. Sanguinem eam ſumat, vel alteri det decenter ſumendam, tanquam panem benedictum, Deóque oblatum. Si autẽ ante oblationem Hoſtiæ advertat, unam

ſim-

ſimpliciter ſeponat, déque ea nihil ampliùs curet.

95. *Secundò*, dicit Rubrica: *Quòdſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias aliquas relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant.* De hac Rubrica ſupponendum eſt, eam per ſe loqui de reliquiis, ſeu fragmentis Hoſtiæ, vel Hoſtiarum etiam minorum, quæ tunc in ea Miſſa conſecratæ fuerunt, in qua ſumuntur. Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 2. *dub.* 1. & has ſumi poſſe à Sacerdote etiam poſt ablutionem, docet *Rubrica*. Ratio eſt: quia hujusmodi Celebrans, & in hoc caſu, cenſetur adhuc (reſpectivè) moraliter jejunus, ità ut nihil ſumpſerit, niſi in ordine ad traiiciendū Sacramentum, ejúsque reliquias juxta præſcriptum & praxin Eccleſiæ, id eſt, ablutionem & purificationem, quæ omnia ad idem Sacrificium, ſeu ſpiritualis Convivii complementum ſpectant. Secus eſſet, ſi quis aliud ad rem impertinens ſumeret ſive per modum refectionis, ſive medicinæ; quia hoc nullo modo ſpectat ad idem Sacrificium; & conſequenter ageret contra præceptum Eccleſiæ, ſi adhuc ſumeret reliquias ſeu fragmenta Sacramenti, peccaretque mortaliter, utpote nec phyſicè. neque

que moraliter ampliùs jejunus. Idem *ibid.* Porro, notentur verba Rubricæ: *ſive parva ſint, ſive magna;* ex quibus patet, non eſſe attendendam quantitatem aut numerum fragmentorum, ſed ſolùm, an ſint reliquiæ præſentis Sacrificii. Unde (inquit Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 6. n. 477.*) quando Sacerdos poſt ſumptam jam ablutionem, invenit aliquas particulas ſeu reliquias ex Hoſtia (fortè etiam Calice) ſive parvæ ſint, ſive grandiuſculæ, debet eas ſumere, quia & ſpectant ad idem Sacrificium, & aliter ſatìs reverenter aſſervari non poſſunt. Idque, etiamſi integrâ horâ interim, etiam poſt Sacrum finitum occupatus fueris communicandîs aliîs; tota enim illa actio cenſetur pertinere ad tuum Sacrum. Quod ultimum intellige, ſi ad Sacriſtiam, finitâ Miſſâ, reverſus nondum fueris. Sed vid. etiam dicenda *num. 97.*

96. Petes autem, utrùm hæc Rubrica, *de ſumendis reliquiis Hoſtiæ poſt ablutionem* (ſi priùs non advertantur) ſit de præcepto, ut Celebrans eas nedum poſſit licitè, modò explicatô, ſumere, ſed etiam teneatur, ità ut non poſſit eas reſervare e. g. intrà Pyxidem, poſtea ſumendas ab ipſomet Sacerdote in alia Miſſa, vel ſaltem ab alio? ſedet Quarti cit. dicens: Quando re-

reſervari poſſunt decenter, & absque irreverentia prædictæ reliquiæ ſeu fragmenta Hoſtiæ, id non eſſet peccatum mortale, eſſet tamen peccatum veniale contra Rubricam id facere absque rationabili cauſa: quòd ſi cum gravi irreverentia fieret, eſſet peccatum mortale. Hæc ille. Ex quibus patet, de dictis reliquiis ſeu fragmentis Hoſtiæ poſt ablutionem ſumendis (Rubricâ abſolutè loquente) nullum habendum eſſe ſcrupulum. Dictum eſt autem *Hoſtiæ*; quia nulla pars Sanguinis reſervari poſſet absque peccato mortali; eò quòd id eſſet contra intentionem & praxin Eccleſiæ in re gravi: nusquam enim Sanguis aſſervatur in Tabernaculo, nec ad alium uſum conſecratur, niſi ùt pars Sacrificii præſentis, & ut totus ſumatur à Celebrante in eadem Miſſa. Quarti cit.

97. Petes *ſecundò*, An Celebrans poſſit poſt ablutionem ſumere reliquias non in eadem Miſſa, ſed in præcedentibus conſecratas, ſi eas citiùs non advertit? ℟. quoad hoc duplicem eſſe ſententiam. *Prima* fere communis negat: quia eatenus poteſt Sacerdos non jejunus ſumere reliquias ſui Sacrificii, quatenus pertinent ad idem Sacrificium, & ad integritatem ejusdem communionis; ſed hæc ratio non ha-

habet locum in fragmentis relictis ex alio Sacrificio; ergo. Ità Cajet. Sylv. Navar. Suarez, & cum aliis communiter docet Diana *p. 2. tr. 14. de Celebrat. Miſſar. reſol. 66. Secunda* ſententia affirmat, eodem modo ſumi poſſe à Celebrante fragmenta relicta ex alio Sacrificio præcedenti, ſicut ex ſuo, quod tunc perficit. Marchin. Tambur. *Opuſc. de Commun.* Caſtropal. cum aliis, atque, ùt inquit Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 6. n.* 477. id veriſſimum eſt, per accidens, quando in Sacrario commodè poni non poſſunt: tunc enim urget reverentia Sacramenti. Ratio autem hujus 2dæ ſententiæ eſt: quia fragmenta relicta ex alio Sacrificio præcedenti hoc ipſo, quòd ſint relicta, & non conſumpta in eo, pertinent ad ſubſequens Sacrificium, ſive ejusdem, ſive aliorum Sacerdotum, qui poſſunt, & ſæpe tenentur ſupplere defectus præcedentis Sacrificii: ergo eadem eſt ratio de fragmentis ſive præſentis, ſive præteriti Sacrificii; & quamvìs in eisdem Rubricis hic caſus non explicetur, à paritate tamen rationis rectè infertur. Unde (addit Quarti) ſatìs probabilis videtur hæc opinio, & tuta in praxi. Hoc etiam adverte: Si remaneat integra Hoſtia ex tuo Sacrificio, & non adſit Sacrarium, vel non habeat,

quò

quò commodè reponas, ſume eam; nam & illa ſpectat ad tuum Sacrificium, neque unam tantùm, ſed quotquot ità ſupererunt. Sporer cit. Si autem dubitas, an reliquiæ, quas vides, ſint conſecratæ, nec ne? ſume eas poſt utriusque ſpeciei, & ante ablutionis tuæ ſumptionem. Idem *ibid.* citans Bonac. & alios communiter.

Unum ex eodem Quarti *ibid. dub.* 2. adverte, ſcilicet, Sacerdotem, quando renovat Evchariſtiam, & purificat Pyxidem, ſeu Ciborium, poſſe licitè fragmenta, quæ ſunt in Pyxide, cum ablutione ſumere, & iteratîs ablutionibûs hoc munus perficere, non obſtante, quòd ſint fragmenta ex conſecratis in aliis Miſſis; tum, quia militat à fortiori ratio aſſignata: eſt enim actio Sacerdotalis neceſſariò pertinens non ad illud Sacrificium, in quo fuerunt jam conſecrata, ſed ad hoc, in quo fit purificatio Pyxidis; tum, quia hoc munus purificandi Pyxidem non poteſt aliter decenter impleri, niſi adhibitîs iteratîs purificationibûs; nec enim poſſunt ea fragmenta in poſterum commodè aſſervari.

98. Petes *tertiò*, An poſſint prædicta fragmenta in Patena, aut alibi inventa à Sacerdote, integrè jam abſolutâ Miſſâ, ſumi in Sacriſtia, ſi in Altari exiſtens ea

Digitized by Google

non advertit? Ratio dubitandi eſt; quia adhuc ea ſumptio cenſetur habere relationem ad actionem Sacrificandi, quæ nondum eſt perfectè conſummata ob illas reliquias inadvertenter relictas; & quia ea, quæ in continenti fiunt, ineſſe videntur, *l. Lecta. ff. de Rebus creditis.* ℟. negativè, per ſe loquendô. Ità Angelus ℣. *Miſſa.* Suarez *d.* 68. *ſect.* 6. Layman, Fagundez, Villalob. Coninch, & alii plures, quos citat, & ſequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 45. Kreſsling. *in Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 11. *Addit.* 1. Aman *num.* 746. Ratio eſt: tum, quia reverſus ab Altari Miniſterium ſuum jam explevit, ut ad nihil ampliùs referri poſſit inſtar alicujus continui; tum, quia hujusmodi ſumptio eſſet nova & diſtincta Communio eodem die prohibita. Unde tales reliquiæ ſeu fragmenta forent reverenter ponenda in Ciborium, vel alium decentem locum. Dictum eſt autem, *per ſe loquendô*; per accidens enim, ſi prædictæ reliquiæ ſeu fragmenta, poſt diſceſſum ab Altari non poſſunt ſervari absque irreverentia, poſſunt ea ſumi à Sacerdote non ſolùm induto adhuc veſtibûs ſacrîs, ſed etiam, ſi eas depoſuerit: vel tradi poſſent alicui ad communicandum diſpoſito, quatenus opus eſt

ad

Digitized by Google

ad vitandam majorem irreverentiam, qui caſus ab omnibus conceditur, inquit Quarti cit. Unde etiam Kreſslinger cit. docet, poſſe hujusmodi reliquias licitè ſumi etiam à non jejuno Sacerdote ab Altari ad Sacriſtiam reverſo, ſi non adſit Ciborium, aliúsve decens locus ad eas debitè conſervandum; at hoc non ex eo fundamento, quaſi adhuc duraret eadem actio ſacrificativa, ſed quia aliàs majori exponerentur periculo irreverentiæ, ſicque jejunium non videtur adſtringere. Ità ille, Diana, Gobat, & communis apud & cum Aman *num.* 746.

99. At quid faciendum, ſi dubitatur de fragmentis, an ſint reliquiæ Hoſtiæ conſecratæ, nec ne? ℟. ſi dubium ſit rationabile, & ex ſufficientibus motivis ortum, & Sacerdos ſit in Altari, debet illa fragmenta ſumere poſt ſumptionem Sanguinis, vel etiam poſt ablutionem, ſi ante propter inadvertentiam non ſumpſerit. Ità Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 2. *dub.* 5. Ratio eſt: quia in hujusmodi dubio tutior pars eſt eligenda, ſicque vitatur omnis irreverentia. Quòdſi hoc advertit primùm in Sacriſtia, idem faciat, quod mox de reliquiis certò conſecratis dictum eſt. Si verò dubium non ſit rationabile, ſed potiùs ſcrupulus, deponi debet, & nihil

de eo curandum eſt, dummodo prudenter judicet, non eſſe fragmentum, vel non eſſe conſecratum, & oppoſitum non eſſe probabile; ſecus, ſi judicet oppoſitum eſſe probabile: quia in hoc caſu fieri debet juxta dicta in Reſponſione; nam ob ſummam reverentiam, quæ debetur huic Sacramento, eadem eſt ratio de dubio negativo & poſitivo. Vid. etiam *ſupra num.* 97.

§. III. Si verò relicta ſit Hoſtia integra conſecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari ſupra Corporale decenter opertam, ſumendam unà cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat: vel ſi neutrum horum fieri poteſt, in ipſo Calice ſeu Patena decenter conſervet, quouſque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur; quòdſi non habeat, quomodo honeſtè conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere. *Rubrica.*

100. Rubrica hæc, utì patet, loquitur de relicta integra Hoſtia quaçunque con-

ſe-

ſecrata, docétque, eam non eſſe ſumendam poſt ablutionem, ſed reponendam in Tabernaculo &c. quamvìs, ſi Sacerdos non habeat, ubi eam honeſtè reponat, eám ipſemet licitè ſumere poſſit. Sed occaſione hujus Rubricæ

101. Quæritur *primò*, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi Hoſtiam minorem integram inveniat ad crates communicantium: vel in Altari intrà vel extra Corporale; vel in Tabernaculo, ubi Hoſtiæ minores pro communicandis ordinariè ſervari ſolent? ℟. ad 1*mum*, ordinariè præſumi poſſe, Hoſtiam minorem integram (imò & Hoſtiæ fragmentum) ad crates communicantium inventam, eſſe conſecratam, ideóque ùt talem tractandam. Ratio eſt: quia in tali caſu prudenter præſumitur, illam non niſi occaſione Communionis populi eò deveniſſe. Dicendum tamen eſt, talem Hoſtiam, niſi certitudo habeatur, non in Ciborio reponendam, nec ulli communicantium porrigendam, ſed à Sacerdote poſt ſumptum Sanguinem abſumendam, aut, ſi Communio populi fiat extra Miſſam, alteri Sacerdoti relinquendam eſſe; quod & pro ℟. ℟. ſequentibus reſpectivè notandum eſt. ℟. ad 2*dum*, ſi Sacerdos invenit Hoſtiam in Altari (ubi priùs

alius celebravit, & Hoſtias minores pro Communione fidelium conſecravit) diſtinguendum eſt: ſi extra Corporale, ordinariè præſumi poteſt, non eſſe conſecratam, ob defectum intentionis ad Hoſtias extra Corporale ſitas ſe non extendentis; ſi verò intrà Corporale invenerit, præſumi poteſt, eſſe conſecratam, utpote cùm hujusmodi Hoſtia intrà Corporale exiſtens licitè & validè conſecrari potuerit; atque hoc maximè, ſi prior Celebrans Corporale in Altari expanſum reliquit, vel Hoſtias è Corporali, poſt earum Conſecrationem in Ciborium tranſpoſuit. Quòdſi autem inveniat Hoſtiam in Altari, ubi minores Hoſtiæ conſecratæ non fuerunt, præſumi poteſt, eam non eſſe conſecratam, ſed caſu eò deveniſſe; niſi in eodem Altari antea populo Communio ex Ciborio miniſtrata fuerit, idque præcipuè, ſi Ciborium multîs conſecratîs Hoſtiîs repletum ſit. ℟. ad 3*tium*, ſi in Tabernaculo præter Ciborium extet etiam aliud vaſculum lineum (vulgò Cibori- vel Hoſti- Häubl) continens Hoſtias conſecratas, præſumi poteſt, Hoſtiam inventam eſſe conſecratam; ſi autem ſolum ibidem extet Ciborium, res manet dubia. Quidquid autem ſit de hujusmodi præſumptionibus, ſanum & ſecu-

ſecuriſſimum eſt, ut tales Hoſtiæ, vel fragmenta ordinariè ſumantur ad modum in ℞. 1*ma.* notatum.

102. Quæritur *ſecundò*, Quandonam Sacerdos de ſe poſſit præſumere, quòd materiam conſecraverit, vel non? & ſpecialiter, quid cenſendum de micis ab Hoſtia Sacerdotis decidentibus, & de guttis Calici adhærentibus? Ante ℟. ſupponitur, Celebrantis intentionem fuiſſe conſecrandi juxta Chriſti inſtitutionem, & ritum S. Romanæ Eccleſiæ, nihil determinandô in particulari; quæ utique intentio optima eſt & ſecuriſſima, meritóque ab omnibus Sacerdotibus ſemper habenda, ùt *ſupra num.* 94. jam audivimus. H. S. ℞. 1. Si Sacerdos poſt Conſecrationem primùm advertat præſentiam alicujus Hoſtiæ exiſtentis in tali loco, ut non fuerit Conſecranti moraliter præſens; nempe ſi illam inveniat ſub mappa, aut ſub Corporali, certò judicet, eam à ſe in hac ſaltem Miſſa non eſſe conſecratam; quia conſecrari non potuit. Vid. *ſupra num.* 11. Quia tamen dubium eſſe poteſt, quin non fuerit antea ab alio Sacerdote conſecrata, & caſu eorſum devenerit, hinc eam ſumat ante purificationem; aut, ſi illam adeſſe cognoſcat primùm poſt ſumptam ablutionem, ſequen-

Digitized by Google

ti Sacerdoti dictô modô ſumendam relinquat Corporali decenter involutam; aut, ſi nullus alius ſit celebraturus, in Tabernaculo reponat, nullo autem modo cum aliis conſecratis Hoſtiis commiſceat. Aman *num.* 580. Quòdſi decenter conſervari nequeat, faciat, ùt *ſupra num.* 97. *&* 100. dictum eſt. Si autem quæras, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi Hoſtias non conſecratas cum conſecratis commiſcuit, & ab invicem diſcerni nequeunt? ℞. eum debere in ſequenti Miſſa formam Conſecrationis proferre ſuper totũ cumulum Hoſtiarum, attamen cum intentione, ſolas non conſecratas conſecrandi; ſi verò dictam comixtionem factam advertat ante oblationem, vel ſaltem ante Conſecrationem Hoſtiæ; id ipſum, quod mox dictum eſt, in ſua, quam tunc celebrat, Miſſâ faciat. Sed occaſione mox dictorum incidenter

Quæris, utrùm Sacerdos licitè conſecrare valeat Hoſtias pro communicantibus conſecrandas, ſi primùm poſt Offertorium, id eſt, pane & vino jam oblatîs, afferantur? ℞. Eas adhuc licitè conſecrari, ſi afferantur paulò poſt Offertorium, cum oblatione mentali, modò adſint ante Præfationem, docent Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 71. Gavant. & Buſenbaum; & quid ni etiam,

mo-

modò adſint ante conſecrationem? omnino concedunt Tambur. *l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 10. Gobat *num.* 96. qui addit: ſi unus tantùm dimittendus eſſet ſinè Communione, ſe tunc non ampliùs pro ipſo conſecraturum peculiarem Hoſtiam, ſed diffringerem, ait, particulam à mea grandiori, ipſique porrigerem, ſecutus arbitrium Gavanti: & tu tutò fac ſimiliter. Ità Sporer *Theol. ſacram. p.* 2. *c.* 3. *num.* 170. ubi etiam ſequentem caſum ſubjungit: Conſecravi ſemel Ciborium plenum particulîs: & mox facta conſecratione, alius Sacerdos aufert ad communicandum populum: an rectè & citra peccatum? *Reſp.* Citra peccatum mortale quidem, at certè non ſinè veniali indecentia, niſi urget neceſſitas aliqua tam citò communicandi alios: eſt enim aliqua deordinatio, ſi ſuper illas particulas non fiant ſigna, Cruces, benedictiones præſcriptæ in Miſſali. Ità poſt alios Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 2. Tambur. & Gobat. Sargar tamen *de SS. Evchar. Confer.* 10. *num.* 86. poſtquam conceſſit, Sacerdotem in tanta copia communicantium, particulas ante *Pater noſter* auferentem, nullam planè commiſiſſe culpam, dicit, quòd Cruces in Miſſali præſcriptæ fieri non ſoleant ſuper particulas communicantium, aut Ciborium, ſed ſo-

lùm ſuper Hoſtiam majorem & Calicem. Sed hæc incidenter. Jam ad *Quaſt. principal. n. 102. poſitam.*

103. ℞. 2. Si materia reperiatur poſt Conſecrationem in tali loco, ubi validè quidem, ſed non licitè potuiſſet conſecrari, cenſeri debet non conſecrata. Ità Suarez, Diana, Caſtropal. Henno &c. apud & cum Aman cit. Ratio eſt: quia Sacerdos non præſumitur conſecrâſſe illam materiam, quam ſinè peccato conſecrare non potuit; niſi de contrarià voluntate certò conſtet. Quòdſi autem Sacerdos feciſſet generalem intentionem conſecrandi omnem materiam aptam, & ſibi moraliter præſentem, tunc certum eſt, quamcunque illam à ſe conſecratam eſſe, licet in conſecratione non adverterit, eam adeſſe: hæc autem intentio adeò generalis eſt mortaliter peccaminoſa. Aman. cit. Ratio eſt: quia non omnis materia conſecrabilis, in hac generali intentione incluſa, licitè poteſt conſecrari.

104. ℞. 3. Si quis primùm adverterit poſt Conſecrationem, Hoſtias conſecrandas ſibi fuiſſe appoſitas in Ciborio; tunc ſi illæ appoſitæ fuerint ſupra Corporale, cenſebuntur conſecratæ; ſecus, ſi extra illud, aut extra aram e. g. in Credentia fuerint

Digitized by Google

rint collocatæ. Ità Suarez, Diana, & alii apud & cum Aman *num.* 581. Ratio eſt: quia ſupra Corporale poſitæ conſecrantur licitè, illicitè extra, conſequenter, quia Sacerdos cenſetur ex intentione ſua ordinaria *num. præc.* notatâ, conſecrâſſe, quod licitè, & ſecundùm ritum communem, conſecrari poteſt, præſumitur in tali caſu tantùm conſecrâſſe Hoſtias ſupra, non extra Corporale poſitas.

105. R. 4. Si Sacerdos ante Conſecrationem advertit, Ciborium cum Hoſtiis conſecrandis ſibi appoſitum eſſe, ſed oblitus eſt, dum conſecravit, illud diſcooperire, & reponere ſupra Corporale, tunc putat la Croix apud Aman cit. tales Hoſtias eſſe conſecratas. Quia tamen (ùt ait la Croix) res eſt dubia, de novo ſub conditione conſecrandæ ſunt ab alio Sacerdote. NB. dicit, *ab alio Sacerdote*, non ab eodemmet, qui actu celebrat; hic enim, quia Hoſtiam majorem rite jam conſecravit, non poteſt prædictas Hoſtias in eodem Sacrificio de novo, neque ſub conditione conſecrare; quia hæc eſſet nova conſecratio, quæ in eodem Sacrificio licita non eſt. Secus tamen foret, ſi tam de Hoſtia majori, quàm de minoribus prudenter dubitaret, utrùm conſecraverit; tunc enim (ſup-

po-

Digitized by Google

poſitô ex *num.* 80. ſupponendô) Hoſtiam majorem cum minoribus ſupra Corporale poſitîs, ſub conditione rectè ſimul conſecraret; atque hoc etiam, ſi poſt Conſecrationem adverteret, ſe in Conſecratione Hoſtiæ verbum eſſentiale omiſiſſe. Ratio eſt: quia in his caſibus non ſit duplex, ſed unica tantùm Hoſtiarum conſecratio; conſequenter ſicut priùs has potuiſſet, ex ſuppoſito licitè conſecrare, poterit idem in hac conſecratione vel ſub conditione, vel abſolutè juxta qualitatem rei facere. Item, utì docet la Croix *l. 6. p. 2. n.* 243. ſi Sacerdos dubitaret de valore Conſecrationis majoris Hoſtiæ, quamvìs certus eſſet de invaliditate Conſecrationis minorum, poſſet repetere formam cum intentione conditionata circa majorem, & abſolutâ circa minores, & tum omnes haberent ſe per modum unius materiæ. Verùm, non obſtante opinione Claudii la Croix, videtur P. Aquilino Aman probabilius, in caſu ad initium hujus Reſp. poſitô, conſecrationem Particularum, ſeu Hoſtiarum minorum repeti non debere. Ratio eſt: quia præfatus Sacerdos voluit, & potuit in dicto caſu Hoſtias minores in Ciborio clauſas & extra Corporale poſitas validè & licitè conſecrare. Quòd voluerit, ſup-

poni-

ponitur; quòd *validè* potuerit, certum eſt; quòd autem etiam potuerit *licitè*, ratio eſt: quia oblivio eas ponendi ſupra Corporale non imputatur ad culpam. Ità Aman. Sed contra hanc rationem, *ex oblivione inculpabili* deſumptam, pugnare videntur ea, quæ *num.* 103. dicta ſunt. At ℟. negativè: quia *num.* 103. ſermo erat de caſu, in quo abſolutè, & hìc & nunc licitum non eſt, materiam non debitè præſentem conſecrare; ſecus eſt in hoc caſu, quando e. g. Ciborium prope Corporale poſitum eſt, & ſolummodo ex oblivione inculpabili ſuper Corporale non reponitur, nec diſcooperitur.

106. ℟. 5. Stante intentione Sacerdotis, & *num.* 102. ſuppoſitâ, dicendum: quando conſecratur cumulus Hoſtiarum e. g. in Pyxide, cenſentur conſecrata etiam fragmenta, & minutiſſimæ particulæ, ſenſibiles tamen, quæ in Pyxide ſeparatæ ſunt ab Hoſtiis: etiam fragmenta, quæ fortè Pyxidis lateribus adhærent, & quæ ſunt in fundo. Ità Dicaſtill. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 7. *dub.* 9. Ratio eſt: quia aliàs manerent permixtæ ſpecies conſecratæ cum non conſecratis, ſimúlque adorarentur, quod eſt abſurdum. Quod autem hìc dictum eſt de fragmentis ſeparatis, multò

ma-

magis intelligendum eſt de iis, quæ Hoſtiis adhærent. Dictum eſt autem, *ſenſibiles tamen*; quia non poteſt validè conſecrari minima, & ex ſe humanitus inſenſibilis pars panis, aut vini ſeparatim ſumpta, quæ nec tactu, viſu, aut alio ſenſu percipi poteſt. Maſtr. Buſenbaum, Boſco, Coën, & communis apud & cum Aman *num.* 578. atque hoc etiam in caſu, quo talis particula eſſet localiter moraliter præſens Conſecranti. Ratio eſt: quia Sacramentum in facto conſiſtens debet eſſe ſignum ſenſibile in facto eſſe, ſicut Sacramentum in fieri debet eſſe ſignum ſenſibile in fieri; atqui prædicta particula non poteſt eſſe ſignum ſenſibile, utpote pars inſenſibilis: ergo. Secus eſt, ſi hujuſmodi pars conjuncta ſit cum cæteris; tunc enim redditur ſenſibilis per alias partes. Aman. *num.* 579.

107. ℟. 6. Quando ſola Hoſtia major affertur conſecranda, & ab ea ſeparantur aliqua fragmenta, quæ tempore Conſecrationis manent ſuper aram, & Corporale, ea cenſentur etiam conſecrata, idque vi intentionis *num.* 102. notatæ. Quarti cit. conformiter Bonac, Dicaſtill. Tanner. apud eum citt. Ratio eſt: quia magis expedit, & minùs inconveniens eſt, prædictas particulas conſecrari, quàm remane-

re

re abſque conſecratione; cùm facilè contingere poſſit, partes aliquas poſt Conſecrationem ab Hoſtia majori ſeparatas dilabi, & admiſceri reliquis ſpeciebus non conſecratis, indéque eſſent ſimul permixtæ ſpecies aliquæ conſecratæ, & non conſecratæ, quod eſt indecens. Accedit ratio *num. præc.* allata.

108. R. 7. Quoad guttulas vini ſeparatas intrà Calicem lateribus ejus adhærentes, tenendum eſt, eas conſecrari. Ità Bonac. *diſp. 4. q. 2. punct. 5. n. 7.* Dicaſtill. Tanner. apud & cum Quarti cit. Ratio, præter alias, eſt: quia non eſt major ratio de fragmentis in Pyxide contentis, quàm de guttis vini intrà Calicem; atqui illæ conſecrantur in omnium opinione: ergo etiam guttulæ vini. Dictum eſt autem, *ſeparatas intrà Calicem*; quia guttulæ vini Calici extrinſecùs adhærentes non debent cenſeri conſecratæ, eò quòd licitè conſecrari nequeant.

109. Dices: Non debet conſecrari vinum, niſi mixtum aquâ; ſed guttæ vini Calici interiùs adhærentes non ſunt aquâ mixtæ: ergo. 2*dò*: Intentio Eccleſiæ cenſetur eſſe, & intentio Sacerdotis debet eſſe, conſecrare ſolum liquorem, qui per modum unius continui potabilis, tempo-

re

re Conſecrationis eſt in Calice congregatus, & hoc vi formæ, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei &c.* ergo. ℞. ad 1*mum*, ſatisfieri præcepto, dum admiſcetur aqua vino in Calice pro Conſecratione poſito. Cæterùm, non eſt opus, ut aqua modiciſſima omnes vini partes penetret, vel occupet, ſatis enim eſt, ſi verificetur ſimpliciter, illud vinum eſſe mixtum cum aqua ob myſterium, quod hac Cæremonia ſignificatur. Quarti cit. Et quæſo, ſi Sacerdos pro Conſecratione infuderit in Calicem vini guttas centum, & aquæ guttas ſex, putáſne, quòd omnes & ſingulæ guttæ vini ſint ex ſex aquæ guttis adaquatæ? non probabis, etiamſi has guttas aquæ in centum guttulas ſeu particulas dividas. ℞. ad 2*dum*, retorquendô argumentum: Intentio Eccleſiæ cenſetur eſſe, & intentio Sacerdotis debet eſſe, conſecrare ſolùm Hoſtiam majorem (idem reſpectivè intellige de ſingulis Hoſtiis minoribus conſecrandis) quæ per modum unius continui comeſtibilis, tempore Conſecrationis eſt in manu Sacerdotis coadunata, & hoc vi formæ, *Hoc eſt enim Corpus meum*; ergo nullæ particulæ, ſeu fragmenta, utpote cum Hoſtia integra unum continuum non conſtituentia erunt conſecrata. Negas antecedens & conſe-

quen-

quentiam? & alii tuum antecedens & conſequentiam negant; quouſque paritatem de particulis *num.* 106. & 108. allatam legitimè ſolveris, aut mentem S. Eccleſiæ nobis contrariam clarè probaveris. Cæterùm advertendum eſt, quod Lohner *de Miſſ. Sacrif. p.* 2. *tit.* 18. *R. C. n.* 4. ſcribit, videlicet: De guttis per Calicem diſperſis Sacerdos ne nimiùm ſit ſollicitus (præſertim, ſi poſt infuſionem easdem purificatoriô, adhibita morali diligentia jam abſterſit) nam, etſi rectè Gavantus & alii moneant, easdem aut purificatoriô abſtergendas, aut circumacto Calice reliquis vini & aquæ partibus uniendas eſſe, ſi ante Conſecrationem videantur; ſi tamen id ipſum non fiat, nullum comitti peccatum, Tamburinus *de Sacrif. l.* 2. *c.* 1. §. 3. *n.* 29. docet, addens, non expedire, ut illa abſterſio, vel commotio fiat immediatè ante Conſecrationem Calicis, & verba, *Simili modo &c.* omnino autem malè fieri, ſi poſt Conſecrationem abſtergantur. Ità Lohner.

§. IV. Si intentio non ſit actualis in ipſa Conſecratione propter evagationem mentis, ſed virtualis, cùm accedens ad Altare intendat facere, quod facit Eccleſia, conficitur Sacramen-

tum; etſi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

Rubrica.

110. Quòd ad conficiendum Sacramentum ſufficiat intentio virtualis, eſt apud Theologos certiſſimum; quòd autem Rubrica dicat, *etſi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem habeat*, non eſt præceptum, ſed conſilium; quia hæc Rubrica reduplicativè ſumpta non eſt præceptiva, ſed directiva, utì *ſupra num.* 36. vidimus. Unde concludendum eſt, ad Sacramenta validè conficienda optimam quidem, at non neceſſariam eſſe intentionem actualem; ſufficere tamen etiam, atque omnino neceſſariam eſſe intentionem virtualem. Quòd actualis ſit *optima*, ratio eſt: quia eſt perfectiſſima, & ſecuriſſima, influitque modô perfectiſſimô, utpote in ſe actu exiſtens. Quòd autem non ſit *neceſſaria*, ratio eſt: quia Deus lege ſua poſitiva non obligat ad moraliter impoſſibilia, vel nimis difficilia: eſt autem moraliter impoſſibile fragilitati humanæ obnoxiæ plurimis, etiam omnino involuntariis diſtractionibus, quòd Miniſter ſemper habeat actualem intentionem, quando & quamdiu exercet actionem Sacramentalem,

Digitized by Google

talem, panderetúrque via infinitis ſcrupulis & anxietatibus adminiſtrantium, ſi ad eorum valorem exigeretur illa ſemper actualitas. Quare, licèt intentio actualis ſit optima, perfectiſſima, ſecuriſſima, & per ſe loquendô omnimodè conſulenda, id tamen non modò non eſt neceſſarium, verùm etiam per accidens ſcrupuloſis, & anguſto intellectu præditis non conſultum, ut in ipſa prolatione verborum & applicatione materiæ eliciant illam actualem intentionem; nam ſcrupuloſi mactabunt ſe & circumſtantes ſuîs ineptîs repetitionibûs horribiliter, idque maximè, dum, antequam pronuntiant primum Conſecrationis verbum, intentionem, ut actualis ſit, renovant, repetunt, iterum iterúmque, imò quinquies, octies, ampliùs iterant, ſemper timentes, an revera habeant intentionem actualem, donec tandem primum verbum quaſi inopinato caſu ex ore proiiciant. Alii autem anguſto intellectu præditi facillimè errarent in recta pronuntiatione verborum, rectáque applicatione materiæ. Porro, notanda etiam eſt ſequens doctrina, videlicet: Omnibus Sacramentorum Miniſtris, omnium ſenſu & conſenſu, omnino ſtudendum eſt, ut, dum ſe accingunt ad Sacramentum miniſtran-

Digitized by Google

dum, eliciant illam intentionem actualem, ut ſic ſecuta mox connexione & concatenatione actuum mediorum, ſecuriores ſint de ſufficienti, & omnino neceſſaria intentione virtuali.

111. Ex dictis patet, qualiter Sacerdoti minimè timendum, vel ſcrupulizandum ſit de habita ſufficiente conſecrandi intentione, idque eò magìs, quia P. Boſco *de Sacram. in genere*, *ſect.* 7. *n.* 115. *ad finem* apud Aman *num.* 541. ait, *Eſſe moraliter impoſſibile*, *ut homo ſanæ mentis*, *& alicujus conſcientiæ absque intentione actuali*, *vel virtuali ſacras veſtes induat*, *ad Altare accedat*, *& alia ad Sacrificium pertinentia peragat.* Vel dicat ſcrupuloſus, quare accedat Sacriſtiam, induat ſe Sacrîs veſtibûs, incipiat & proſequatur Miſſam, offerat Hoſtiam & Calicem, accipiat Hoſtiam & Calicem in manus ſuas, proferat verba Conſecrationis &c. nunquid hæc omnia cum intentione Sacrificandi Deo? & hæc ipſa eſt actualis exercita, vel ad minimum virtualis, ideóque ſufficiens intentio. Dicet aliquis: timeo, ne hæc intentio ſit tantummodo habitualis, quæ in Miniſtro Sacramentorum non ſufficit. At, bone Vir! ex dictis tuis certò non videris capere, quid ſit intentio habitualis, loquela enim tua manifeſtum te facit; cogita ergo, & cape,

quo-

quomodo poſſit eſſe intentio habitualis tantùm, ubi eſt actualis ſaltem implicita, & exercita, vel ad minimum veriſſima virtualis intentio: ſive, ubi intentio ſeu voluntas continuò, & in actu exercito agit, & actualiter rectè agere intendit, vult, ac ſatagit, quod actu agit, atque hìc & nunc agendum eſt? Crede ergo Doctoribus, & in Sacra Theologia Magiſtris expertiſſimis, quódque ipſi rectè faciunt, & ſalubriter docent, fac & tu ſimiliter; alioquin ſcito, *Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* 1. Reg. 15. v. 23. &, quis neſcit, quòd ſuper omnes ſapere velle, deſipere ſit?

TITULUS VIII.
De Defectibus Diſpoſitionis Animæ.

§. I. Si quis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs canonicè impeditus, celebret; conficit quidem Sacramentum, ſed graviſſimè peccat, tam propter Communionem, quam indignè ſumit;

quàm propter executionem Ordinum, quæ ſibi erat interdicta. *Rubrica.*

112. Rubrica hæc clara eſt, intelligitque ſub ly, *vel aliàs canonicè impeditus*, Sacerdotem ligatum interdictô, vel quavis alia prohibitione Eccleſiæ, qua gravî præceptô illi veritum eſt celebrare. Quarti *p.* 3. *tit.* 8. *in Explic. lit.* Ex his tamen

113. Quæritur, quid dicendum de Excomunicato occulto? Rđdet Reiffenſtuel *tr.* 2. *diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 28. dicens: Infertur Excommunicatum occultum licitè ſe gerere tanquam non excomunicatum, in quantum hoc eſt neceſſarium ad infamiæ notam vitandam, aut ſimilis mali periculum; adeóque, ſi non habet, à quo abſolvi poſſit, non teneri abſtinere à Divinis, vel (prævia tamen contritione) Sacramentorum adminiſtratione, aut ab eligendo, & hujuſmodi, ſi abſque periculo infamiæ, aut alterius gravis mali abſtinere non poſſit. Similiter irregularis factus ob culpam occultam, poteſt celebrare, Ordines ſuſcipere &c. ſi tam citò nequeat obtinere diſpenſationem, & abſque gravi nota, vel damno,

no, non poſſit diutiùs abſtinere. Et ità de multis aliis eſt diſcurrendum, ac notat Herincx cum Communi. Ità Reiffenſt. Unde etiam Gavant. in hanc Rubricam ait: Quòd ſi, immineat mortis, infamiæ, aut ſcandali periculum, poterunt prædicti (ſi non habent, à quo abſolvi poſſunt) cum contritione celebrare. Azor. *lib.* 10. *c.* 31. *q.* 6.

§. II. Si quis habens copiam Confeſſoris, celebret in peccato mortali, graviter peccat. *Rubrica.*

114. Quòd Sacerdoti celebraturo, & in ſtatu peccati mortalis conſtituto (habitâ Confeſſarii copiâ) confeſſio neceſſaria ſit, patet ex Concilio Trid. *Seſſ.* 13. *c.* 7. ibi: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum: Probet ſe ipſum homo, 1. Cor. 11. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, absque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia Confeſſoris,*

Digitized by Google

Mentitur ergo iniquitas ſibi, ſi Sacerdos celebraturus confidat, ſe poſſe in hoc caſu per contritionem absque Sacramentali Confeſſione (habitâ Confeſſarii copiâ) juſtificari.

115. Quàm grande autem ſcelus ſit, deliberatè in ſtatu mortalis peccati Deo Sacrificare, Chriſtique SS. Corpus & Sanguinem pollutîs labiîs indignè ſumere, nemo Sacerdotum eſt, qui neſcit. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*, inquit S. Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 29. Item: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini.* Ibid. ℣. 27. id eſt, inquit S. Thom. Vill. *c.* 3. *de Sacr.* apud Lohner *Bibl. tit.* 25. *§.* 2. *n.* 11. reus erit, ac ſi occidiſſet, & effudiſſet, non æqualiter, ſed proportionaliter; quascunque enim blaſphemias, quascunque irriſiones, quæcunque opprobria impiiſſimi Judæi in Chriſtum corporaliter exercuerunt, has omnes ſpiritualiter repetit impius comeſtor, Filium Dei rurſum in ſemetipſo crucifigens, & oſtentui habens.

116. Dicit autem Rubrica, *Si celebret in peccato mortali, graviter peccat*, etenim non peccat graviter, qui alias functiones Ordi-

num

num exercet cum conſcientia peccati mortalis: ut ſi Lector Lectionem, Subdiaconus Epiſtolam, vel Diaconus Evangelium in tali ſtatu ſolemniter cantet; aut ſi Sacerdos Aquam luſtralem benedicat, SS. Evchariſtiam de uno loco in alium transferat, vel Matrimonio aſſiſtat; ſeu Epiſcopus benedicat Sacras veſtes, conſecret Eccleſias, vel alia hujusmodi præſtet. Ità Reiffenſtuel *tr.* 14. *diſt.* 1. *q.* 4. *n.* 58. citans Bonac. Maſtr. &c. Utrùm autem Sacerdos in ſtatu peccati mortalis fidelibus Evchariſtiam diſtribuens peccet mortàliter, putat Vaſq. 3. *p. diſp.* 135. *c.* 3. *n.* 39. (apud Reiff. Fenſt. cit. *num.* 52.) quòd non; favétque Maſtrius *Diſp.* 16. *Theol. Moral. num.* 42. Lugo, & alii apud & cum Stoz *l.* 1. *p.* 3. *n.* 341. eò quòd tunc is non conficiat, neque recipiat Sacramentum, ſed jam antea confectum duntaxat diſpenſet. Unde Stoz cit. ſubjungit, nullum exercitium Ordinis, aut alterius Sacramenti, præter ipſam Sacramenti confectionem, à peccatore prodeuntem eſſe peccatum mortale. Palaus *T.* 4. *tr.* 18. *p.* 6. *n.* 2. & alii. Et ideo Epiſcopus, aut Sacerdos conficiens, v. g. Chriſma pro Confirmatione, Conſecrationem templi, Altarium, Sacrorum vaſorum, benedictionem Virginum, aut populi cum

Venerabili Sacramento, Prædicatores Verbi Divini, Diaconum aut Subdiaconum, cantantes ſolemniter Evangelium, aut Epiſtolam, non peccant mortaliter, etſi eas functiones peragant in ſtatu peccati mortalis; non enim actiones illæ peculiariter cenſentur eſſe actiones Chriſti, aut ad ſanctitatem ex opere operato conferendam ordinatæ. Palaus *n.* 4. Diana, Lugo, Coninch. Hæc ille.

117. Porro, quia Rubrica dicit: *Si quis habens copiam Confeſſoris*, quæritur, quando Confeſſarii copia non adeſſe cenſeatur? ℞. det Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *ſect.* 8. *n.* 484. dicens: Copia Confeſſarii tunc non habetur, quando (urgente celebrandi neceſſitate) vel nullus adeſt Sacerdos approbatus & expoſitus; ad abſentem autem ſinè magna difficultate, ſpectatîs circumſtantiîs perſonæ & itineris, acceſſus eſſe nequeat: vel ſi adſit quidem Confeſſarius juriſdictione præditus, cui tamen pœnitens ſinè interprete, aut ſinè periculo gravis jacturæ, aut ſcandali proprii, Confeſſarii, aut aliorum, confiteri non poſſit. Quòd verò nonnulli prætendant, non adeſſe ſibi copiam Confeſſarii, ſi nullus adſit, niſi vel familiaris, cui confiteri, & deinceps converſari erubeſcat, ſanè falſum eſt, ſi nullum

aliud

aliud periculum ſcandali, aut alterius gravis incommodi ſubſit ex illis, ob quæ Confeſſionem dimidiare licet. Ratio eſt: quia, ut quis ſinè prævia Confeſſione communicet, vel celebret, omnium conſenſu non ſufficit ſola erubeſcentia, ſed neque ſufficit probabilis metus cujuſcunque ignominiæ, ſcandali, vel alterius incommodi, ſed requiritur grave quid, grave ſcandalum, gravis infamia, ùt loquuntur paſſim DD. & obſervat Diana *p. 9. tr. 3. reſol.* 15. Hæc Sporer. Porro, neque excuſat cohabitatio, aut ſi dicas: ſi huic vel illi confiteor, perdo authoritatem meam &c. hæc enim excuſatio prorſus nihil facit ad rem; quia utique Confeſſarius quilibet ad Sigillum Sacramentale ſervandum graviſſimè & arctiſſimè eſt ligatus, nec de quoquam eorum eſt vel minimè ſuſpicandum, ipſum ſive directè, ſive indirectè fractorem Sigilli eſſe futurum. Forſan aſpiciet te propter peccata tua, qualia de te non cogitâſſet, audita? tibi imputa; ſi enim tu non peccâſſes, peccata tua non audiviſſet. Et quid tum, ſi te aſpicit? nunquid & tu (ſi Confeſſarius es) alios citra Sigilli fractionem aſpicere potes, & fortè jam aſpexiſti? vel dic amabò, ſi Summus Pontifex (utpote & ipſe homo) occulta graviſſima peccata

Digitized by Google

cata patraret, & hæc ipſa Confeſſario a etiam ſimplici non confiteretur, nunquid propter tuas nullius valoris rationes eſſet à facienda Confeſſione excuſatus? aut ſi, prout tenetur, rite confiteretur, nunquid apud Confeſſarium authoritatem ſuam perderet? minimè, ſed hujusmodi Confeſſarius nanciſceretur novam occaſionem timendi, magis ſe humiliandi, & cogitandi: Si columnæ corruunt, quid de arundine fiet? veriſſimum enim eſt, quia non eſt peccatum, quod fecit unus homo, quod non poſſit facere & alter homo.

118. Petes autem, quid faciendum Sacerdoti, qui commiſit peccatum mortale reſervatum, ſed non habet Confeſſarium, niſi talem, qui à reſervatis abſolvere nequit? ℞. Ecce tibi denuo doctrinam ex Sporer *Theol. Sacram. p. 3. c. 6. ſect. 2. n.* 757. ubi ſic habet: Quando miſer Pœnitens habes caſum reſervatum, & in neceſſitate communicandi, celebrandi, Sacramenti adminiſtrandi, non potes accedere Superiorem, vel alium poteſtatem habentem, habes tres ſententias, omnes in praxi tutas. *Prima*: non teneris confiteri Sacerdoti inferiori cum dicto onere; ſaltem, ſi præter reſervatum, nullum aliud habes mortale, ſed potes te gerere, ſicut, qui

non

non habet copiam Confeſſarii: cùm nullus, per ſe loquendô, contra voluntatem ſuam cogatur bis confiteri, nec conſequenter confiteri tali Sacerdoti, cum onere poſtea id ipſum confitendi alteri. Confitere ergo ſoli Deo cum vera contritione, ſaltem æſtimatâ, quoad potes, & ceſſante ſcandalo celebra, communica &c.Ità cum aliis Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 3. Laym. *c.* 11. *n.* 11. alii moderni paſſim. Quòdſi verò præter peccatũ reſervatum aliquod aliud mortale habeas, ſanè longè probabilius & tutius eſt, teneri confiteri communicaturum (celebraturum) ob præceptum Chriſti de Confeſſione neceſſariò præmittenda S. Communioni. *Secunda* ergo ſententia probabiliſſima, & tutiſſima eſt, debere tunc te eidem Sacerdoti inferiori omnia tua mortalia, tam reſervata, quàm non reſervata confiteri; tum, ut Confeſſarius pœnitentis ſtatum rectè cognoſcat; tum, quia videtur urgere duplex præceptum Chriſti, & de Confeſſione præmittenda Communioni, & de integra Confeſſione omnium mortalium eidem Sacerdoti facienda, cùm eo caſu non appareat ſufficiens ratio ad dimidiandam confeſſionem; nec inconveniens ſit, per accidens aliquem idem peccatum teneri bis confiteri. Ità communis

DD.

DD. cum D. Thoma, Suarez, Layman; idque maximè verum eſt in ſingulari ſententia Marchantii noſtri, & aliorum; ſi nimirum à reſervatis directè, etſi onerosè abſolvendus ſit. *Tertia* ſententia etiam probabilis eſt & tuta, poſſe tunc pœnitentem confiteri ſola non reſervata, tacitîs reſervatîs: quippe pro quibus directè abſolvendi non eſt copia Confeſſarii, ideóque non urgeat præceptum integritatis Confeſſionis, neque absque certo fundamento imponenda ſit obligatio idem peccatum mortale bis confitendi. Ità Sotus, Corduba, Gabriel, aliíſque relatîs Diana *p.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 104. nec improbant Laym. Lugo. Loquimur autem in ſententia & ſenſu communi DD. eo caſu pœnitentem à Confeſſario inferiori ſolùm indirectè abſolvi à reſervatis peccatis, cum onere ea confitendi denuo Superiori, vel poteſtatem habenti pro directa Abſolutione. Hæc Sporer. Porro, ùt inquit Quarti *p.* 3. *tit.* 8. *ſect.* 3. *dub.* 3. quando quis excuſatur à confeſſione mortalium, non tenetur ſola venialia confiteri, niſi prudenter timeret, ſe ſolùm eſſe attritum, & carere contritione; quia tunc debet confiteri venialia etiam ſimplici Confeſſario, deficientibùs aliîs, ut fiat mo-

rali-

Digitized by Google

raliter certus de ſtatu gratiæ. Cæterùm notanda eſt Propoſitio 16. damnata ab Alexandro VII. *die* 24. *Sept.* 1665. quæ ſic ſonat : *Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.*

§. III. Si quis autem in caſu neceſſitatis non habens copiam Confeſſoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, ſi conteratur: debet tamen, cùm primùm poterit, confiteri. *Rubrica.*

119. Rubricæ huic conformiter loquitur Concilium Trid. *Seſſ.* 13. *cap.* 7. dicens : *Quòdſi neceſſitate urgente, Sacerdos absque prævia Confeſſione celebraverit, quàm primùm confiteatur.* Cùm verò Rubrica clara ſit, videndum ſolummodo eſt, quidnam ſub ly *neceſſitate urgente*, & ſub ly *quàm primùm*, intelligendum veniat. Priùs tamen notandæ ſunt duæ Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. *die* 18. *Mart.* 1666. quarum prima, ordine 38 ſic ſonat : *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi* quàm primùm, *eſt conſilium, non præceptum.* Secunda,

cunda, ordine 39. eſt hæc: *Illa particula, quàm primùm, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.* H. N. ſequitur

120. *Primò*: Caſus neceſſitatis, ſeu juſtæ cauſæ, in quibus, non ſuppetente copia Confeſſarii, Sacerdoti contrito (contritione ſaltem æſtimata, ſi nimirum bona fide credat, aut probabiliter exiſtimet, ſe eſſe verè contritum) absque prævia Confeſſione celebrare (aut etiam Laico communicare) licet, potiſſimùm tres recenſentur. *Primus* Caſus ab ipſo Concil. Trid. inſinuatus, eſt: quando Sacerdos ex officio tenetur celebrare, aut fideles jure ſuo Sacrificium exigunt, nec per alium fieri poteſt: utpote Parochus die Dominico & Feſto: item pro defuncto præſente: item ad benedicendas nuptias cum ſequente Miſſa celebrandas: idem, vel quivis alius, ut pro moribundo Viaticum conficiatur, ſi alia Hoſtia conſecrata deſit. Layman, Diana apud & cum Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *n.* 486.

121. *Secundus* Caſus, ab omnibus admiſſus eſt, ſi Sacrificium (vel Communio) ſine gravi infamia, vel populi ſcandalo omitti non poſſit. Ratio eſt: quia lex poſitiva etiam Divina non cenſetur obligare cum tanta ſeveritate; & ſcandalum eſt

mag-

magnum ſpirituale damnum, ex majori obligatione naturali charitatis evitandum. Item, ſi Sacerdos aliàs ſolitus, vel modò inſtanter rogatus, ut faciat Sacrum, ſinè gravi nota, vel ſuſpicione criminis omittere nunc, vel denegare non poſſit. Quid autem de admiratione populi? ℞det Sporer cit. *n.* 480. dicens: Certè graves DD. apud Dianam *reſol.* 20. abſolutè dicunt, ſufficere metum admirationis in populo, eò quòd hæc non ſoleat eſſe ſinè ſuſpicione peccati: quod licèt, in rigore loquendô, rectè neget Suarez, aliique communiter, verum tamen eſſe debet, quando ex illa admiratione timetur, quòd homines defacto accipiant occaſionem temerè judicandi, detrahendi. Scotus in 4. *d.* 9. *q. un.* etiam excuſat Sacerdotem jam indutum Sacrîs veſtibûs, & non habentem ad manum Confeſſarium idoneum. Idque etiam in Laico ſinè nota gravi, vel ſinè ignominia non valente omittere Communionem, concedunt DD. ferè omnes.

122. *Tertius* Caſus eſt, quando Sacerdos inchoatô jam Sacrô, recordatur peccati mortalis antea commiſſi (aut forte, prô nefas! tunc primùm patrati) & ſi quidem primùm poſt Conſecrationem, omnium conſenſu debet, elicita contritione,

Digitized by Google

ne, Sacrificium proſequi : ſi autem ante Conſecrationem, eum obligari ad confitendum vel recedendum, ſi commodè & ſinè ulla nota infamiæ poſſet, docent Navar. Sylveſt. Coninch, alii cum Suarez *diſp. 66. ſect. 4.* & in ea ſuppoſitione verum eſſet. Contrarium ergo practicè longè verius eſt, ſi Sacerdos etiam ſtatim poſt Introitum recordetur peccati mortalis, poſſe elicita contritione, & poſtea confitendi propoſitô, pergere, & neque recedere, neque Confeſſarium advocare obligari. Ità Sotus, Victoria, Henriq. Tanner. Layman, Gobat, apud & cum Sporer cit. *n.* 489. Ratio eſt; quia vix unquam decenter, & ſinè omni Sacerdotis nota, confuſione, aut etiam ſcandalo, interruptâ Miſſâ, Confeſſio Sacramentalis interponi poſſe videtur, ſive recedendô ab Altari, ſive Confeſſarium advocandô; exceptô, ſi in publico Officio Miſſæ Concio interponatur, aut quis Sacerdotem ſibi miniſtrantem haberet, idque ipſum vix ſinè incommodo, niſi in loco privato celebretur. Sed

123. Ex mox dictis ultimis verbis, *niſi in loco privato celebretur*, oritur alia Quæſtio, utrùm Sacerdos, ſi in privato Sacello celebrans, inchoatâ jam Miſſâ, recordetur peccati mortalis non confeſſi, teneatur vel

ab

Digitized by Google

ab Altari diſcedere, vel Confeſſarium advocare? Ratio dubitandi eſt; quia in hoc caſu non videtur urgere neceſſitas vitandi infamiam. ℞. det Quarti *p. 3. tit. 8. ſect. 3. dub. 4. ℣. Tertia cauſa.* dicens: Si quis celebrat e. g. in privato Sacello, variè opinantur DD. Aliqui enim cenſent, ante Conſecrationem teneri Sacerdotem recedere ab Altari, ſi non poſſit habere Confeſſarium. Itá Vaſq. & Lugo. Alii meliùs; eum non teneri recedere ab Altari, ſed ſolùm accerſere Confeſſarium, ſi eum poſſit habere; quòd ſi habere non poſſit, licitum ei eſſe proſequi Miſſam, elicito actu contritionis. Itá Suarez *diſp. 66. ſect. 4.* cum aliis. Sed nos cum pluribus DD. defendimus, ad neutrum teneri, etiamſi non urgeat neceſſitas vitandi infamiam, ſed ob ſolam reverentiam Sacrificii jam inchoati, ne deſeratur imperfectum, vel interrumpatur. Hæc ille. Atque hæc etiam intelligenda ſunt in caſu, quo Sacerdos deliberatè, & malitioſiſſimè in ſtatu peccati mortalis ad Altare, Miſſam ſacrilege celebraturus acceſſit, ſed e. g. ſub *Confiteor &c.* facti pœnitens conteritur, & Miſſam contritus proſequitur. Si autem quæras, quo tempore in hiſce caſibus Sacerdos, inchoatâ jam Miſſâ, contritionem elicere teneatur? ℞. Quamvis

Digitized by Google

ſanctum, & ſaluberrimum ſit, contritionem omni niſu elicere immediatè, ac ſtatum ſuum, ſéque in peccato mortali exiſtere agnovit; ſufficit tamen (ſaltem ad culpam mortaliter peccaminoſam evitandam, vel non continuandam) ut hoc, mutatô jam priùs in melius animô, fiat ante Conſecrationem, & maximè ſub *Memento vivorum.* Atque hoc conformiter dictis *num.* 116.

Cæterùm ad Caſus neceſſitatis pertinet etiam hic; ſi nimirum Sacerdos inchoatâ jam formâ Conſecrationis ſive Hoſtiæ, ſive Calicis, recordetur, ſe eſſe in ſtatu diſgratiæ; tunc enim tutâ conſcientiâ pergere & complere poteſt formam abſque eo, ut nonnihil ſubſiſtat, &, antequam formam compleat, contritionem eliciat. Ratio eſt: quia, quando duo præcepta incompoſſibilia concurrunt, illud faciendum eſt, quod magìs urget; atqui magis urget præceptum de continuanda, & complenda forma Conſecrationis juxta ritum Eccleſiæ: ergo. Accedit, quòd inchoatâ jam Conſecrationis formâ, non ſit tempus contritionem eliciendi, ſed Conſecrationem cœptam abſolvendi. Vid. etiam in ſimili Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 1. *q.* 4. *n.* 46. Adde tamen, Sacerdotem in hujusmodi

caſu,

caſu, completâ Conſecrationis formâ, ad eliciendam contritionem graviter obligatum eſſe, præſertim ſi recordatio mali ſtatûs contingat ſub Conſecratione Hoſtiæ, ùt de ſe liquet. Hæc autem, de contritione elicienda dicta (Si Sacerdos bona fide ad Altare acceſſit) intellige, tunc eliciendam eſſe, quando Sacerdos prævie e.g. ſub præparatione ad Miſſam id non fecit; ſi autem pro poſſibili hoc fecit, & ſaltem probabiliter ſe verè contritum eſſe judicavit, opus non eſt nova contritione, etſi ſaluberrimum ſit, eam repetere. Et certè, ſinè contritione elicita ad Sacrificium accedere, vel præſumptuoſum, vel temerarium eſt, vel ſaltem laudabile non eſt; etenim, *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm amore an odiô dignus ſit.* Eccle. c. 9. v. 1.

124. *Secundò*, Particulæ, *Quàm primùm confiteatur*, imponunt neceſſitatem confitendi, vel quàm primùm quis poſt Sacrum factum habet copiam Confeſſarii, ex communi Tanner. *To.* 4. *d.* 5. *q.* 8. *n.* 27. (quando ſcilicet altera, vel tertia die iterum celebrare vult, aut debet) vel certè intrà triduum. Diana *p.* 9. *tr.* 3. *reſol.* 23. nam in Jure vox *quàm primùm*, ſeu *illico*, ſignificat idem, quod poſt triduum, *l. final. C. de Jud.*

& alibi. Unde minimè ſubſiſtit explicatio quorumdam, ly *Quàm primùm* hìc idem importare, ac quando ſuo tempore Sacerdos iterum primùm confitebitur; obſtat enim Propoſitio 39. damnata, & *ſupra num.* 119. relata. Item, non valet hæc explicatio, quaſi ly *Quàm primùm* idem dicat, ac, *quàm primùm talis iterum velit celebrare.* Unde rectè monet Sporer *n.* 492. dicens: Si rarò celebrare ſoleas, noli fidere huic explicationi, quippe nimis apertè repugnanti menti Concilii Tridentini, ſed omnino teneris ſaltem tertio die ſub mortali confiteri poſt illud Sacrum ſine Confeſſione factum, eſto eo die nec habeas in animo celebrare, nec præceptum Confeſſionis te aliunde obliget, juxta communiſſimam DD. apud Tanner. Dicaſtill. Laym. & Gobat Alphab. Sacrif. caſu 14. *n.* 439. Cur autem præceptum, *quàm primùm confiteatur* (quod eſt purè Eccleſiaſticum) emanaverit, ratio eſt; ne Sacerdotes habentes conſcientiam peccati mortalis, paſſim prætextu neceſſitatis & inopiæ Confeſſarii, abſque Confeſſione, elicita tantùm contritione ſacrificent, voluit Concilium, ſi omnino non poſſit ante, ſaltem ſtatim poſt Sacrum confiteantur, & non quando alioquin iterum confitebuntur, fortè poſt menſem &c. Porro

valde

valde notandum eſt, quod monet Reiffenſtuel *tr.* 14. *diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 34. dicens: Quando hodie poſt Miſſæ Sacrificium præmiſſa contritione (in caſu neceſſitatis, & deficiente Confeſſario) peractum, occurrit copia Confeſſarii, & non eſt certum, an ſequenti die, quo rurſum celebrare teneberis, ſis habiturus copiam Confeſſarii, teneris hodie confiteri. Ità Lugo *diſp.* 14. *de Euch. ſect.* 7. *n.* 162. Herincx *diſp.* 6. *Euch. q.* 6. *n.* 81. rectè hoc extendens ad caſum, quando ſequenti triduo non putatur adfutura occaſio confitendi; & alii. Ratio eſt: quia neglectâ iſthac copiâ confitendi, vel daretur nova cauſa iterum celebrandi ſinè Confeſſione, vel non confitendi *quàm primùm*; atqui horum utrumque directè eſt contra finem, atque intentum Concilii Tridentini: ergo. Hæc ille.

125. Quæres autem, utrùm Sacerdos malitiosè celebrans in ſtatu peccati mortalis, teneatur vi præfati præcepti ad confitendum *quàm primùm*? ℞. negativè; nam hic non celebravit urgente neceſſitate, atque præmiſſa contritione (de quo caſu loquitur Concil. Trid.) ſed ex malitia; ac proinde celebrandô jam graviſſimè peccavit. Bonac. apud & cum Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 43. Si tamen hujuſmodi Sa-

cerdos malitiosè quidem Miſſam inchoavit, ſed ad cor reverſus, & pœnitens factus, elicita pro poſſibili contritione Miſſam proſequitur, tenetur, abſolutâ Miſſâ, præcepto *quàm primùm* confitendi. Ratio eſt: quia ex caſu malitiæ factus eſt caſus neceſſitatis; unde idem de eo dicendum, quod *ſupra num.* 122. dictum eſt. Atque hoc idem dicendum eſt de eo, qui bona quidem fide ad Altare acceſſit, ſed inchoatâ jam Miſſâ recordatur, ſe exiſtere in ſtatu peccati mortalis; conteratur ergo, ſi nondum eſt contritus, Miſſam proſequatur, & hac finita, *quàm primùm* confiteatur. Cæterùm, hoc præcepto *quàm primùm* confitendi, non tenentur Laici, qui in caſu neceſſitatis communicârunt ſinè Confeſſione, ſed cum contritione. Ratio eſt: quia Concil. Trid. nullam facit mentionem Laicorum, ſed duntaxat Sacerdotum, neceſſitate urgente celebrantium. Ità Bonac. *diſp. 4. de Euch. q. 6. punct.* 1. *n.* 37. *&* 40. hoc extendens ad Sacerdotem in caſu neceſſitatis more Laicorum communicantem, cùm Tridentinum loquatur ſolùm de Sacerdotibus celebrantibus. Suarez, Reginald. aliique; quamvis non deſint oppoſitum tenentes. Vide Reiffenſt. cit. num. 42. Sed occaſione dictorum

Digitized by Google

126. Petes, utrùm Sacerdos inveteratus, vel in occaſione proxima voluntariè conſtitutus (poſitô, talem dari poſſe) à Confeſſario, intuitu Miſſæ neceſſariò celebrandæ, toties, quoties abſolvi debeat? R. det Quarti *p. 3. tit. 8. ſect. 3. dub. 3. ℣. Hinc ſit.* dicens: Si quis Sacerdos datâ operâ priùs induatur ſacrîs veſtibûs, quàm adeat Confeſſarium, ut ſic illum cogat ad impendendam Abſolutionem, non ideo debet Confeſſarius Abſolutionem impendere Sacerdoti, qui poſt multas monitiones & promiſſiones non reſipuit. Moneat tamen illum, ſi verè contritus eſt, celebrare poſſe ad gravem infamiam evitandam (non autem ex devotione tantùm) ſic enim pœnitentis neceſſitati ſubvenitur per contritionem & Communionem, & Confeſſarius prudenter fungitur officiò ſuô non abſolvendô talem inveteratum, vel in occaſione proxima conſtitutum, donec experientia temporis alicujus teſtetur firmum propoſitum ipſius. Ità Manuel in *Sum. to. 1. c. 65. n. 1.* Joan. Sanchez cum aliis apud Quarti. Rationes ſunt eædem, quæ contra ſimiles Laicos pugnant; unde etiam iîsdem principiîs practicîs Confeſſariis reſpectivè utendum eſt, niſi forſan Confeſſarius ob ſpecialia doloris &c. ſigna hujus-

modi Sacerdotem pro illa vice prudenter duxerit abſolvendum.

Dictum eſt autem, *Si Sacerdos datâ operâ priùs induatur ſacrîs veſtibûs, quàm adeat Confeſſarium, ut ſic illum cogat ad impendendam Abſolutionem*; quæ verba vehementem Confeſſario poſſunt ingerere ſuſpicionem, quòd talis Sacerdotis contritio ob defectum efficacis propoſiti, ſit vel nulla, vel valde dubia: vel quòd liberiùs peccaverit, vel de ſeria emendatione parùm ſollicitus, liberiùs peccaturus ſit, confidentiâ fretus, quòd ob caſum neceſſitatis, ſive ob verè neceſſariam Miſſæ celebrationem faciendam à Confeſſario toties, quoties abſolvi debeat, & ſinè Abſolutione dimitti nunquam poſſit. Sed falleris, bone Vir! quia te non minùs, ac alios quoſcunque concernunt quatuor Propoſitiones ab Innocentio XI. 2. *Martij* 1679. damnatæ, quæ ſic ſonant. *Prima*, ordine 60. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda Abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.* *Secunda*, ordine 61. *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* *Tertia*, ordine 62.

Pro-

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. Quarta, ordine 63. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.* Adde & *Quintam*, ordine 58. damnatam: *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.* Inſpice ergo (ſiquis talis es) conſcientiam tuam, & noli tibi blandiri, vel gloriari, quòd nactus fueris Confeſſarium, ſimpliciter (bona tamen fide, quantùm ex parte illius erat) te abſolventem, ſed magis time Deum Judicem, te (niſi reſipueris) tuámque fictam, ſimulatam, oſtentatam, invalidam, atque ſacrilegam Confeſſionem æternaliter damnantem.

127. Dices: Ego defacto ſum verè contritus; ergo habeo jus ad Abſolutionem. ℞. Hoc ipſum dicit inveteratus, vel in occaſione proxima conſtitutus Laicus; & tamen, ſæpiùs quidem admonitus, ſed non emendatus hìc & nunc non abſolvitur: donec ſufficientia veræ emendationis ſigna Confeſſario exhibuerit. Et quoties tu forſan ipſe hoc jam dixiſti? ſed &c. Urgebis: Celebrare neceſſariò debeo, & jure Divino ante Celebrationem, habitâ Confeſſarii copiâ, confiteri; ergo. ℞. diſtin-

Digitized by Google

guendô Conſequens : Confeſſarius te abſolvere tenetur, ſi cætera requiſita adſint, conceditur; ſecus, negatur Conſequentia. Et nunquid etiam Laicus neceſſariò communicaturus, pari jure hoc dicit? Nota autem, quòd Jure Divino non tantùm tenearis confiteri, ſed etiam vitam tuam efficaciter emendare; ſcriptum eſt enim: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. *v.* 17. Ergóne, inquies, neceſſitatus debeo celebrare absque Abſolutione? ℞. Si adeſt verus (non fictus) neceſſitatis caſus, potes celebrare, ſed tamen verè contritus; ſicut & Laicus, urgente communicandi neceſſitate, in ſimili poteſt communicare non abſolutus; *Joan. Sanch. Manuel &c. apud Quarti cit.* (vid. *ſupra num.* 120.) Si autem non contritus, vel non verè contritus celebrare præſumpſerit, tu videris.

128. Porro, ut notat Sporer cit. *num.* 486. addunt quidem aliqui plures caſus, in quibus, deficiente Confeſſarii copia licitum eſſe videtur Sacerdoti contrito celebrare. 1*mus* eſt: Quando aliquis, etiam ſimplex Sacerdos rogatur ab aliis die Feſto aliàs Sacrum audire non valentibus, ut Sacrum legat. Diana *reſol.* 9. poſt alios. 2*dus*: Quando ipſe Sacerdos deberet carere Sacrô,

crô, Feſto die. Sotus, Vivaldus, & alii. 3*tius:* Quando idem deberet omittere Communionem Paſchalem. Diana *reſol.* 13. 4*tus* : Quando Capellanus ratione Capellaniæ tenetur legere Sacrum. Palaus contra Dianam. 5*tus*: Quando idem jam accepit ſtipendium pro dicendis Miſſis, aut oblatô ſtipendiô rogatur, ut celebret. Henriq. contra Dian. &c. At (ſubinfert Sporer) ſuppoſitô, præceptum Confeſſionis celebrationi Miſſæ præmittendæ eſſe juris Divini, caſus iſti meritò reprobantur ab aliis, ac ipſo Gobat *tr.* 4. *caſu* 61. *n.* 241. ſubintellige, niſi alia juſta cauſa ex ſupra enumeratis excuſet. Vid. etiam *infra num.* 151. Item, reiicitur caſus, quando quis copiam Confeſſarii quidem habet, attamen in proximo poſt celebrationem expectat alium, cui utiliùs confiteretur, quia eſt ſuus ordinarius Confeſſarius. Item, ſi quis timeat deteriorem opinionem apud Confeſſarium; quod tamen eſt onus intrinſecum Confeſſioni. Tales (inquit Quarti cit.) & ſimiles caſus non poſſunt admitti, & verè carent probabilitate. Suarez, Vaſq. Coninch, & alii communiter apud eundem.

129. Cæterùm, quia Sacerdotes timoratæ conſcientiæ, & ſcrupuloſi propter

ter Confeſſionem Sacrificio præmittendam variè cruciari poſſunt, in eorundem ſolatium ſequentia ſubjunguntur. *Primum:* Timor, ne ſit in malo ſtatu peccati mortalis, excuti debet ſecundum principia communia; hinc generaliter loquendô, judicet, ſe non amiſiſſe gratiam, quamdiu indubitanter, & certò non ſcit, ſe amiſiſſe. La Croix *L. 6. p.* 2. *n.* 199. *Secundum:* Peccata ſive poſitivè, ſive negativè dubia non ſunt neceſſariò confitenda. Ità Coninch, Petr. Marchant. Caramuel, Joſeph de Jan. Martinon. Ferrant. quos refert Tambur. apud & cum Stoz *lib.* 1. *p.* 5. *q.* 3. *n.* 165. idque etiam docet la Croix cit. *num.* 611. de ſcrupuloſis, dicens: Scrupuloſi non tenentur confiteri peccata negativè dubia, ſed tantùm illa, de quibus certi ſunt eſſe mortalia, utì habet communiſſima cum Sanch. Con. Laym. &c. Idem addit *num.* 612. Qui timoratæ eſt conſcientiæ, id eſt, qui non ſolet plenè, advertenter, & deliberatè offendere Deum, non tenetur confiteri, ſi dubitet, an peccârit mortaliter. Ratio eſt: quia ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio, adeóque habet motivum poſitivè judicandi, ſe non peccâſſe mortaliter. Eſt autem allatæ ſententiæ (de nullo peccato dubio obligato-

rie

Digitized by Google

riè confitendô) inter alias etiam hæc ratio : quia cenſendum eſt, Concil. Trid. *Seſſ.* 14. *c.* 5. (ubi ex inſtituto tradidit doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ, ejúsque materia) ſufficienter docuiſſe fideles : at ibi apertè docet, pœnitentem debere confiteri omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem memoriam habet, & conſcientiam ; ergo hoc ipſo etiam docuit, neminem debere confiteri illa, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, nec memoriam, nec conſcientiam ſeu accuſantem, ſeu reprehendentem habet ; atqui illorum, de quibus quis dubitat, memoriam non habet, nec conſcientiam accuſantem, ſeu reprehendentem, utì conſtat. Ut quid ergo gravemus jugum fidelium, quòd alioqui ſuave eſt, & leve. Ita Stoz cit. Et patet res ex ipſis verbis Concilii Trid. cit. ibi : *Conſtat, nihil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm ut, poſtquam quisque diligentiùs excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibûs ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit ; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur.* Atqui dubitans negativè prorſus non meminit, ſe mortaliter offen-

diſſe

diſſe Deum, cùm nulla contra ipſum ſtet ratio probabilis; hac enim ſtante, non ampliùs eſſet dubitans negativè, ſed poſitivè; ergo.

Dices: Oportet peccata confiteri, prout ſunt in conſcientia Pœnitentis; atqui peccata negativè dubia ſunt in conſcientia Pœnitentis: ergo. Accedit, quòd in hoc caſu poſſeſſio ſtet pro obligatione legis de facienda Confeſſione. ℟. negandô minorem; peccata quippe negativè dubia nullo modo ſunt in conſcientia, vel memoria Pœnitentis; ſecus eſt de peccatis poſitivè dubiis, & tamen juxta communem DD. non tenetur ea quis confiteri. Deinde negatur, quòd poſſeſſio ſtet pro obligatione legis de facienda Confeſſione, ſed ſtat pro libertate pœnitentis, non obligati, niſi ad confitendum peccata, quibûs ſe Deum mortaliter offendiſſe meminerit, uti ex Tridentino audivimus. Accedit, quòd nulla accuſatio prudenter ab ullo Judicum admitti poſſit de delicto, de quo dubium eſt, an ſit commiſſum, ùt notat Stoz cit. ergo multò minùs admitti poteſt de delicto, de quo nulla ratio contra accuſatum probat. Ex dictis infert idem Stoz *num.* 154. *& ſeqq.* pro praxi, quæ hic ſequuntur.

130. I. Qui dubitat merè negativè, ità ut nec pro ſe, nec contra ſe habeat rationem, poteſt ab omni onere immunem ſe reddere : hæc enim dubitatio, cùm ſit potiùs mera ignorantia, non præbet ullum fundamentum decernendi quidquam in alterutram partem, ſed ſicut ſinè cauſa concepta eſt, ità etiam ſinè culpa deponi poteſt, & judicium ferri pro immunitate dubitantis : alioquin nimis grave eſſet onus impoſitum humanæ voluntati; cùm nihil facilius ſit, quàm ejusmodi dubia concipere. II. Qui ità dubitat de peccato commiſſo, ut ex una parte habeat rationes probabiles, & ſufficientes ad judicandum, ſe non peccâſſe mortaliter; ex altera verò parte habeat alias ſimiles, & fortè probabiliores ád judicandum ſe peccâſſe, non tenetur illud confiteri : conformat enim ſe judicio probabili, quod licet. Suarez, Sanchez, Tamb. & alii. III. Qui probabiliter, imò certò ſcit, ſe peccâſſe mortaliter, habet tamen rationes probabiles, ſe jam confeſſum eſſe ; & alias probabiles, aut fortè probabiliores, ſe non eſſe confeſſum, non tenetur confiteri : quia adhuc ſequitur judicium probabile. Coninch *de Pœn. D.* 7. *d.* 8. *n.* 68. Tamb. IV. Qui habet rationes probabiles, ſe non peccâſſe; vel ſcit qui-

dem ſe peccâſſe, habet tamen probabiles rationes, ſe jam confeſſum eſſe, non tenetur illud confiteri, etſi alias nullas habeat rationes ad judicandum contrarium. Ratio eſt eadem; quia adhuc operatur nixus ratione probabili, quod ad honeſtatem operis ſufficit. Sed

131. Quid, ſi quis ſcit, & ſe peccâſſe, & peccatum, quod admiſit, eſſe grave: dubitat verò, an ſit confeſſus, tenetúrne confiteri? Rdet Stoz cit. *n.* 169. id deſumendum eſſe ex ipſa dubitantis conditione. Vel enim ſemper fuit diligens in confitendo, nec quidquam voluntariè unquam omiſit, vel non, ſed luridè & negligenter ſe ad proximè imminentem Confeſſionem præparavit? ſi *primum*; debet contemnere tanquam irrationabile dubium, & præſumere, ſe confeſſum eſſe: neque enim ſufficiens ratio dubitandi eſt, quòd non meminerit; cùm ſæpe vix heſternorum, aut etiam hodiernorum meminerimus: nec delictum præſumendum ſit, ſed probandum. Præterquam, quòd talis non ampliùs ſit in vero dubio, ſed in opinione probabili, quam ſequi licet. Si *ſecundum*, peccatum illud dubium confitendum eſt; quia præceptum eſt in poſſeſſione, cùm conſtet de peccato commiſſo, & obligatio-

ne

ne confitendi; de Confeſſione verò facta non conſtet, neque probabilis adſit conjectura, Dubitantium illum, utpote hominem luridum, & in tam gravi negotio peragendo valde negligentem, peccatum illud aliquando confeſſum eſſe. Vid. etiam la Croix *l. 6. p. 2. n.* 612. qui *num.* 613. hæc quoque ſcribit: *Si ex levi omnino fundamento dubites, aut potiùs timeas, aut ſuſpiceris, an non fortè peccâris mortaliter, vel an in Confeſſione non omiſeris mortale, non ideo teneris confiteri; quia non eſt dubium prudens: unde ſicuti ſinè rationabili motivo incidit, ſic poteris ſinè alio motivo contemnere: & ſi tum eſſet obligatio confitendi, orirentur innumeri ſcrupuli, uti rectè cum aliis Mendo *num.* 2.* Ità ille.

132. Porro, addit idem Stoz *l. 1. p. 3. n.* 613. *& ſeq.* dicens: Quando quis in vita fecit Confeſſionem generalem cum mediocri diligentia adhibita in diſcuſſione conſcientiæ, non tenetur ampliùs de vita anteacta cogitare, & ſi poſtea occurrat dubium, an peccatum ſit in Confeſſione expoſitum, vel non? an cum debito numero, & circumſtantiis &c. poteſt præſumere, ſe jam confeſſum eſſe &c. & omnia dubia de præterita vita deponere: alio-

Digitized by Google

qui nunquam erit finis dubitandi, & ſe, Confeſſarióſque vexandi. Joan. Sanc. *D.* 4. *in ſelect. n.* 18. apud Dian. in *Sum.* ℣. *Confeſſio. n.* 56. Et hoc principium applicari poteſt ad Confeſſiones etiam particulares: nam, qui bona fide ſufficienter præſtitit, quæ ad Confeſſionem requiruntur, non tenetur in prioris vitæ acta ulteriùs inquirere; nam nullus alioqui eſſet locus tranquillitati conſcientiæ, ſed quacunque diligentiâ poſitâ in Confeſſione facienda (cùm de propitiato peccato etiam viri pii non debeant eſſe ſinè metu. *Eccli.* 5.) ſemper cogitari poterit, an rectè ſit inſtituta. Ità ille. Ex qua ratione non videtur pœnitentibus (ſaltem omnibus) permittendum, minùs ſuadendum, ut, depoſitâ morali cum diligentia Confeſſione, è Confeſſionali reverſi, ſe recolligant, an omnia peccata ſua ritè explicaverint; nullus enim, quamvìs ſcrupulîs non vexatus, poſt ſufficientem adhibitam in diſcuſſione ſuæ conſcientiæ perquiſitionem in ordine ad Confeſſionem peccatorum efficiendam, tenetur ulteriùs de anteacta vita cogitare: quòdſi aliquid occurrat non explicatum in Confeſſione, poterit ſibi (niſi aliter de oppoſito conſtet) perſuadere, illud jam fuiſſe memoratum. Atque ex hoc ipſo

&

& multò magìs ſcrupuloſi talem perſuaſionem, ſi morali diligentia præmiſſa ſemel Confeſſionem fecerint, habere poſſunt & debent ad pacandam conſcientiam ſuam, cùm ipſi dubitent de rebus etiam clariſſimis. Ità Joan. Sanc. Reginal. *to.* 2. *c.* 10. *n.* 131. Roſell. *c.* 16. *n.* 9. ℣. *Præterea.*

133. Obiicit Scrupuloſus : Si peccata, de quibus dubito, an Confeſſioni ſubjecerim, non confiteor, periculo non confitendi aliqua peccata me expono, &, qui periculum amat, peribit in illo. Huic objectioni omnium ſcrupuloſorum reſpondet Ægid. Coninch, dicens : Suadendum eſt ſcrupuloſis, ut nihil confiteantur, niſi de quo illis certò conſtet, quòd ſit peccatum, & quòd non ſint confeſſi; quia hoc neceſſarium eſt, ut poſſint à ſcrupulis ſanari : nec refert, quòd hac ratione exponantur periculo non confitendi quædam peccata mortalia ; tum, quia hoc periculum in talibus rarum eſt ; tum etiam, quia non tenentur cum tanto ſuo damno & periculo hærendi in illis dubiis, cruciatibus & anxietatibus, omnimodam integritatem Confeſſionis procurare. Ità ille, Reginal. Roſell. *c.* 16. *n.* 17. Sed per accidens

134. Dubitabis *primò*, utrùm teneamur peccatum priùs ùt dubium confeſſum,

poſtea compertum certò factum, denuo ùt certum confiteri? ℞. negativè. Ità poſt alios reſolutè Arriaga *de Pœnit. diſp.* 31. *ſect.* 6. & probabiliſſimum cenſet Tambur. Pellizar. Herincx, Caramuel, alii, & tandem probabile cenſuerunt Romæ R.mus Richardus S. Palat. Apoſt. Magiſter, & alii viri doctiſſimi conſulti à Lugo, prout ipſe teſtatur *diſp.* 16. *n.* 92. Ratio ſufficiens eſt: quia revera jam confeſſus eſt totum ſuum peccatum, prout tunc erat in conſcientia, quoad ſpeciem, numerum, & circumſtantias ſe tenentes ex parte ipſius peccati, ùt ſupponitur: & ab eo directè abſolutus eſt, non obſtante dubio: nam dubitatio prior, & certitudo poſtea ſuperveniens eſt circumſtantia tenens ſe ex parte cognitionis tantùm: nec cognitio prior dubia impedit, quò minùs peccatum priùs ſit integrè in Confeſſione manifeſtatum, & directè abſolutum: nec cognitio certa ſuperveniens detegit aliquam novam circumſtantiam diverſificantem peccatum: ergo non eſt ulla ratio cur tale peccatum antea confeſſum ùt dubium, poſtea certò cognitum, ùt certum denuo confiteri obligemur. Confir. *à ſimili.* Communiſſimo ſenſu DD. qui dubius de Voto omiſſo, aut Cenſurâ vel Irregularitate contractâ, petit & obtinet

net abſolutionem, vel diſpenſationem ad cautelam, vel ſub conditione, poſtea cognita certitudine ſui Voti, Cenſuræ, vel Irregularitatis antea contractæ, non debet petere de novo abſolutionem, vel diſpenſationem; cur non idem dicatur in propoſito, & caſu noſtro ſimillimo? Sporer cit.

135. Dubitabis *ſecundò*, quid tibi faciendum, ſi peccatum reſervatum dubium, ſeu dubiæ reſervationis, Confeſſario carenti poteſtate in reſervata, confeſſus es, at poſt Confeſſionem peractam deprehendis, peccatum tuum certò, & revera fuiſſe reſervatum; quid tibi, ais, agendum? ℞. Sola Pœnitentia. Sporer *Theol. Sacram. p.* 3. *c.* 6. *n.* 734. Ratio eſt: quia Abſolutio non fuit data ſub conditione, *niſi poſtea conſtet, verè eſſe reſervatum*, ſed abſolutè: atque tanquam ſub eo dubio revera non reſervatum, jam directè remiſſum fuit. Vide (*num. prac.*) dicta in ſimili de peccato, ùt dubio confeſſo, poſtea certò factum compertô, non neceſſariò rurſus confitendô: eadem, imò major eſt ratio in propoſito, cùm jam peccatum certum confeſſus es, de ſola reſervatione dubius. Ità ille. Porrò, dicit quidem Gobat *Theol. Exper. tr.* 6. *caſu* 15. *n.* 374. Obſervo, non eſſe repetendam

Confeſſionem, quando eâ peractâ, datáque Abſolutione, advertis, fuiſſe à Confeſſario habitum pro non facto, quod tamen erat factum; aut pro veniali, quod tamen erat à parte rei mortale; modò ſit proceſſum bona fide, & res ita propoſita, ut ex modo proponendi potuerit Confeſſarius facilè,& prudenter formare debitum judicium. Sed contrarium cenſetur tenendum, ſaltem in caſu, quo poſt datam Abſolutionem advertis, à Confeſſario peccatum tuum mortale pro non facto habitum fuiſſe. Quòdſi tu peccatum tuum mortale certò factum, confeſſus quidem es, ſed ità palliandô, ut Confeſſarius illud pro non facto, vel pro dubio, vel pro veniali judicaverit, de repetenda Confeſſione dubitare non debes.

136. Dubitabis *tertiò*, utrùm Confeſſarius non habens poteſtatem in reſervata, poſſit abſolvere pœnitentem, qui priùs jam confeſſus erat Confeſſario habenti facultatem abſolvendi à reſervatis, ab eoque abſolutus fuit à peccatis non reſervatis,ſed oblitus erat inculpabiliter alicujus peccati reſervati,quod deinde detegit Confeſſario non habenti facultatem ab eo abſolvendi? ℞. affirmativè. Ità Caſtropal. *de Pœnit. diſp. un. p.* 15, *§.* 6. *n.* 3. allegans commu-

nem

nem ſententiam, & plures Authores veluti Navar. Henriq. Suarez, Covarruv. &c. apud & cum P. Florido Moſmiller in *Diſput. Can. de Jurib. Paroch. punct.* 2. *num.* 76. Ratio eſt: quia ille alius Confeſſarius pollens facultate abſolvendi ejusmodi pœnitentem vult abſolvere, quantùm ipſe poteſt, & pœnitens indiget: atqui ille poteſt peccati etiam obliti reſervationem tollere (ùt ſupponitur) & pœnitens indiget; ergo.

137. Dubitabis *quartò*, an Confeſſarius non habens facultatem abſolvendi à reſervatis poſſit abſolvere eum, qui priùs confeſſus eſt habenti facultatem in reſervata, & reſervatum peccatum expoſuit, ſed fuit invalidè abſolutus ob defectum doloris, aut integritatis materialis quoad non reſervata? ℟. affirmativè. Ità Caſtropal. cit. *num.* 2. apud & cum Moſmiller cit. *num.* 78. Ratio eſt: quia in hoc caſu fini reſervationis ſatisfactum eſt; ſiquidem iſte pœnitens ſeſe Superiori, vel illius vices habenti præſentavit, & ab eo convenienter medicinam pro peccato accepit; ergo. Dictum eſt autem, *& reſervatum peccatum expoſuit*; ſi enim hoc malitioſè ſubticuiſſet, non poſſet abſolvi à Confeſſario facultatem in reſervata non habente. Ratio eſt:

Digitized by Google

quia non ſatisfecit fini reſervationis, nec convenienter medicinam pro peccato accepit.

§. IV. Si in ipſa Celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur, ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. *Rubrica.*

138. De hac Rubrica actum jam eſt ſupra *num.* 122. unde hoc loco nihil repetendum.

§. V. Si recordetur, ſe eſſe excomunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionem. Ante Conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere. *Rubrica.*

139. Ex hac Rubrica dubitari poſſet, utrùm verba, *Ante Conſecrationem autem in ſupradictis caſibus &c.* intelligenda ſint tam de hoc, quàm de præcedente §. Sed videt Quarti in *Expoſ. lit.* hic, dicens: Monet

Ru-

Rubrica, ut in primo caſu, videlicet ſi recordetur, ſe eſſe in peccato mortali, Sacerdos conteratur, & Miſſam proſequatur. In ſecundo verò caſu, ſi recordetur Sacerdos, ſe eſſe excom̃unicatum, vel ſuſpenſum &c. diſtinguit: vel enim id advertit ante Conſecrationem, & tunc, ſi non timetur ſcandalum, docet Rubrica, eum debere Miſſam deſerere: ſi autem hoc advertat poſt conſecrationem, tunc ſatìs erit, eum conteri cum propoſito petendi Abſolutionem: tenetur enim proſequi Sacrum. Hoc igitur poſitô, videndum duntaxat eſt, utrùm hæc Rubrica cadat ſub præcepto. Supponitur autem 1*mò*, certum eſſe ſecundùm omnes (ùt ait Quarti cìt. *ſect.* 1. *dub.* 4.) ſi Celebrans recordetur alicujus ex prædictis impedimentis poſt Conſecrationem, eum non poſſe Miſſam deſerere, ſed teneri omnino proſequi, elicito actu contritionis, ut ſtatum gratiæ acquirat. Supponitur 2*dò*, certum etiam eſſe, ante Conſecrationem non teneri Celebrantem Miſſam deſerere cum periculo infamiæ, vel ſcandali, ſed poſſe illam proſequi, modò priùs conteratur, ùt ſupra. Quæſtio igitur eſt, quidnam faciendum, ſeclusô periculô infamiæ, vel ſcandali, & ante Conſecrationem? H. S.

140.

140. ℞. Etſi non deſint DD. docentes teneri Celebrantem Miſſam deſerere; benignior tamen aliorum ſententia, & aptior ad tollendas perplexitates in illis anguſtiis, docet, poſſe Celebrantem Miſſam inceptam deſerere, & id tutius eſſe, non verò teneri, ſaltem ſub peccato mortali, ſed poſſe elicito actu contritionis, tuta conſcientiâ eam proſequi. Ità (præter Tambur. *de Commun. c.* 1. *§.* 6. *n.* 35. & *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. *§.* 2. & Joan. à Lap. apud & cum Quarti cit.) Gavant. hìc, dicens: S. Thom. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. dicit, tutius eſſe relinquequere Miſſam, maximè in caſu excomunicationis (quem ſequitur Rubrica) ubi tamen indicat, non eſſe præceptum, ſed conſilium, deſerere inceptam Miſſam, dum dicit, *tutius eſſe;* & S. Bonavent. negat, deſerendam eſſe Miſſam, negátque teneri Sacerdotem diſcedere ab Altari, ut confiteatur. Hæc ille. Ratio autem eſt: quia prævalet obligatio proſequendi Miſſam, etiamſi deventum non ſit ad partes ſubſtantiales; ſic enim videtur requirere reverentia debita Sacrificio quomodolibet inchoato: unde ſatìs erit præmittere actum contritionis. Accedit, quòd hæc Rubrica (ùt jam *ſupra num.* 36. dictum eſt) non ſit præceptiva, ſed doctrinalis, ſeu directiva, nec

im-

Digitized by Google

improbet oppoſitas opiniones, ſed ſuæ naturæ relinquat. Quarti *p.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 3. ubi pro dicta ſententia citat Henriq. Sà, Tolet. Victor. & alios, dicítque, poſſe Celebrantem proſequi Miſſam quomodolibet inchoatam, nec teneri recedere ab Altari, etiam ſi poſſet accerſere Confeſſarium. Ratio eſt eadem, quæ mox allata.

TITULUS IX.

De Defectibus Diſpoſitionis Corporis.

§. I. Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potûs, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare. *Rubrica.*

141. HÆc Rubrica duo docet: *Primum* eſt, quòd ad dignè celebrandum, vel communicandum requiratur abſolutum, & omnino rigoroſum je-

jejunium, quod dicitur naturale, & importat abſtinentiam ab omni cibo & potu, etiam per modum medicinæ ſumpto, nec admittit parvitatem materiæ, ùt patet ex verbis, *& in quantumcunque parva quantitate.* Eſt autem hoc jejunii naturalis præceptum ità obligans, ut Sacerdos non jejunus abſque gravi peccato nequeat celebrare, vel communicare. Unde Sacerdos celebrans, ſicut & quilibet communicans debet eſſe jejunus jejunio naturali, id eſt, ſinè omni cibo & potu ſumpto à media nocte præcedente, etiam in minima quantitate ex præcepto Eccleſiæ ſub mortali obligante. Conſtat ex variis Conciliis paſſim apud DD. allegatis; item *c. Sacramenta. de Conſecr. diſt.* 1. & *c. Nihil.* 7. *q.* 1. *cum concordantiis. Secundum* eſt, quòd celebraturus, vel communicaturus debeat eſſe jejunus *poſt mediam noctem*, id eſt, à media nocte, ſive ab hora duodecima noctis juxta horologium patrium.

142. Sed hìc oritur Quæſtio, quidnam per mediam noctem intelligendum ſit? ℞. Per mediam noctem, qua inchoatur jejunium naturale, intelligunt Theologi primum ictum horologii deſignantis horam duodecimam noctis; nam ab ultimo, vel medio ictu uſque ad horam primam non

eſt

eſt integra hora, ſed à primo ictu, maximè ubi horologium propter tarditatem ictuum lentiùs ſonat, ut quis uſque ad ultimum ictum integrum ferè Pſalmum *Miſerere* recitare queat. Lugo, Diana, Gobat, alii apud ipſos. Eſt autem notandum, quòd dicta hora 12ma æſtimanda ſit ex horologiis utcunque bene directis, non autem ab enormiter, ac præſertim ex induſtria errantibus. Si enim ſequaris horologium nimis feſtinans, te ipſum fraudas; ſi nimis tardum, in comedendo, vel bibendo à media nocte jejunus non eris. Quod ultimum maximè verum eſt, ſi horologium aliàs bene ambulans, ante auditam horam 12mam ſtudiô diutiùs inhibetur, ut liberiùs adhuc potationi, vel comeſſationi indulgeri poſſit ſub palliato prætextu, quòd nondum audita ſit hora 12ma; quare Sacerdos compotans, ſi hoc factum eſſe certò ſciat, ſub mortali à Celebratione, & Laicus à Communione abſtinere debet, utpote revera naturaliter non ampliùs jejunus; nec excuſat prætextus præfatus: quia non tempus propter horologium, ſed horologium ad horam ritè indicandam inventum & conſtitutum eſt. Atque hoc etiam verum eſt, ſi horologium aliàs bene

am-

ambulans caſu aliquo per notabile temporis ſpatium ſubſtitit.

Quòdſi autem quæras, qualiter te regulare debeas, ſi e. g. in civitate plura ſunt horologia, ſæpe inter ſe non convenientia; vel, ſi tu præter horologium loci, habes aliquod particulare (vulgò, Sack-Uhr) vel aliud in tuo cubiculo? ℞. te poſſe ſequi, quod malueris, dummodo non illud, quod ſcis communiter nimis tardè gradi; duo enim horologia inter ſe diſſonantia, communiter tamen rectè ambulantia, ſunt quaſi duo Doctores ferrei, ſeu inſtar duarum opinionum probabilium. Communis DD. cum Sanchez *l. 2. Matr. diſp.* 41. Ex quo etiam ſequitur ℞. ad caſum, utrùm Parochianus loci (ubi plures extant Parochiæ, & quælibet proprium horologium habet) teneatur ſe conformare horologio ſuæ Parochiæ? ℞. enim negativè? dummodo & alia horologia communiter bene ambulant. Ratio eſt: quia Parochianus ſubditus quidem eſt Parochi ſui, non autem horologii Eccleſiæ Parochialis. Neque horologia publica authoritativè ad hoc conſtituta ſunt, ut ſint regula neceſſariò tenenda; cùm facilè contingere poſſit, quòd horologia particularia meliùs & perfectiùs ambulent, quàm publica. Unde in-

infertur, Parochianum quoque ſequi poſſe horologium, quod maluerit, ùt mox dictum eſt; imò, ubi Sacerdos v. g. audivit ſonum horologii unius Parochiæ, & adhuc bibit, ratus, ſe propterea eadem die non poſſe celebrare; ſi tamen paulò pòſt audit ſonum horologii alterius Parochiæ, poterit ſe huic conformare & celebrare; ſi auditô hoc ſonô non ampliùs bibit. Ratio eſt eadem, quæ mox ſuprà. Sed

143. Quæres *imò*: utrùm horâ duodecimâ ſonante, auditóque primo ictu, tenearis ex ore eiicere, quod nondum audito primo ictu in os miſiſti? ℞. negativè. Ità Sporer *num.*472. contra Con. Joan. Sanc. &c. Ratio eſt: quia Eccleſia non videtur velle quemquam compellere ad hanc inurbanitatem in tali, eóque raro caſu; cùm præſertim, licèt illum bolum, vel vini hauſtum traiicias, non ideo dici poſſis ſumpſiſſe aliquid ab extrinſeco poſt mediam noctem. Certè Suarez, & alii excuſant deditâ operâ deglutientem reliquias præcedentis cœnæ, & hoc ideo, quòd videatur illarum trajectio non eſſe moraliter diſtincta à cœna pridiana: cur igitur non idem dicatur & hic? Ergo, inquis, etiam mihi licet, ſonante horâ duodecimâ, exhaurire totum craterem, quem jam priùs

Digitized by Google

ante primum horologii ictum ori admovi, partémque hauſi? Negat Sporer *num.* 473. cum Lugo & aliis communiter. Ratio eſt: quia ſic propriè diceris potum ſumpſiſſe ab extrinſeco poſt mediam noctem. Breſſerus tamen, & Leander apud Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *reſol.* 45. probabile cenſent, horam 12mam durare moraliter uſque ad ultimum ſonum, adeóque interim bibentem, vel etiam comedentem aliquid, non violare jejunium ſeu naturale, ſeu Eccleſiaſticum ſequentis diei; quia tamdiu videtur durare, quamdiu auditur; & ſanè probabiliſſimè teſte Gobat *num.* 277. qui tamen non vult recedere à communi ſententia DD. neque ego (additSporer) volo in propria praxi, vel conſilio de faciendo recedere: at poſt factum, ſcrupulum peccati, nec mihi, nec pœnitenti iniicerem.

144. Quæres 2*dò*: Quid mihi faciendum, ſi dubito, an poſt 12mam aliquid comederim vel biberim, v. g. in heſterna cœna, vel recreatione in multam noctem protractâ? aut, de nocte evigilans hauſtum quidem feci; jam verò ex rationibus in utramque partem occurrentibus, dubito, an poſt duodecimam? poteróne ſinè ſcrupulo ſacrificare, vel Laicus communicare? ℞det Sporer *num.* 474. ex communiori

miori ſententia multorum contra multos, quòd poſſis ſinè ſcrupulo; quia poſſeſſio ſtat pro tua libertate: certum enim eſt tuum jus celebrandi, vel communicandi; incertum autem impedimentum factum: factum autem in dubio non præſumitur, ſed probari debet. Nec tu teneris probare, ſed is, qui te à Sacro, vel Communione repellere vult, probare tenetur, te non eſſe jejunum, aut poſt mediam noctem re ipſa aliquid ediſſe, vel bibiſſe. Hæc ille. Unde multi DD. quos affert & ſequitur Diana *p.* 6. *tr.* 12. *reſol.* 17. apud Quarti *fol.* 561. *col.* 2. docent, poſſe dubitantem communicare, ſive dubitet poſitivè, ſive negativè de comeſtione, ſive de hora; ſi nimirum facta debita inquiſitione dubium adhuc perſeveret; quod maximè verum eſt, ſi de manè aliquid in os ſumpſiſti, & dubitas, an aliquid in ſtomachum trajeceris. Tamburinus tamen in *Decal. l.* 1. *§.* 7. *V. Eucharistiæ ſuſceptio. num.* 1. *& ſeqq.* ſedet ſic: Sive ſis certus de comeſtione, & dubius, an comeſtio ante, vel poſt mediam noctem: ſive dubius, an illa fuerit vera comeſtio, quamvìs certus, eam fuiſſe poſt noctem mediam, probabile eſt, tibi licerè manè S. Eucharistiâ reſici. At ſi expergefactus à ſomno de nocte bibas, neſciens, nec omni-

nibûs penſatîs ſcire potens, qua hora biberis, non potes communicare, conſequenter nec ſacrificare. Rationes vid. *ibid.*

145. Quoniam verò Rubrica dicit: *poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potûs, aut cibi &c.* videndum nunc eſt, quidnam ſub nomine *Cibi* & *Potûs* veniat. Priùs tamen notanda eſt aurea doctrina, quam ex Alberto Reiffenſt. tradit A. R. P. Maſſæus Kreſslinger in *Supplem. ad Tract.* 10. *Anacl. Reiffenſt. diſt.* 3. *q.* 3. *n.* 33. *Addit. I.* ubi ex communi DD. quatuor conditiones aſſignat, quæ concurrere debent, ut fractum cenſeatur jejunium naturale. *Prima* conditio eſt, ut illud, quod ſumitur, ſit ſaltem aliquo modo nutriens. Ratio eſt: quia, quod accipitur, debet ſe habere ſaltem aliquo modo per modum cibi, vel potûs, prout etiam ſuô modô medicina ſolida v. g. electuarium, comedi, aut liquida v. g. potio, epotari dicitur. *Secunda* conditio eſt, ut illud ſumatur ore ab extra. Ratio eſt: quia in communi hominum æſtimatione, quod non ſumitur ab extra per os, non dicitur potari, aut manducari: aliàs enim, qui attraheret odorem, ſeu fumum per nares, cenſeretur non jejunus naturaliter, e. g. ſi Sacerdos in thurificatione Officii

ſe-

ſolemnis attrahit ſuffitum. *Tertia* conditio eſt, ut ſumatur ante Sacras ſpecies. Ratio eſt : quia, ſi aliquid moraliter ſimul cum Evchariſtia ſumitur, fit una moraliter refectio ; conſequenter nec dicitur talis præcedenter, & ante ſumptionem Evchariſtiæ non jejunus; utì fit die Paraſceves, quandò particula Hoſtiæ immiſſa vino non conſecrato ſimul cum ipſo ſumitur. *Quarta* conditio eſt, ut ſumatur illud aliter, quàm per modum ſalivæ, aut reſpirationis. Ratio eſt : quia ſalivam deglutire, vel reſpirare denuo, moraliter non eſt edere, vel bibere. Ità Kreſsling. H. N.

146. ℞. Illud ſolùm intelligitur ſe habere per modum cibi, vel potûs, quòd à ſtomacho alterari, vel ſaltem ex parte digeri poteſt, ſicque in ſubſtantiam hominis ſaltem aliquo modo converti, & conſequenter ſaltem ex aliquali parte nutrire. Ità Kreſsling. cit. Sive, ùt loquitur Sporer cit. *num.* 467. nomine cibi & potûs deſignatur illud ſolum & omne, quod à ſtomacho alterari, & in ſubſtantiam hominis converti poteſt. Ità Lugo *d.* 15. *Evchar. ſect.* 1. Dicaſtill. Joan. Sanc. alii cum Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 1. Unde infert Sporer *num.* 466. dicens : Quidquid etiam minimum ſumptum ab extrinſeco, atque à ſaliva diſtin-

guibile per modum cibi aut potûs deglutias deditâ operâ, deſinis eſſe jejunus, & excluderis à S. Communione, juxta communiſſimam DD. cum S. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 8. & Scoto; idque, etiamſi ſumas per modum medicinæ, e. g. unicam guttam, vel unicum granum, ùt vocant Medici: idque, etiam quacunque optima intentione ſumatur illud minimum, & hoc conformiter Rubricæ, *& in quantumcunque parva quantitate.* Atque hoc etiam verum eſt, ſi tibi oſcitanti, & non advertenti unus aliquis uvam in os injecit; ſi enim deglutis, jejunus non manes. Sporer *num.* 470.

Quapropter peccat Sacerdos mortaliter, qui ante Celebrationem Miſſæ ſumit juſculum, Thée, Caffée, vinum, vel aliud quodcunque comeſtibile, vel potabile, etiam per modum qualiscunque, etiam ſummè neceſſariæ medicinæ, vel ratione provectæ ſenectutis, confortandi ſtomachi, contra vertiginem, tremorem artuum &c. etiamſi hujusmodi aliquid ſumat in quantumcunque parva quantitate, ùt clariſſimè patet ex Rubrica prænotata, & ex dictis *num.* 141. Quòdſi autem quis jejunus celebrare nequeat, opus eſt Diſpenſatione Summi Pontificis, quæ tamen rariſſimè conceditur extra caſum infirmitatis;

Digitized by Google

tis; imò, ùt refert Piton. ad 5. *Dec.* 1711. Epiſcopo Quitenſi Peruviæ Proregi, ſibi indulgeri petenti, ut, cùm Sacros Ordines conferre debet, propter ſuam incommodam valetudinem, Miſſæ Sacrificium celebrare poſſit non jejunus, ejusmodi Indultum, ùt à veteri Eccleſiæ diſciplina, & Sedis Apoſtolicæ Inſtituto alienum, concedere abnuit Clemens XI. Porro, in hoc præcepto jejúnii naturalis certum eſt, poſſe diſpenſare Summum Pontificem, non autem Epiſcopos, vel alios. Quarti *p.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 6. ℣. *Quarta cauſa.*

147. Ex dictis facilè eſt colligere, quænam ſint illa, quæ ſumpta jejunium naturale non ſolvunt, videlicet *primò*, illa, quæ nec cibus, nec potus ſunt; nam talia naturali æſtimatione non cenſentur edi vel bibi. Hujusmodi ſunt ungues abraſi, capilli, lignum, lapilli, aurum, argentum, plumbum, vitrum, pecunia, metallum, oſſicula, papyrus &c. item ſecundùm omnes, ſi quis reſpirandô attrahit vapores ex cibo vel potu præſenti: vel, ſi quis fumum tabaci per os attrahit; quia non deſcendit in ſtomachum, vel ſolùm deſcendit per reſpirationem, nec ullo modo cibus eſt. Imò nec qui ore tenet, & dentibûs terit folium tabaci; quia nullus illius ſuccus

deſcendit in ſtomachum, ſed agit per vim attractivam & conſenſum linguæ cum palato, utì ex profeſſo reſolvit Lugo *l.* 1. *Reſp. Moral. dub.* 9. licèt hoc, ſaltem ante Miſſæ Sacrificium facere, indecens videatur. Item, qui tempore peſtis aliquid aromaticum ore circumfert, nihil deglutiendô ex intentione, niſi fortè minimum quid per modum ſucci inſeparabiliter ſalivæ ſit admixtum. Ex communi Tanner. apud & cum Sporer *num.* 467. *Secundò*, non frangit jejunium naturale, qui deglutit ſanguinem, vel humorem ex capite defluentem, aut humorem defluentem ex puſtula in ore rupta; cùm hic nihil accipiatur ab extrinſeco, & iſta cenſeantur ſumi per modum ſalivæ, utì in facto reſolvit Gobat *num.* 268. Idem (inquit Sporer) judico de pulvere tabaci naribûs attracto, ſubinde in os per guttur deſcendente; quod idem docet P. Stanisl. Karg *Correlat. Canon. I. de Sacram. Evchar.* ℣. *Quæritur* 2. dicens: Non ſolvitur jejunium naturale per aquam, tabacum pulveriſatum, aut aliud quid ſimile naribûs attractum, eſto in ſtomachum delabatur; quia non traiiciuntur in ſtomachum per comeſtionem, vel potationem. Item, ſi in ſtomachum cujusdam involet muſca, non

fran-

frangit jejunium, etſi hæc muſca elephas ſit factus; quia non deſcendit per actionem hominis vitalem, ſed per reſpirationem. Sporer *num.* 470. cum DD. quos affert Diana *p.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 1. Paſqual.

148. Cùm verò ſubinde neceſſitas faciat licitum, quod de lege poſitiva licitum non eſt; hinc breviter videndum, in quibus caſibus licitum ſit non jejuno celebrare, vel communicare. Eſt igitur primus caſus, *Neceſſitas integri Sacrificii.* e. g. Si Sacerdos in Altari inchoatô jam Sacrô, & poſt conſecrationem unius, vel utriusque ſpeciei, recordatur ſe non eſſe jejunum, debet omnino pergere ad complendum Sacrificium, ſecundùm omnes. Ratio eſt: quia major eſt obligatio præcepti Divini de integritate Sacrificii, quàm præcepti Eccleſiaſtici de communicando jejunè. At, quid, ſi recordetur ante Conſecrationem? ℟det Sporer: D. Thom. *q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. conſulit quidem, & tutius eſſe cenſet ab Altari recedere, Miſſamque omittere, ſi ſinè gravi ſcandalo fieri poſſit. Idque omnino faciendum, ſi Miſſa privatim celebretur, uno tantùm Miniſtro, vel altero bene noto præſente v. g. in Sacello: ſi verò publicè celebret, communiter poterit pergere in ſuo Sacro. Suarez, Coninch, Layman, Gobat,

alii paſſim. Ratio eſt: tum, quia communiter non poteſt ſinè magno pudore, & aliqua notoria infamia, aut certè ſiniſtra ſuſpicione recedere; tum, quia indecens valde eſt, abrumpere Sacrum, præſertim ſi jam Oblatio facta, vel Canon inceptus eſt. Idipſum concedunt DD. communiter de Laico jam ad aram flectente, communicaturo, & primùm recordante ſe non eſſe jejunum, & ſinè ignominia, vel ſcandalo, non valente recedere. Porro, quando Sacerdos locò vini aquam Calici infudit, idque non advertit, niſi poſt ſumptionem totius aquæ, eóque ipſo non ampliùs jejunus jejunio naturali, debet tamen de novo conſecrare, ac ſumere conſecratum, ut integretur Sacrificium, ſecundùm omnes. Vid. dicta *num.* 54. *&* 66.

149. Secundus caſus Neceſſitatis eſt, *Reverentia ipſius Sacramenti.* Hinc generaliter, quando imminet periculum ab incendio, vel incurſu hoſtium infidelium, vel hæreticorum, à quibus injurioſè tractabitur hoc Sacramentum, non ſolùm à Sacerdote non jejuno, ſed hoc abſente etiam à Clerico, vel Laico, quamvis non jejuno propriîs manibûs cum timore, ac reverentia abſumi poſſunt Hoſtiæ conſecratæ, imò & debent. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 22.

n. 22. ℣. *Quintus caſus.* Fagund. Vaſq. Imò, ſi Celebrans deficiat poſt conſecratum Calicem, & non adſit Sacerdos, à quo ſumatur Sanguis; nec ſervari poſſit ſinè periculo corruptionis, aut irreverentiæ notabilis; tunc à Laico non jejuno ſumi poteſt, ùt docent Vaſq. *diſp.* 316. *n.* 47. Suarez *diſp.* 71. *ſec.* 3. Diana &c. apud Quarti *p.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 6. De reliquiis S. Hoſtiæ poſt ablutionem ſumendis dictum eſt *num.* 95. *& ſeqq.*

150. Tertius caſus Neceſſitatis eſt, licétque communicare, ſeu Sacrificare non jejuno, ſi id neceſſarium ſit ad vitandum ſcandalum, vel infamiam, vel aliud grande malum. Ità D. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 6. & communior DD. Suarez, Lugo, Coninch, Diana. Ratio eſt: tum, quia leges poſitivæ non obligant cum tanto diſpendio; tum, quia majori præcepto & legi charitatis naturali de vitando ſcandalo, cedere neceſſariò debet minus præceptum poſitivum Eccleſiæ de celebrando & communicando jejunè. Unde, ſi quis minitetur mortem Sacerdoti, niſi celebret non jejunus: vel Laico, niſi communicet, poſſet & Sacerdos celebrare, & Laicus communicare, uterque non jejunus. Sylveſt. ℣. *Eucharistia.* 2. *n.* 10. Dian. *p.* 5. *tr.* 3.

reſol.

Digitized by Google

reſol. 39. cum aliis, quos citant, apud Quarti fol. 560. Hoc tamen intellige, dummodo minitatio non fiat in contemptum fidei, vel Religionis; tunc enim nec ſacrificare, nec communicare liceret non jejuno. Item, ſi obligatus ex officio v. g. Parochus die Dominico, vel Feſto, caſu, vel culpâ non ampliùs jejunus, non poſſit Sacrum omittere ſinè gravi ſcandalo & obmurmuratione populi, aut etiam ſinè proprio gravi incommodo, utrolibet aliter non evitabili, poſſet non jejunus celebrare. Ex his cape ſequentem caſum.

151. In celebri quodam pago, ad Feſtum Dedicationis à Parocho invitati convenerant decem Sacerdotes vicini in magno concurſu populi: at omnes, etiam is, qui à Parocho pro ſumo Sacro faciendo invitatus erat, invitationis oblitus domi celebrârunt, aut etiam jentârunt. Nullus ergo in tanta ſolemnitate, populo jam diu Sacrum expectante, erat jejunus, & ad Sacrum faciendum diſpoſitus. Quid factum? aut quid faciendum erat? Populus è ſuggeſtu admonitus de cauſa excuſante ab auditione Sacri, ſinè Sacro dimiſſus eſt, ità judicantibus illîs, ſatius eſſe, quàm ut fieret Sacrum ab aliquo, quem pluribus conſtaret, non eſſe jejunum. Verùm Gobat

Caſu

Caſu 19. *n.* 330. bene probat, potuiſſe optimè fieri Sacrum ab aliquo, qui jejunium non violâſſet, niſi per ablutionem in Sacro ſuo. Nam in tali caſu non potuit revera planè caveri grave ſcandalum, id eſt, gravis & injuſta indignatio, gravis oblocutio adversùs Sacerdotes, ridiculi ſarcaſmi, & dicteria lædentia eorum famam & honorem. Certè graves Doctores docent, fas eſſe Sacerdoti non confeſſo (deficiente Confeſſarii copia) celebrare, ne ipſe vel alii careant Sacrô die Feſto, cur non etiam non jejuno? præſertim cùm Confeſſio ſit jure Divino præmittenda Sacro juxta veriorem ſententiam, jejunium certè ſolo jure Eccleſiaſtico. Tandem Tannerus poſt Anglez & alios recte judicat, ſi in die Natalis Domini non eſſet in oppido, niſi unicus Sacerdos non ampliùs jejunus, neque alius haberi poſſet, neque aliter ſcandalum evitari poſſet, eum rectè facturum, ſi celebraret.

152. Sed quid, ſi Sacerdos Neomyſta ipſo die Primitiarum ſuarum, de manè Miſſâ ſiccâ ſe exercens panem & vinum, immemor Primitiarum celebrandarum, ſumpſit, & hîs vix ſumptîs, pulſatîs omnibûs campanîs ad ſolemnem Primitiarum actum vocatur; potéſtne celebrare? ℞.

per

Digitized by Google

per ſe loquendô negativè, ſed Primitias diſſerendas eſſe. Ità Gobat *Theol. Exper. tr.* 3. *caſu* 13. *n.*410. Dictum eſt autem *per ſe loquendô*; quia per accidens poſſent concurrere tales circumſtantiæ, quibûs certè non peccaret Neomyſta talis non jejunus Primitias celebrans, ùt bene oſtendit Gobat cit. *num.*411. utpote I. Si Sacerdos Neomyſta eſt nobilis, ſeu perhoneſtæ familiæ. II. Si illuc cognati complures convenêre. III. Si paratum lautum convivium. IV. Si more ſolito è ſuggeſtu erat invitatus populus ad Primitias, ideòque & plebs & complures perſonæ nobiles ad Eccleſiam ſe accinxerunt, aut defacto adſunt. V. Si error ille eſt occultus. Hîs circumſtantiîs ſimul concurrentibûs (attendendô ſimul Cognatorum triſtitiam vel confuſionem, aliorum obmurmurationes, ſuſpiciones, temeraria judicia, adeóque vera ſcandala, expenſas fruſtra factas, contemptum Neomyſtæ &c.) poſſe licitè celebrari Sacrum ab illo Neomyſta, probatur tum à ſimili ex caſu *num. præc.* tum ex rationabili Epicheia, Legiſlatorem hujuſmodi caſum prorſus ſingularem, & concurrentibûs tot circumſtantiîs ſub lege univerſali noluiſſe comprehendere.

153.

153. Quartus caſus neceſſitatis eſt, *Neceſſitas ſumendi Viatici* in articulo mortis non tantùm naturalis ex morbo, ſed etiam violentæ per juſtitiam: tunc enim licere non jejuno hoc Sacramentum ſumere per modum Viatici, nimis notum eſt, & ratio clara; quia magìs tunc obligat præceptum Divinum de ſumenda Eucharistia, quàm Eccleſiaſticum de communicando jejunè, & homo maximè tunc hoc ſubſidio indiget. Sporer *num.* 478. Moſmiller *Diſput. Can. punct.* 3. *num.* 35. Unde etiam Rituale Romanum *Tit. XXV.* §. 4. ſic habet: *Pro Viatico miniſtrabit* (Sacerdos) *cùm probabile eſt, quòd eam* (Comunionem infirmus) *ampliùs ſumere non poterit.* Et §. 5. *Poteſt Viaticum brevì morituris dari non jejunis.* Hoc autem intelligc, quando infirmus ſinè periculo non poteſt expectare alterum diem, & damnatus ad mortem Communionem non poteſt anticipare; etenim, abſolutè non teneri Judicem differre executionem ſententiæ, ut reo damnato concedat ſpatium communicandi horâ jejunii, admittit Card. de Lugo *diſp.* 15. *n.* 73. apud Quarti *p.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 6. ℣. *Tertia cauſa.* Dictum eſt autem, *quando infirmus ſinè periculo non poteſt expectare alterum diem;* ſi enim commode dari poſſit Viaticum infirmo jejuno, ità quidem

dem fieri debet; ſi verò commodè non poſſit, licitum prorſus eſt dare non jejuno. Ubi etiam non oportet exigere maximam difficultatem, aut incommoditatem; ſed ſatis eſt, quòd ægroto juxta ordinarium curſum, incommodum eſſet expectare abſque cibo à media nocte usque manè ad ſumendum Viaticum: & Parocho ſimiliter incommodum eſſet deferre intempeſta nocte, nec id expediret ob reverentiam Sacramenti. Unde notanda ſunt ſequentia.

154. *Primum*: Non eſt nimis ſcrupuloſè diſcutiendum, an ſit certum periculum mortis, vel non, ut detur Eviachariſtia non jejunis, ne, dum ſcrupuli morantur, infirmi moriantur ſinè Viatico, ùt monent Hentiq. & Fagund. *Secundum*: Cavendum eſt, ne moribundus ob violatum jejunium differat Communionem in ſequentem diem cum periculo decedendi ſinè illa, ùt notat Bonac. *Tertium*: Quamvis infirmus poſſit unâ, vel alterâ horâ poſt mediam noctem ſervare jejunium, non debet tunc Evchariſtia afferri; quia regulariter id fieri nequit ſinè magna difficultate, vel interdum indecentia; nec Eccleſiæ mos, nec præceptum obligat, cum tanto rigore. Nec item debet infirmus, ut

jeju-

jejunus communicet, differre potionem aut cibum cum gravi damno, vel periculo ſalutis; nam Eccleſia nec in tali periculo vult infirmum Communione privare, nec ipſum obligare, ut jejunus communicet cum notabili corporis detrimento. Suarez, Fagund. Bonac. Coninch *q.* 80. *n.* 51. apud Quarti cit. *Quartum*: Si æger longè diſtet v.g. duabûs horîs, & periculosè ægrotet, poterit non jejuno Parochus dare Viaticum, quamvis probabiliter poſtridie jejunus illud valeret ſumere infirmus: poſitô, quòd Parochus commodè exſpectare nequiret ſequentem diem, v.g. quia manè impeditur functionibûs aliîs Parochialibûs, vel quia ſtatim poſt mediam noctem deberet de novo ſurgere ob itineris diſtantiam &c. Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 10. *diſt.* 3. *q.* 3. *n.* 36. *Addit. I.* citans Gobat, & mox addens: Illud notet Parochus, ut portans Viaticum ad ægrotum ſemper ad minus duas Hoſtias deferat, ut nimirum ſemper unam reſiduam iterum à domo ægroti rediens ſecum in templum referat; alioquin enim in reditu obviantes adorarent Pyxidem vacuam. Idque etiam ex eo, quia facilè contingere poteſt, ut, Parochô in itinere conſtitutô, novus caſus emergat,

Digitized by Google

ac etiam alius periculosè infirmus Viaticô indigeat. Si tamen unicam ſolummodo Hoſtiam ad infirmum detulit, hoc notet, ut, Viaticô, ac Benedictione manu dextra infirmo datis, Stolam cum Superpellicio deponat, inque ſuo habitu clericali domum redeat, ne, ùt jam dictum eſt, obviantes adorent, quod in Pyxide non eſt.

155. Quæres autem, utrùm durante eadem infirmitate cum mortis periculo, poſſit infirmus iterum, & ſæpiùs communicare non jejunus? Ante ℞. nota, hìc non quæri de eo caſu, ſi morbus ſtatum mutet, ità ut æger, qui fuerat in periculo, convaleat aliquantulùm, & deinde redeat iteratum periculum; tunc enim, ſi jejunus expectare nequit, poteſt non jejunus communicare, quoties talis varietas acciderit; quia tunc ſunt quaſi diverſi morbi, novúſque neceſſitatis articulus. Ità Suarez *Diſp.* 68. *ſet.* 5. Vaſq. *diſp.* 211. *n.* 46. Coninch *num.* 53. Imò, ùt docet Stanisl. Karg *Correlat. Canon. I. de Sacram. Evchar.* ℣. *Infertur Quintò.* Quando reconvaleſcens incidit in novam infirmitatem, de novo Evchariſtiam per modum Viatici ſumere obligatur vi præcepti Divini, quod toties obligat, quoties lethaliter (morbô moraliter ſaltem ab alio, ſeu priori diſtinctô) infirmatur. Eſt

ergo

Digitized by Google

ergo Quæſtio, utrùm durante eadem infirmitate cum mortis periculo, poſſit infirmus iterum, & ſæpiùs communicare non jejunus? ℞. affirmativè. Ità Armilla, & Tabien. quos ſequitur Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. Henriq. cum multis *l.* 8. *c.* 4. *n.* 1. & alibi. Coninch, Bonac. Tolet. Laym. Fagund. Diana, & favent D. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 3. Sylveſt. Sotus & alii, qui ſimpliciter aſſerunt, poſſe moribundum communicare non jejunum, nec limitant ad unicam Communionem, ſicut nec limitat Concilium Conſtant. *Seſſ.* 13. Unde Sporer *num.* 478. ad Quæſtionem, quoties licitum ſit infirmo diutiùs ad mortem ægrotanti communicare non jejuno? ait: Doctores communiter permittunt communicare infirmo non jejuno ſæpiùs, quando infirmus ità deſiderans non poteſt commodè tamdiu usque ad tempus Communionis expectare jejunus; idque toties, quoties aliàs bene valens licitè ſumere poſſet, vel ſaltem ſolitus eſt ſumere, vel ſacrificare, & modò propter devotionem & deſiderium difficulter abſtinet. Ratio hujus licititatis eſt: quia ratio talis exceptionis non eſt ſola neceſſitas adimplendi Divinum præceptum Communionis, ſed etiam neceſſitas morientis, qui tunc oppugnatur vehemen-

tiùs, & eget auxiliis & robore tanti Sacramenti, quod potiſſimùm ordinatur ad conſervandam gratiam usque in finem. Sed

156. Petes, quodnam tempus intercedere debeat, ut æger poſſit in eodem ſtatu morbi periculoſi rurſus communicare non jejunus? ℞. quoad hoc diverſas eſſe DD. ſententias. Suarez, Fagund. Villalob. &c. aſſignant decem, vel octo dies. Filliuc. Silvius aſſignant ſeptem. Armilla, Tabiena, Bonac. Zambran. putant, ſufficere ſex. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 47. apud Quarti cit. putat, præter diem ſumpti Viatici, alteros duos dies requiri. Layman *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 20. ait: Exiſtimo, ob juſtam cauſam, putà ſi aliquis aſſuetus frequenter communicare, aut ſacrificare, propter devotionem, ac deſiderium difficilè abſtineat, permitti ipſi poſſe, ut altero ſtatim die iterum S. Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non jejunus: dummodo mortis periculum inſtare videatur. Dicaſtillus, & Gobat *Caſu* 19. *n.* 317. apud Sporer cit. abſolutè admittunt altero die, ac ſaltem Sacerdotem quotidiè durante morbo periculoſo. Leander plures citans *p.* 2. *de Sacr. tr.* 7. *diſp.* 5. *q.* 40. apud Baruffald. *Comment. in Rit. Rom. tit.* 25. §. 4. *n.* 26. concedit, in-

fir-

firmum, durante periculo mortis, poſſe quotidie non jejunum communicare. Selige ergo ex his, & fac, quod tibi bonum, & æquum viſum fuerit; meum enim non eſt, tot inter DD. quidquam decidere.

157. Petes adhuc, utrùm in raro caſu liceat Sacerdoti non jejuno celebrare, ſi non adſit Hoſtia conſecrata pro Viatico? ℟. communem ſententiam eſſe negativam, apud Layman *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 21.* Ratio eſt: quia Eccleſiæ conſuetudo talia non permittit ob maximam hujus Sacramenti excellentiam, quod uno modo, ac ritu ſemper confici, & adminiſtrari plurimùm intereſt: præterquam quòd gravia incommoda ſequi poſſent, ſi interdum Sacerdotibus benè pranſis, ac cœnatis ſacrificare licitum eſſet. At verò concedunt abſolutè Major, aliique plures apud Dian. *p. 3. tr. 4. reſol.* 33. & probabile cenſent Suarez, Filliuc. Lugo, Dicaſtill. Tambur. *de Commun. c. 2. §. 8.* Gobat, ac fusè Barboſa *de Offic. & Poteſt. Parochi. c. 20. n. 4.* Ità Sporer *n.* 478. Rationes vide apud citt.

§. II. Si autem ante mediam noctem cibum, aut potum ſumpſerit, etiamſi poſtmodum non dormierit, nec

ſit digeſtus, non peccat: ſed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, conſulitur aliquando abſtinendum. *Rubrica.*

158. Hæc Rubrica, ùt notat Gavant. eſt deſumpta ex D. Thoma 3. *p. q.* 80. *a.* 8. *ad* 5. Ratio autem hujus liciti eſt: quia, ùt *num.* 142. vidimus, jejunium naturale inchoatur horâ 12.mâ noctis. Et hoc non ſolùm, ſi de manè, ſed etiam, ſi in nocte Nativitatis Domini poſt horam 12.mam celebratur; quamvìs in hoc caſu aliunde omnino indecens ſit, ventre recèns ingurgitato, vinóque &c. gravato, ad S. Eucharistiam accedere. Quòdſi autem in hujusmodi caſu timendus eſſet vomitus, vel ſimilis irreverentia notabilis contra SS. Sacramentum, tunc neceſſariò, & ex præcepto abſtinendum eſſe, de ſe patet.

§. III. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem; cùm non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavandô os, deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem. *Rubrica.*

Digitized by Google

159. Hæc quoque Rubrica, ùt notat Gavant. deſumpta eſt ex D. Thoma cit. *art.* 8. *ad* 4. docétque, jejunium naturale violari quidem, ſi aliquid ſumatur per modum cibi vel potûs, non verò per modum ſalivæ; quia, ſicut deglutire ſalivam non impedit jejunium, ità nec impedit id, quod deglutitur per modum ſalivæ, prout contingit in trajectione reliquiarum, quæ remanſerunt in ore, id eſt, quæ remanſerunt inter dentes, vel in gingivis ex manducatione præcedentis diei: vel in trajectione modicæ aquæ, quæ deglutitur præter intentionem. Et per hoc patet diſparitas inter hanc Rubricam, & illam *ſuprà* §. *I.* Dictum eſt autem, *quæ remanſerunt inter dentes, vel in gingivis &c.* ſi enim quis ante ſomnum in os miſit e. g. ſaccarum, vel quid ex eo confectum, quod paulatim liquefactum primùm deglutit poſt mediam noctem, nec poteſt celebrare, nec communicare. Ità Suarez, Vaſq. Coninch, Bonac. Lugo, & alii communiter, quos citat, & ſequitur Diana *p.* 6. *tr.* 7. *reſol.* 15. & *p.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 10. item, Sporer *num.* 469. dicens, talem non eſſe cenſendum jejunum, ſi poſt mediam noctem aliquam ejus partem (niſi fortè minimam ſalivæ inſeparabiliter mixtam) deglutiret. Ratio eſt:

quia hujuſmodi ſaccarum &c. non eſt reliquia cœnæ præcedentis, ſed ipſe cibus, vel pars ejus cibi, cujus comeſtio fit per continuam liquefactionem & trajectionem, quæ non finitur, donec totum trajectum, aut ex ore ejectum ſit. Et certè, ſi quis ſomno ſe committens in os mitteret modicam bucellam panis, vel carnis aſſæ cum intentione eam, antequam indormiat, deglutiendi, ſed ſub maſticatione ſomnô obrutus, & poſt horam 12.mam evigilans deglutiret, frangeret utique jejunium naturale: ergo.

160. Quæres, utrùm frangat jejunium naturale, qui prædictas reliquias ſive magnas, ſive parvas ex induſtria, & deditâ operâ deglutit? ℞. negativè. Ità DD. apud Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 37 Quarti *p.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. ℣. *Prima difficult.* Gobat *n.* 268. apud Sporer *num.* 469. hanc ſententiam non reprobantem. Ratio eſt: quia, cùm tales reliquiæ ſive parvæ, ſive magnæ, non ab extrinſeco recipiantur hodie, ſed heri tanquam partes heſternæ comeſtionis ſumptæ cœperint maſticari, ideo ſemper retinent moralem connexionem cum illa: ſubindéque licèt ſenſibiliter habeantur in lingua, & ex induſtria deglutiantur, non tamen conſtituunt novam moraliter comeſtio-

meſtionem, ſed heſternam perficiunt & complent. Accedit, quòd Rubrica abſolutè & indiſtinctè loquatur, quæ tamen cum expreſſa limitatione loquitur de ſtilla aquæ, dicens: *ſi lavandô os, deglutiatur ſtilla aquæ.* NB. *præter intentionem.*

161. Sed quid in hoc caſu? Sacerdos quidam pius & doctus in nocte Nativitatis Domini Miſſam celebrans, ſumpto S. Sanguine, per inadvertentiam purificationem ori admovit, & modicam quidem, attamen ſatìs ſupérque ſenſibilem quantitatem (quinque vel ſex circiter guttularum) ore excepit, quam ſi deglutiſſet, jejunium naturale procul dubio fregiſſet. At ille ſtatim ſui memor, & perturbatus, hæſit, quid ageret? certè exſpuere non debuit ob reverentiam Sacramenti; cùm os, lingua &c. adhuc tremendo nimis Sanguine rubeſcerent. Conſiliô igitur is in arena captô, guttas illas vini tamdiu in ore retinuit, donec ore copioſâ ſalivâ repleto, nihil prorſus ampliùs de qualitate vini ſentire, vel percipere potuerit, & ità tandem ſalivam cum commixtis guttulis vini deglutiît. Potuitne Sacerdos iſte reliquas etiam duas Miſſas celebrare? ℟. negativè. Ità ex mente Sporeri *num.* 470. Ratio eſt: tum, quia Rubrica expreſsè dicit, *ſi*

deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem; tum, quia Authores omnes ſcribentes de ſumptione per modum ſalivæ, diſertè & expreſsè loquuntur tantùm de ſumente aliquid ſalivæ inſeparabiliter admixtum caſu, & præter intentionem; atqui Sacerdos ille non caſu & præter intentionem, ſed ſciens, volens, & deliberatâ induſtriâ ſumpſit: ergo. Sunt autem hæc intelligenda de Sacerdote ex devotione, vel pro libitu ſuo celebrante. Secus enim eſſet, ſi occurrant caſus neceſſitatis, de quibus actum eſt *num*. 148. *& ſeqq*. unde, ſi Parochus, qui præter Eccleſiam ſuam Parochialem habet ſub jurisdictione ſua etiam alias Filiales, & ſingulas tres Miſſas in Nativitate Domini in ſingulis Eccleſiis (id eſt in qualibet unam) celebrare debet, poteſt in hujusmodi caſu celebrare Secundam, & Tertiam Miſſam in Filialibus ſuis juxta determinationem obligationis ſuæ, ſi ſcandalum publicum, infamiam propriam &c. alio modo evitare nequit. Imò hoc facere poteſt hujusmodi Parochus, etiamſi purificationem, & ablutionem integrè, ſive advertenter cum peccato mortali, ſive inadvertenter ſinè peccato ſumpſerit. Ratio eſt eadem, quæ *num*. 150. dicta eſt. Si autem quæras, utrùm talis Parochus poſſit vinum

Puri-

Purificationis inadvertenter ore ſumptum deglutire? ℞. affirmativè; ſi enim Sacerdos ſacrificans, qui inadvertenter acetum, vel aquam in Calice poſuit, & hunc defectum primùm agnovit, dum habet in ore illam aquam, ſeu acetum, propter irreverentiam SS. Sacramenti poteſt deglutire (ùt *num.* 54. vidimus) cur hic non poſſit?

§. IV. Si plures Miſſas in una die celebret, ùt in Nativitate Domini, in unaquaque Miſſa abluat digitos in aliquo vaſe mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem. *Rubrica.*

162. Rubrica hæc docet, quòd, ſi plures Miſſæ eodem die, & ab eodem Sacerdote, ſive in eodem, ſive in diverſis locis celebrandæ ſunt, eadem, quæ pro Celebratione trium Miſſarum in Nativitate Domini præſcribuntur, ſint obſervanda. Quoniam verò Modus, tres has Miſſas rite celebrandi in *Ritu Exacto fol.* 293. jam continetur quidem, ſed ad omnium manus non pervenit, eundem pro juniorum commoditate Sacerdotum hoc loco inſerere, ope-

operæ pretium viſum eſt. Eſt autem Modus, qui ſequitur.

In tribus Miſſis celebrandis, circa ablutionem poſt ſumptum diligentiùs S. Sanguinem, advertendum eſt, ne illa ſumatur per Sacerdotem in prima, & ſecunda Miſſa; ſuppoſitô, quòd omnes tres dicere intendat. Neque tunc (prout etiam in 2. & 3. Miſſa ad Offertorium) Calix extergatur, ſed duo primi digiti utriusque manus abluantur in ſeparato quodam Calice, aut alio vaſe mundo ad hoc in Altari præparato: idque obſervetur ſemper, quando præfatæ tres Miſſæ ſucceſſivè ſimul ſuper eodem Altari dicuntur; atque tunc ſemper maneat Corporale ſubſtratum, uſque dum in tertia Miſſa ablutio ſumpta fuerit. Calix etiam in hoc caſu poſt ſumptum S. Sanguinem, Purificatoriô in Altari remanente, ſemper Patenâ, Pallâ, vel Velô cooperiatur. Item, ſecundam Miſſam, vel tertiam inchoaturus, Sacerdos facta inclinatione Cruci in medio Altaris, convertens ſe à latere dextro deſcendit ante infimum gradum Altaris, & ſi in eo ſit SS. Sacramentum in Tabernaculo incluſum, vel patenter in Monſtrantia, aut etiam in Ciborio expoſitum, genuflectit; ſin minùs, profundè ſe inclinat, ſtatimque incipit

Miſſam,

Digitized by Google

Miſſam, cámque de more proſequitur. Caſtald. *l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 4. *num.* 6. Bauldr. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 29. Ex quo patet, Reliquias S. Sanguinis, poſt 1. & 2. Miſſam in fundo Calicis remanentes, non reputari tanquam Sacramentum expoſitum quoad cultum publicum, prout veneratur S. Hoſtia in Cœna Domini conſecrata, & pro Feria VI. Paraſceves reſervata; unde etiam genuflexiones, & Ritus, Miſſæ coram SS. Sacramento expoſito celebrandæ, convenientes omittuntur.

Quòdſi autem finitâ primâ, vel ſecundâ Miſſâ diſcedendum ſit ab Altari, quoties id fit, Sacerdos vel Calicem vinô purificet, ipſúmque purificationis vinum cum digitorum ablutione in vaſculo ad hoc parato refundat (ùt placet Caſtaldo *l.* 3. *ſect.* 2. *c.* 4. *n.* 8.) vel abluat digitos ſuper Calice, in quo tunc conſecravit, eóque parùm circumactô purificationem illam infundat alteri Calici, aut vaſi ſuper Altari, & dein Calicem Purificatoriô extergat, ùt aliàs. In tertia Miſſa ſumpta conſueta purificatione, & facta oblatione, cum hac etiam illam purificationem ex vaſe illo mundo in Calicem refuſam ſimul ſumat. In prima tamen, & ſecunda Miſ-

ſa

ſa ſub ablutione digitorum dicuntur conſuetæ Orationes. Vide Lohner *de Miſſ. Sacrif. p. 4. tit. 7. n. 4.*

163. Quæres autem, quando liceat plures Miſſas eodem die celebrare? Ante ℟. nota, quòd, ùt refert la Croix *l. 6. p. 2. n.* 235. olim liberum fuerit toties de die Miſſam legere, quoties quis vellet; hinc de S. Leone III. referunt Gobat & Averſa, quòd de die quandoque novies legerit. Nunc autem peccat mortaliter, qui ſinè legitima cauſa bis in die celebrat; quia prohibetur tum per Canones, tum per univerſalem conſuetudinem. H. N. ℟. det ad Quæſt. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 6. §. 3. *n.* 2. tres ſolummodo caſus eſſe approbandos, videlicet, 1*mò*, in Natali Domini. 2*dò*, quando quis præeſt duabus Eccleſiis, & niſi bis in die ſacrificet, Sacrô careret alterutra. Quod tamen intellige; ſi vel ex fundatione, vel legitima conſuetudine &c. introductum ſit, ut in qualibet Eccleſia (alio Sacerdote non extante) eodem die neceſſariò celebretur. Addit laCroix cit. *num.* 237. Si Parochus habens plures Parochias, & ideo potens binare (id eſt, bis celebrare) impediatur, rogétque alium Sacerdotem, etiam Societatis JEſu, poteſt hic pro eâ neceſſitate binare. Suarez, Henriq. *l.* 9. *c.* 30. Monet autem

rectè

rectè Tambur. *n.* 3. hæc intelligenda eſſe, dummodo Sacerdos iterum celebraturus ſit jejunus: quare debuit is non ſumpſiſſe purificationem & ablutionem, ſi iterum in prædictis duobus caſibus ſacrificare velit. Vid. mox dicta *n.* 162. 3*tiò*, licet eodem die bis celebrare, quando aliàs infirmus decederet ſinè Viatico. Vid. etiam dicta in *Prænot. num.* 35. & *ſuprà num.* 157. Sed occaſione dictorum

164. Petes, utrùm liceat Sacerdoti in Natali Domini ſemel communicare extra Miſſam, & deinde duas Miſſas celebrare, vel econtra? ℟. negativè. Ità Lugo *de Evchar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 43. apud & cum Tambur. cit. *n.* 6. Unde peſſimè ageret Sacerdos (inquit Gobat *n.* 185. apud la Croix cit. *n.* 242.) ſi die Natali Domini bis celebraret, & ſemel communicaret more Laico; quia datur tantùm poteſtas triplicandi Sacrificium. Ex quo à fortiori ſequitur, nec Sacerdoti, nec Laico licitum eſſe, in dicto Natali Domini bis, vel ter communicare.

Unum hoc loco quæri adhuc poſſet, utrùm nimirum moribundus, qui manè communicaverat ſanus, debeat, vel poſſit eodem adhuc die ſumere Evchariſtiam per modum Viatici? ℟. det Reiffenſtuel *tr.* 10. *diſt.*

diſt. 3. *q*. 3. *n*. 36. variare Doctores; prout videre eſt apud Gobat *Theol. Experim. tr*. 4. *n*. 174. *& ſeqq*. qui poſtmodum rectè negat, exiſtentem in tali caſu obligari ad denuo communicandum eodem die. Deinde aſſerit, probabilius eſſe, quod nequidem liceat: etſi nihilominus probabile ſit, quòd liceat. Hæc ille. Sed Stanisl. Karg. *Correlat. Can. I. de Sacram. Evchar.* ℣. *Infertur Quartò*. ait, probabiliorem, & omnino tutiorem ſententiam eſſe, quòd ille, qui adhuc ſanus de manè communicavit, poſt prandium verò in lethalem infirmitatem incidit, dum dubitatur, utrùm diem ſequentem ſupervivat, aut uſum rationis amittat, poſſit ac debeat etiam non jejunus eodem die iterum communicare, ſeu SS. Evchariſtiam per modum Viatici ſumere. Ità graviſſimi DD. apud Dianam *p*. 2. *tr*. 3. *Reſol*. 33. Ratio eſt: quia juxta hos Authores, id ex Trid. *Seſſ*. 13. *cap*. 2. *& can*. 9. *cauſ*. 26. *q*. 6. colligentes, ſumptio per modum Viatici eſt de jure Divino; præcedens autem Communio nequit habere rationem Viatici, hoc ipſo, quòd periculum tunc nondum adfuerit, adeóque nec præceptum communicandi; conſequenter præceptum Divinum adimpleri debet, dum poteſt; & ſic ceſſat lex Eccleſiaſtica, prohibens in die bis communicare, *can. Conſuluiſti. de Celebrat.*

Miſſar.

Digitized by Google

Miſſar. Quæ etiam in ſimili caſu intelligenda ſunt de Sacerdote moribundo, qui manè celebraverat ſanus. Dices, Sacerdotes ſaluti ſuæ ſtudentes, providè facere intentionem ſumendi, in Sacrificio Miſſæ, SS. Corpus & Sanguinem pro Viatico, ſi eodem die ſint morituri; ergo. ℟. hoc ſolummodo procedere in caſu ſubitaneæ mortis. Sic enim ſonant verba: *Si contingat me hodie ſubitò mori, recipio hanc Communionem pro Viatico.* Cætera patent ex dictis.

§. V. Si præceſſerit pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abſtinendum eſt à Communione & Celebratione, niſi aliud Confeſſario videatur. Si dubium eſt, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, conſulitur abſtinendum, extra tamen caſum neceſſitatis. Si autem certum eſt, non fuiſſe in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuiſſe cogitationem, ſed eveniſſe ex naturali cauſa,

aut ex diabolica illuſione, poteſt communicare & celebrare; niſi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abſtinendum videatur. *Rubrica.*

165. Hæc Rubrica, ut notat Gavant. hic, eſt S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 7. qui ferè totum hauſit ex S. Gregor. in *Epiſt. ad Auguſt. Anglorum Epiſc.* Eſt autem hæc Rubrica directiva, non præceptiva; unde dicit Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *n.* 495. quamvis pollutio voluntaria & peccaminoſa fuerit, ſi tamen poſt pœnitentiam homo nullum malignum effectum ſentit, celebrare vel communicare nulla ratione prohibetur; quia ſcilicet jam rectè diſpoſitus eſt, & pollutionis peccatum, ſicut & quodvis aliud, poſt legitimam pœnitentiam perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet. Ità D. Bonav. Gerſon, Sotus, Suarez, Vaſq. Coninch. aliiſque citatîs Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *n.* 14. *&* 15. Quod idem docet Gavant. cit. dicens: Pollutio, etiam voluntaria per Confeſſionem purgata non impedit, niſi ob congruentiam. Sequitur ergo, quòd nullum peccatum ſive carnale, ſive aliud per veram Confeſſionem ritè expiatum, Celebrationem aut Communionem impediat

vel

vel prohibeat; quod multò magìs de conjugibus copulam conjugalem per ſe licitam exercentibus ſentiendum eſt. Si enim conſilium duntaxat eſt, ut, qui voluntaria pollutione, aut fornicatione ſe inquinavit, ob humilitatem & reverentiam SS. Sacramenti abſtineat à Communione, vel Sacro, quare conjuges jure ſuo licitè utentes excludamus, aut obligationem à Communione abſtinendi eis imponamus?

TITULUS X.

De Defectibus in Miniſterio ipſo occurrentibus.

166. POſtquam Rubrica in præcedentibus Titulis tractavit de Defectibus ex parte Materiæ, Formæ, & Miniſtri contingentibus; hoc jam ultimo Titulo etiam tractat de Defectibus accidentalibus, qui in ipſo SS. Miniſterio occurrere poſſunt. Sequitur ergo

§. I. Poſſunt etiam defectus occurrere in Miniſterio ipſo, ſi aliquid ex requiſitis ad illud deſit: ùt ſi ce-

lebretur in loco non ſacro, vel non deputato ab Epiſcopo, vel in Altari non conſecrato, vel tribûs mappîs non cooperto: ſi non adſint luminaria cerea: ſi non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora uſque ad meridiem, communiter: ſi Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: ſi omittat aliquid ex veſtibus Sacerdotalibus: ſi veſtes Sacerdotales & mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel alio hanc habente poteſtatem benedictæ: ſi non adſit Clericus, vel alius deſerviens in Miſſa, vel adſit, qui deſervire non debet, ùt mulier: ſi non adſit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea; non ærea, vel vitrea: ſi Corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſericô in medio ornata, & ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta, ùt etiam ſuperiùs dictum eſt: ſi celebret

lebret

lebret capite cooperto ſinè diſpenſatione: ſi non adſit Miſſale, licèt memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere. *Rubrica.*

167. Rubrica hæc quatuordecim, ùt notat Gavant. hìc, caſus graviores enumerat, in quibus ùt plurimùm peccatum mortale accidit, ſi fiat contra Regulas hoc loco ſignificatas. Cùm verò materia hujus §. perampla ſit, ſingulas ejus particulas particulatim conſiderabimus. Unde ſequitur Particula

I. Si celebretur in loco non Sacro, vel non deputato ab Epiſcopo. *Rubrica.*

168. Locus, in quo communiter & ordinariè, licitè & liberè Miſſa celebrari poteſt, triplex numeratur, videlicet: Eccleſia conſecrata; Eccleſia benedicta tantùm; Oratorium publicum nec conſecratum, nec benedictum, ſed ſola Epiſcopi authoritate, & deſignatione ad cultum Divinum deputatum. Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. *ſect.* 1. De Eccleſiis ſive conſecratis, ſive benedictis tantùm eſt certiſſimum; quia etiam Eccleſia non conſecrata per Benedictionem (quæ fieri poteſt vel ab Epiſcopo, vel ab alio, etiam ſimplici, ùt notat la Croix *n.* 279. Sacerdote, de ejus licentia adhibitîs

Orationibûs & aqua luſtrali juxta formam Ritualis Romani tit. *de Benedictionibus.*) fit locus ſacer aptus, & proportionatus huic ſacro miniſterio,gaudétque iîsdem privilegiîs, quibûs Eccleſia conſecrata, ùt docent communiter DD. in *cap. ult. de Conſecrat. Eccleſ.* quos citat & ſequitur Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 3. ℣. *Eſt autem.* & praxis ipſa manifeſtat. Quòd autem licitè celebrari Miſſa poſſit etiam in Oratoriis publicis, quamvìs ea nec ſint conſecrata, nec benedicta, dummodo ab Epiſcopo ad Divinum tantùm cultum, & ad Miſſæ Sacrificium ſint deſtinata & deſignata, conſtat ex Trid. *Seſſ.* 22. in Decreto *De obſervandis in celebratione Miſſæ.* & docent DD. communiter. Ratio eſſe poteſt: quia ex una parte per illam deſignationem Epiſcopi, quamvìs Oratorium prædictum non acquirat illud eſſe tam ſacrum, quod propriè conferri ſolet per benedictionem, acquirit tamen aliquod eſſe ſacrum minùs proprium, quatenus facta ea deſignatione ab Epiſcopo cenſetur locus pius, & religioſus, atque à locis profanis verè diſtinctus & ſegregatus, ùt cum aliis probat Sanchez *l.* 9. *de Matrim. diſp.* 15. *n.* 39. & Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 32. §. *nota.* Ex alia parte, ut frequentiùs offeratur hoc Sacrificium Deo tam acceptum, & major tribuatur commo-

mo-

Digitized by Google

moditas populis eidem Sacrificio aſſiſtendi, voluit Eccleſia ampliare hanc licentiam celebrandi etiam in locis non benedictis, modò decentia ſint, & authoritate Epiſcopi deſignata & approbata; præſertim, quia ſemper eſt neceſſarium Altare conſecratum portatile, quod eſt locus proprius, & immediatus Sacrificii.

169. Ut autem in Oratorio ab Epiſcopo deſignando, & ad uſus profanos non ampliùs convertendo, communiter & permanenter poſſit celebrari Miſſa, etiam ſecluſo caſu neceſſitatis, debet illud eſſe publicum, quòd videlicet habeat oſtium patens in via publica; & ſolet etiam habere campanam. Quarti cit. *dub.* 3. Hîs jam præſuppoſitîs, videndum eſt, quid de aliis locis, & Oratoriis quibuscunque ſentiendum.

170. ℟. 1. Quamvìs jure communi & ordinario non poſſit licitè celebrari Miſſa, niſi in Eccleſia ab Epiſcopo conſecrata, vel benedicta, aut ſaltem in Oratorio publico per Epiſcopum ad hoc deſignato; nihilominus in neceſſitate id etiam licitum eſt in aperto campo, & ſub dio (ùt ajunt) dummodo tamen Sacrum fiat in Altari portatili conſecrato, quod ſemper requiritur cum aliis neceſſariis ad ornatum Al-

taris. Ità D. Thom. Suarez cit. ℣. *Tertiò.* & DD. communiter. Ratio eſt: quia leges Eccleſiaſticæ communiter non obligant cum tanto rigore, quin excipi debeat caſus neceſſitatis *arg. c.* 1. *de Conſecr. diſt.* 1. ubi dicitur: *Miſſarum celebrationem non alibi, quàm in ſacratis Domino locis, absque magna neceſſitate fieri debere.* Item, *c. Concedimus. de Conſecr. diſt.* 1. (apud Quarti cit.) ſic habetur; *In itinere poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentorio &c. Miſſarum ſolemnia celebrare.* Unde (infert Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *n.* 116.) cùm exceptio firmet regulam in oppoſitum, tempore magnæ neceſſitatis licet alibi celebrare, in loco tamen honeſto.

171. Porrò cauſæ, licitè extra Eccleſiam, & loca ſacra prædicta Miſſam celebrandi, recenſentur à DD. ſequentes. 1*ma* eſt; ſi Eccleſiæ ſunt dirutæ, vel ab infidelibus, ſive hæreticis occupatæ. 2*da*; ſi locus ſacer non capiat tot Celebrantes, vel homines confluentes, quibus Miſſa de præcepto eſt audienda, nec alibi audire poſſunt. 3*tia*; ſi die proprio ſolemni alicujus Eccleſiæ parvæ abundet populi multitudo, poteſt erigi Altare ante, ſeu extra ipſam Eccleſiam, in eóque celebrari, ut totus populus poſſit audire Miſſam; quod

idem

Digitized by Google

idem quandoque contingere poteſt in Supplicationibus ad parvas Capellas inſtitutis. *4ta*; in caſtris militum, vel in litore maris, dum navigantes nequeunt deſerere navem, & ſe conferre ad Eccleſias; tunc enim ſuper extructo Altari portatili Miſſa celebrari poteſt ſub dio, vel in tentorio. Denique exceptionem facit privilegium Pontificium in ordine ad hoc conceſſum, ut alicui liceat celebrare ſuper portatili in loco etiam non conſecrato, nec benedicto. Vid. Reiffenſt. *n.* 117. *& ſeq.* Aman *n.* 705. Nav. Suarez, Lugo &c.

172. Petes, utrùm in dictis caſibus (exceptô privilegiô Pontificiô) neceſſaria ſit licentia Epiſcopi, vel ſaltem ejus Vicarii? ℟. cum communi ſententia, affirmativè; ſi ſcilicet adiri poſſit, ſecus, ſi non pateat aditus, vel non poſſet facilè obtineri licentia. Ità Suarez cit. Lugo, Coninch, Averſa. Unde etiam Aman cit. inquit: Oportet, ut, ſi fieri poſſit, Epiſcopus conveniatur pro licentia; illius enim eſt, in ſimilibus cauſam neceſſitatis cognoſcere: niſi res jam tranſiiſſet in uſum communiter notum, ùt celebrare in caſtris tempore expeditionis bellicæ; aut, ſi neceſſitas eſt evidens; in hoc enim caſu multi DD. conformiter (ùt videtur) doctrinæ D.

Thomæ, tenent, non requiri Epiſcopi licentiam, ſeu diſpenſationem ejus, uti patet in lege jejunii, & ſimilibus.

Oratoria Regularium.

173. QUæres autem, quid ſentiendum ſit de Privilegio Regularibus conceſſo deputandi Oratoria in ſuis Monaſteriis, vel domibus, ubi per modum habitûs celebretur? ℞. Poſſunt Regulares Oratoria in ſuis Monaſteriis habere, quæ ad Divinum tantùm cultum ſint deſtinata, & ſic permanenter, & per modum habitûs ibi Miſſas celebrare, etiam hoc tempore poſt Tridentinum. Ità Lezana, Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 32. citans Marchin. Averſ. Lugo, Baſſæ. & alios apud & cum Quarti cit. *dub.* 9. Accedit P. Maſſæus Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *Addit. III.* dicens: Non obſtante Decreto Clem. XI. edito 15. *Dec.* 1703. Regulares Mendicantes, & cum ipſis quoad Privilegia communicantes adhuc retinent de facto ſpeciale Privilegium exſtruendi Oratoria privata, & Capellas Domeſticas in ſuis habitaculis, ibique legendi, & audiendi Miſſam, diebûs quoque Feſtivîs ac Dominicîs. Quinimo, ſi quis Fratrum

trum fuerit infirmus, poterit etiam eadem legi in ſua Camera, vel alio commodo loco: non enim hæc loca comprehenduntur ſub Decreto prohibente ſuperiùs allegato, prout fuſiùs deductum eſt in Jure Canonico P. Reiffenſtuel *lib.* 3. *tit.* 41. *num.* 19. *& ſeqq.* Ità ille. Idem docet Aquil. Aman *num.* 710. dicens: Regulares non obſtante Decreto Clem. XI. poſſunt adhuc defacto vi ſuorum Privilegiorum habere privata Oratoria, & Capellas Domeſticas, in quibus, tum etiam in Cellis & Cameris, ubi ægrotus Frater decumbit, celebrare valeant. Ità Reiffenſt. Pichler, Diana cum pluribus aliis à ſe citatis. Hæc ille. Ratio eſt; quia per dictum Decretum duntaxat illa Regularium privilegia amandantur, quæ per Tridentinum ſunt revocata: ſed hæc revocata non ſunt; ſiquidem in Concilio Trid. ſolùm prohibetur, ne in privatis domibus, & omnino extra Eccleſiam erigantur Oratoria, in quibus Miſſæ celebrentur inconſultô Epiſcopô; ſive, ùt Aman cit. loquitur, in Concilio Trid. ſolùm tolluntur Privilegia celebrandi in domibus privatis, & extra Eccleſiam: Oratoria autem Monaſteriorum neque ſunt extra Eccleſiam, nec Monaſteria ſunt domus privatæ; quia nomine Eccleſiæ veniunt etiam Religioſorum

Clau-

Clauſtra *arg. c. 24. §. Adiicimus. de ſent. Excomm. in. 6.* junctâ Gloſsâ ℣. *Monaſteriis.* & juxta declarat. Innocentii IV. apud Rodriq. noſtrum *to. 2. QQ. Regular. q. 76. a. 1.* Addit Quarti *in Indice.* ℣. *Oratorium publicum.* Oratoria in Monaſteriis Regularium erecta cenſeri publica ; quod idem docet P. Coën apud Aman, dicens, Capellam pro devotione infirmorum erectam eſſe commune refugium, ac propterea non fore Oratorium privatum.

174. Ut autem ſciatur, quidnam licitum ſit in Oratoriis Regularium, quæ apud nos communiter dicuntur *Capella infirmorum*, ecce tibi ſequentia. *Primò:* Oratoria Regularium non egent Epiſcopi deſignatione vel approbatione ſicut Oratoria ſæcularium. Quarti *p. 3. tit.* 10. *n.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 9. la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 275. docétque Aman *num.* 710. dicens: Opus eſt, & ſufficit, ut locus pro tali Oratorio deſignetur à Superiore Generali, vel Provinciali, & ad cultum Divinum deputetur, non requiſitâ alterius licentiâ, ùt habetur in Bulla Gregor. XIII. Neque iſta Oratoria indigent aliqua Benedictione, ſed ſatis eſt ſuper Altari ponere lapidem ſacratum, ùt tradit Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 32. *§. penult.* Ubi nota ly *ad Divinum cultum deputetur*, id eſt, ut ſit dun-

taxat

Digitized by Google

taxat deputatum cultui Divino, non domeſticis uſibus, atque adeo diſcretum ab habitationibus, ſeu à conclavibus familiæ: neque in eo aliquid reponi debeat, quod ſerviat uſui profano. Ità Tambur. Paſqual. Neuſſer & alii.

175. *Secundò* : In Oratoriis Regularium poſſunt legi plures Miſſæ eodem die, non tantùm à Regularibus, ſed etiam à quocunque alio Sacerdote indifferenter; quia facta deputatione, ut ibi permanenter, & per modum habitûs poſſit fieri Sacrum, privilegium illorum non eſt perſonale tantùm, ſed etiam locale, ſeu redundat in locum ipſum, ideóque gaudent immunitate, non autem Oratoria ſæcularia. Kreſsling. cit. la Croix, *ut ſuprà*, Lezana, Diana, Suarez, Lugo &c. Ratio eſt: quia Gregor. XIII. etiam poſt Concilium Trid. abſolutè, & generalibûs terminîs conceſſit, ut in privatis Oratoriis Monaſteriorum, ad Divinum cultum à legitimo Superiore deputatis poſſit dici Miſſa, adeóque à quocunque; cùm potiùs videatur locale, quàm perſonale Privilegium. *Tertiò*: Omnes fideles, etiam Laici intereſſentes Miſſæ in Oratoriis Regularium ſatisfaciunt præcepto diei Feſti. Kreſsling. *ibid.* Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 4. *ſ.* 3. *n.* 15. Quartò. Ratio eſt eadem,

quæ

quæ mox dicta. Addit tamen Kreſslinger, dicens: In Cameris verò, & aliis locis ad cultum Divinum à Superioribus non deputatis Pius IV. tantùm conceſſit pro ſolatio, & in favorem infirmorum, ut ibidem Miſſa celebrari valeat; ſicque videtur Privilegium perſonale ad alios illimitatè non extendendum. Ex quo ſequitur, quòd, quamvis in Cella, vel Camera, ubi Religioſus Frater ægrotus decumbit, Miſſa celebrari valeat, ùt ſuprà dictum eſt; attamen non poſſint ibidem dici plures Miſſæ, nec poſſit ab aliis intereſſentibus quibuscunque præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfieri. Cæterùm, ſi Sacerdos Regularis infirmus non poteſt exire è Cella ſua ad celebrandum in Oratorio Monaſterii communi, poteſt tamen id facere in ipſa ſua Cella, tunc, ſicut poteſt audire alium in ſua Cella celebrantem, ſic etiam ipſemet ibidem celebrare poterit. Ratio eſt: quia perinde eſt, utrùm in hoc caſu infirmus ipſe, vel alius pro ejus ſolatio celebret, hoc ipſo, quòd Pius IV. in infirmi favorem (qui utique latè interpretandus eſt) Miſſam conceſſerit.

Dices, hanc conceſſionem Pii IV. eſſe ſublatam per Decretum S. Rit. Congreg. quod ità ſonat: *In privatis cubiculis*

Re-

Regularium prohibetur erectio Altaris, in quo Miſſa celebretur, ſub quocunque prætextu. S. R. C. approbante etiam Innocentio XIII. 13. *Maii*, 1723. & Benedicto XIII. innovante in ſuo Concilio Provinciali Lateranenſi *tit. XV. c.* 2. ubi ſuſtulit omnibus, etiam Regularibus celebrandi facultatem in privatis, ubi dormiri ſolet, Cellis, ſive cubiculis; Indultis, aut conſuetudinibûs quibûscunque non obſtantibûs, ℟. negative. Imprimis enim allegatum Decretum neque in his partibus eſt publicatum, nec à vulgatione ejus ab anno 1723. in uſum deductum. Secundò; videtur id ſolùm afficere Religioſos ſanos, & infirmos illos, qui è cubiculo ſuo ad commune Monaſterii, ſeu Conventûs Oratorium exire valent, non autem infirmos è Cella ſua, in qua decumbunt, egredi non potentes. Unde (inquit Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 11. *Addit. VI.*) difficulter mihi perſuadeo, quòd piiſſimus & Clementiſſimus Pontifex per ſua verba voluerit caſſare etiam ſpeciale Privilegium Pii IV. conceſſum Regularibus Mendicantibus, non quidem indifferenter, ſed tantùm in caſu particulari gravis infirmitatis, ubi tales pauperculi nec Capellam infirmariæ habent, vel ſaltem eandem abs-

que

Digitized by Google

que valde gravi difficultate accedere nequeunt. Simili modo reſpondetur ad Concilium Lateranenſe Benedicti XIII. Vid. etiam dicta *num.* 191. Quòdſi verò Summus quidam Pontifex, vel Sacra Congregatio contrarium huic Reſponſioni expreſſè declararet, abrogandò etiam apud Exemptos ſpecialia Privilegia Apoſtolica deſuper obtenta, ac omnem conſuetudinem contrariam, procul dubiô Regulares ſeſe conformare deberent.

Oratoria Privata Sæcularium.

176. QUid autem obſervandum in conceſſis Oratoriis privatis, ſeu domeſticis ſæcularium? Ante ℟. notandum, controverti inter DD. utrùm Epiſcopi poſt Tridentinum nunc poſſint concedere Oratoria privata ſæcularibus, ut in iis ſemper, & per modum habitûs celebretur. *Prima*, communis, & probabilior (ùt ait la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 263.) ſententia tenet negativam, Gallem. Fagund. Hurtad. Diana, Aman *num.* 709. docétque, Oratoria privata in domibus ſæcularium non poſſe concedi ab Epiſ-

Epiſcopis, ut ibi per modum habitûs celebretur, ſed hanc conceſſionem Sedi Apoſtolicæ eſſe reſervatam, ùt ex Decreto Pauli V. & Urbani VIII. & ex Declarationibus Sacræ Congregationis probant Lezana & Diana cum aliis. Accedit Decretum Clem. XI. datum 15. *Dec.* 1703. quamvis in caſu neceſſitatis Epiſcopi poſſint concedere, ut aliquoties celebretur in privatis domibus; ſive ùt loquitur Quarti *p. 3. tit. 10. n. 1. ſect. 3. dub. 5. Difficult.* 4. poſſunt Epiſcopi diſpenſare, ut aliquando celebretur in loco apto domûs privatæ ex juſta & rationabili cauſa, qualis eſt, quando perſona gravis ægrotat, ut domi audiat Miſſam &c. non autem permanenter, & per modum habitûs. Quod idem propter diuturnam alicujus perſonæ ſæcularis infirmitatem, ùt probabiliùs cum aliis à ſe citt. docet Aman cit. & ſuadet longæva, & continua Epiſcoporum praxis, tanquam optima Decreti interpres. *Secunda* ſententia tenet affirmativam; eò quòd Tridentinum *Seſſ.* 22. *in Decreto, De obſervandis &c. in Celebratione Miſſæ.* dicat: *Ne patiantur privatis in domibus, atque extra Eccleſiam &c. ſanctum hoc Sacrificium à ſæcularibus aut Regularibus quibuſcunque peragi*; per quod non videtur Epiſcopis præfata poteſtas adempta,

X di-

dicitque Paſq. *q.* 451. (apud la Croix cit.) poſſe Epiſcopos diſpenſare, ut celebretur indefinitè pro infirmo, vel pro dando Viatico: item, ſi tutus alicui non ſit egreſſus v. g. tempore belli, aut peſtis. Et docet praxis, quòd Epiſcopi in Germania habeant poteſtatem ex cauſa juſta concedendi privata Oratoria, etiam ad longum tempus v. g. ad vitam alicujus, qui aliàs diebûs Feſtîs carere deberet Miſſâ, quod ipſi nimis grave foret. Quidquid autem ſit de hac ſententiarum varietate: ſi habes licentiam ab Epiſcopo datam, eâ tutâ conſcientiâ uti poteris juxta normam conceſſionis; ad eum enim ſpectat diiudicare, facere, & ſcire, quouſque poteſtas ejus ſive ordinaria, ſive extraordinaria, ſive ſpecialiter à Summo Pontifice conceſſa ſe extendat. Vid. etiam Kreſsling. cit. *Addit.* 4. *& ſeq.* H. N.

177. ℞. In Oratoriis privatis, ſeu domeſticis ſæcularium à Papa conceſſis multa eſſe obſervanda, & quidem ſecundùm multitudinem Clauſularum, & conditionum in conceſſione adjectarum. Quoniam verò hæ multæ ſunt, varièque apponi poſſunt, eas cum explicationibus ex DD. deſumptis, hoc loco breviter adducere, operæ pretium viſum eſt. Quæ autem dicentur de Oratoriis hujuſmodi à Papa

con-

Digitized by Google

conceſſis, eadem de aliis ab Epiſcopo conceſſis, reſpectivè ſaltem intelligenda ſunt. Unde ſequitur

Clauſula I. *Tibi N. Diœceſis N.*

178. Ex hac clauſula quæritur, utrùm, ſi in conceſſione Oratorii privati contingat error circa nomen perſonæ, conceſſio ſit valida? ℞. affirmativè. Ità Sanchez, & alii communiter. Ratio eſt: quia in gratiis concedendis præſumitur Princeps, ſi aliunde de contrario non conſtet, attendere ad merita cauſæ, propter quæ gratia petitur, cujuscunque tandem perſonæ ſint merita, propter quæ gratia petitur. Idem à pari juxta probabiliorem intellige, quando erratur in nomine Diœceſis, e.g. ponendô in Reſcripto Diœceſin Friſingenſem locò Auguſtanæ. Unde colligitur, non vitiari gratiam, ſi incuriâ Scriptoris irrepat error aliquis, quando aliàs conſtat de mente concedentis ex enarratis ab impetrante gratiam. Diana cum Bonac. Portel, & aliis.

179. Petes autem, an privilegiatus hoc Privilegio, vi Brevis jam obtenti, frui poſſit, ſi mutet domicilium, illúdque (priorî domiciliô omnino dimiſſô) transferat in

aliam Diœceſin? ℞. affirmativè. Ità Angelus, Sylv. Salas apud Bonac. Pellizar. Barboſa, Averſa, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *p. 9. tr. 1. reſol. 7.* apud & cum Quarti *p. 3. tit. 10. n. 1. ſect. 3. dub. 1. Difficult. 2.* Ratio eſt: quia hoc privilegium eſt perſonale, quod conceditur immediatè perſonæ ratione ſui; ergo ſequitur perſonam, & ei ubique ſuffragatur. Idem intelligendum eſt, ſi talis privilegiatus mutat domicilium, deſerendô omnino priorem domum, ſed non Diœceſin. Imò propter eandem & majorem rationem poſſet Oratorium ſemel ab Epiſcopo approbatum mutare in alium locum ejuſdem domûs. Tambur. *de Sacrif. l. 1. c. 4. §. 4. n. 6.* ubi tamen *num. 7.* monet, in his tribus caſibus neceſſe eſſe, ut accedat Epiſcopus, ſeu ejus Vicarius locum novum approbaturus, ut ex tenore Privilegii conſtat. Vid. etiam Quarti cit. & Gobat *Theol. Exper. tr. 5. n. 361.*

Clauſ. II. *Qui, ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis.*

180. Ex hac clauſula quæritur, qualis nobilitas requiratur, ut quis validè, & lici-

tè

tè uti poſſit Privilegiô? ℞ probabiliùs requiri nobilitatem propriè dictam, qua quis propriè nobilis appellatur ex generis antiquitate. Sanchez, Barboſa cum aliis, Tambur. cit. *n.* 4. apud Quarti cit. *dub.* 2. Ratio eſt: quia propriè & ſtrictè loquendô *Nobilis* non dicitur, niſi qui ex nobili genere paterno originem ducit. Sufficit autem, eſſe nobilem ex parte Patris, quamvìs Mater non ſit nobilis; econtra non ſufficeret, eſſe nobilem ex parte matris tantùm: quia vera & abſoluta nobilitas, qualis hìc in Clauſula appoſita requiritur, ex patre, non verò ex ſola matre deducitur. Sanch. Tambur. *num.* 3. Unde ex hac ſententia colligitur, non poſſe frui hoc Privilegio Doctores ex vili familia natos; quia, etſi veniant appellatione nobilium, non tamen in omni rigore; cùm ſint perſonaliter tantùm nobiles, non autem ex familia nobili procreati. Item, illi, qui ex privilegio Principis, vel Senatorum aſſumuntur ad gradum Nobilium, quique homines novi, ſeu novi Nobiles appellari poſſunt, hìc excluduntur; quia conceſſio prædicta Oratorii non fit ei, qui eſt Nobilis, ſed ei, qui ex nobili genere procreatus exiſtit. Iidem. Quapropter, non verificata hac Clauſula, corrueret hoc Ora-

torii Privilegium, Indultúmque eſſet ſubreptitium; quia conditio veræ Nobilitatis requiritur principaliter, éſtque velut eſſentialis. Tambur. *num.* 5. qui etiam *num.* 4. advertit, illum hìc cenſeri Nobilem, qui per aliquot generationes artem mechanicam non exercuit.

Dictum eſt autem probabiliùs; quia Aquil. Aman *n.* 713. cum Paſq. & Neuſſer putat, ad hujus Privilegii valorem non requiri ſemper Nobilitatem ex Sanguine, ſed ſufficere etiam privilegiatam, quæ habetur intuitu eminentis Officii; quia Nobiles privilegiati iiſdem gaudent eminentiis, ac Nobiles ex ſanguine. Sed ℞. 1. hoc quidem procedere in foro fori, non autem in Privilegiis ſpecialibus, & ſpiritualibus, quando in Brevi conceſſionis expreſſa, & principaliter intenta habetur clauſula, *Qui de nobili genere procreatus exiſtis.* Accedit, quòd hoc privilegium, ut poſſit celebrari Miſſa in domibus Laicorum, eſt intuitu Sacrificii potiùs odioſum quàm favorabile; quia nonnihil detrahere videtur reverentiæ debitæ Sacrificio, ùt docet Suar. *to.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.* 6. & ſequitur Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 22. *§. Sed ego.* quare ſtrictè interpretari debet. ℞. 2. Hanc opinionem veram eſſe, quando in Brevi conceſſionis

ab-

abſolutè ponitur, *Qui, ùt aſſeris, nobilis exiſtis.* ſecus eſt in noſtro caſu. Quia tamen Aman cit. cum aliis contrarium tenet, & (ùt fertur) quotidiana praxis contrarium docet, Nobiles noviter creati, juxta hanc ſententiam, à dicto Privilegio excludendi non ſunt.

181. Dubitabis, quouſque duret Privilegium Oratorii privati? ℞. Privilegium Oratorii privati datum à Papa durat (niſi aliud expreſſum ſit) ad mortem privilegiati tantùm, eóque mortuô finitur, nec tranſit ad hæredes. Ità cum Sanchez & aliis docet Diana *p. 9. tr. 1. reſol.* 17. Ratio eſt: quia eſt Privilegium perſonale, quod finitur morte perſonæ privilegiatæ. *cap. Privilegium. de Reg. Jur. in 6.* Non tamen perit mortuo Papa, qui conceſſit, vel Epiſcopô, qui deſignavit; quia eſt gratia facta, quæ non ceſſat mortuô, vel amotô ab Officio, qui eam conceſſit. Sanchez, Tambur. *num.* 17. Unde nec opus erit licentiâ & approbatione novi Epiſcopi. La Croix *num.* 267.

Clauſ. III. *In privato domûs tuæ ſolitæ habitationis Oratorio, decenter murô exſtructo, & ornato, ab omnibus domeſticis uſibus libero.*

182. Vi hujus Clauſulæ quæritur, an, qui obtinuit Privilegium Oratorii pro ſua domo, poſſit illud erigere etiam in villa, vel arce ſua, ut à domo ſua abſens, in hac poſſit audire Miſſam? Item, an, ſi nolit ampliùs uti Privilegiô, poſſit pro libitu convertere Oratorium in uſus profanos? ℞. ad 1.*mum* negativè. Ratio eſt: quia Papa nunquam (niſi ſpecialiter aliud exprimat) per unum Breve concedit facultatem, ut poſſit celebrari Miſſa in pluribus Oratoriis privatis, ſed in uno tantùm, ut conſtat ex ſtylo Curiæ, & cum Merolla & aliis obſervat Diana *reſol.* 22. ℞. ad 2.*dum* affirmativè. Sanchez, Tambur. *num.* 10. Ratio eſt: quia privilegiîs utimur, quando volumus, & conſequenter, ſi nolit ampliùs uti eo privilegio, poteſt Oratorium convertere in uſus profanos: tum, quia hæc privata Oratoria ex ſe ſunt loca profana, licèt ex licentia in iis celebretur; unde nec gaudent Immunitate Eccleſiaſtica:

nec

nec violantur per ſanguinis, ſeminíſve effuſionem, ut indigeant benedictione: nec fornicatio, vel homicidium ibi habita ſunt ſacrilegia. Tàmbur. cum Sanchez. & ex communi ſententia probat Diana *p. 9. tr. 1. reſol.* 20. Addit tamen Tambur. quòd ſi tale Oratorium profanatum velit Dominus iterùm ad uſum Sacrum celebrandi remittere, nova approbatione & deputatione Ordinarii indigebit, ùt notat in ſimili Caſtropal. Quamvis autem non poſſit validè Oratorium privatum conſtitui, niſi præcedat viſitatio, approbatio, & licentia Ordinarii, propter Clauſulam, *Per Ordinarium loci priùs viſitando, & approbando*; ſufficit tamen, ſi ſemel viſitetur & approbetur, & licentia obtineatur ab Ordinario loci, id eſt, ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſub cujus juriſdictione comprehenditur locus, ubi conſtituendum eſt Oratorium. Quâ licentia impetrata, non poterit deinde Epiſcopus abſque nova cauſa prohibere, ne juxta tenorem Privilegii Pontificii in eo Oratorio celebretur. Ità ex Sanchez & aliis docet Tàmbur. cit. *num.* 11. *& ſeqq.* ubi etiam ſubdit, poſſe hanc facultatem approbandi Oratorium ab Ordinario alteri delegari.

Clauſ. IV. *Unam Miſſam pro unoquoque die.*

183. Ex hac Clauſula patet, unam tantùm Miſſam eodem die celebrari poſſe in privatis & domeſticis Oratoriis, & conſequenter prohibitum eſſe celebrari plures. Ratio eſt: quia limitata cauſa (quæ nunc eſt voluntas Pontificis) non niſi limitatum effectum producere poteſt, ſicut cum Quintan. Marchin. & aliis notat Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſ.* 5. Tambur. cit. *n.* 19. Unde ſi quis alterum Sacrum in dicto Oratorio celebraret, vel celebrari faceret, mortaliter delinqueret. Tambur. Quarti. Ratio eſt: quia id eſſet Sacrum celebrare in loco inepto ſeu prohibito, quod eſt peccatum mortale ex communi DD. ſententia. Nec obſtat licentia conceſſa pro una Miſſa; quia pro altera conceſſio nulla eſt, ac proinde pro hac & ſequentibus perinde, ac ſi nulla præceſſerit conceſſio.

Petes hic incidenter, utrùm privilegiatus non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur in ſuo Oratorio celebrari facere, ut audiat Miſſam die Feſto; quia e. g. eſt infirmus, vel alia de cauſa exire non poteſt? ℞. non teneri. Gobat *Alphab. Sacrif. num.* 255. Ratio eſt: quia privilegiis utimur, quando

vo-

volumus : & (prout loquitur Gobat) nemo tenetur uti ſuô Privilegiô , ne gratia fiat oneroſa : ergo. Dictum eſt autem, *ſi infirmus &c. exire non poteſt*; ſi enim hujusmodi privilegiatus ſanus eſt,& in ſuo Oratorio die Feſto non vult, vel non poteſt Miſſam audire, tenetur eam, ut alii fideles, audire in aliqua Eccleſia, niſi ex alio capite ab auditione Miſſæ excuſetur. Etenim in præcepto die Feſto audiendi Miſſam duo includuntur, ſcilicet præceptum audiendi Miſſam, & facultas audiendi eam in loco apto, in quo quis maluerit, id eſt, ſive in ſuo Oratorio (juxta Privilegium) ſive in aliqua Eccleſia ; hoc ſecundum eſt libertatis, vel Privilegii, prius autem eſt præcepti obligatorii : ſicut ergo omnes alii fideles die Feſto tenentur Miſſam audire in qualicunque demum Eccleſia,ſic & tenentur privilegiati , utpote in præcepto audiendi Miſſam nullatenus diſpenſati.

Clauſ. V. *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia , quæ adhuc duret , alteri conceſſa non fuerit.*

184.

184. Per hanc Clauſulam prohibentur in eadem domo plura Oratoria, & inſuper cavetur, ne idem Oratorium, quoad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam, ſuffragari poſſit pluribus Dominis diſtinctis, & ad invicem non ſubordinatis, aut pluribus familiis, ſi fortè plures ſint in eadem domo. Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 7. Unde infertur 1*mò*: Si in eadem domo ſint duo Domini cum ſuis familiis, quorum uterque obtinuiſſet privilegium Oratorii, is, qui poſterius impetrâſſet, impetrâſſet nulliter vi hujus Clauſulæ. Idem, & Tambur. cit. *num.* 20. Infertur 2*dò*: Si duo diſtincti Domini, & ad invicem non ſubordinati validè impetrâſſent Privilegiũ Oratorii, quando in diverſis domibus habitabant, & poſtea ſe transferrent in eandem domum, non poſſunt in hac domo communi duo Oratoria erigere, nec poteſt uterque eodem Oratorio uti, ſed alter tantùm eorum, qui videlicet primus erexerit; quòdſi lis oriatur, & nolit alter alteri cedere, arbitriô Epiſcopi decidendum erit, quisnam eorũ eo privilegio uti debeat. Ratio eſt: quia Clauſula non vetat ſolùm, ne ſit in eodem Oratorio duplex licentia, ſed ne ſit in eadem domo. Unde poſterioris privilegium ſuſpenderetur, quouſque

ad

ad aliam translatus domum, Oratorium de novo erigeret; in quo tamen caſu opus eſſet nova Epiſcopi approbatione, ùt *ſuprà* 179. dictum eſt.

Sed quid, ſi domus ità ſit ampla, & diverſæ familiæ in ſitu adeò diſtanti habitarent, ut ratione ſitûs moraliter judicarentur duæ diverſæ domus? Rdet Tambur. *n.* 22. dicens: Si domus eſſet tam ampla, ut familiæ ità in ſitu diſtanti habitarent, ut ejusmodi ſitus moraliter judicarentur duæ diverſæ domus (quales eſſent, ſi ſingulæ habitationes haberent ſuas januas, ſuaque atria, & ſimilia, quamvis utraque conveniret in unam amplam januam quoad exitum, vel in unum commune atrium) putarem dictam Clauſulam non obſtare poſteriori impetranti; quia tunc ſecunda conceſſio non eſſet pro eadem moraliter domo. Hæc ille. Sed in hoc ſtandem erit judicio Epiſcopi viſitantis, & approbantis, vel etiam negantis.

Clauſ. VI. *Per quemcunque Sacerdotem ab Ordinario approbatum ſæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem.*

185.

185. Vi hujus Clauſulæ pro Sacerdote ſæculari ſufficit approbatio generalis celebrandi Miſſam, nec requiritur approbatio ſpecialis ad celebrandum in Oratorio privato. Ità Pellizar. cum aliis, quos citat & ſequitur Diana *p. 9. tr. 1. reſol. 16.* Ratio eſt: quia, ubi agitur de obligatione, ſtricta fieri debet interpretatio, & in mitiorem partem interpretari debet, ne gravet fideles plùs, quàm par eſt. Cùm igitur Clauſula abſolutè dicat, *per Sacerdotem approbatum ſæcularem*, absque addito ly *ſpecialiter*, commodè explicari & intelligi poteſt de approbatione generali, nec eſt ad ſpecialem reſtringenda. Accedit praxis, qua paſſim Sacerdotes etiam timorati ſinè ulla nova facultate, ſolùm ex univerſali approbatione celebrandi, quam habent, celebrant in dictis Oratoriis. *Secundò:* Pro Regularibus Sacerdotibus ſufficit etiam generalis approbatio, & licentia tacita, ſeu præſumpta ſuorum Superiorum. Ità Quintanad. Pellizar. quos affert & ſequitur Diana cit. Ratio eſt eadem, quæ pro Sacerdote ſæculari. Quòd autem ſufficiat tacita ſeu præſumpta Superiorum Regularium licentia, ratio eſt: quia, ubi requiritur licentia communiter, intelligitur etiam de tacita, niſi hæc expreſsè excludatur; & ad multò

gravio-

graviora ſufficere licentiam tacitam, docent DD. ergo à fortiori in noſtro caſu. Porrò, non requiri licentiam Parochi rectè docet Ceſpedes in *tract. de Except. Reg. c. 6. d.* 103. *n.* 1. apud & cum Tambur. *num.* 23. Ratio eſt : quia Parochus neque eſt Ordinarius, neque habet jus prohibendi, vel reſtringendi facultatem ab Epiſcopo generaliter datam.

186. Nota tamen, quòd, ſi quis poſitivè inhiberetur à Superiore, videlicet Sacerdos Sæcularis, imò & Regularis, etiam exemptus, ab Epiſcopo ſeu Ordinario : & Regularis à ſuo Superiore, graviter peccaret ibi celebrandô, modò inhibitio ſit legitima. Ratio eſt : quia tunc non verificatur conditio requiſita à Summo Pontifice, conſequenter nòn ſuffragaretur conceſſio & privilegium, & perinde eſſet, ac celebrare in loco inepto, quod eſt peccatum mortale. Vid. Quart. cit. *dub.* 8. Quòd autem Epiſcopus Sacerdotes Regulares, etiam exemptos inhibere poſſit, ratio eſt; quia (ùt inquit Tambur. cit. *num.* 16.) Epiſcopus univerſaliter poteſt ſuſpendere, vel inhibere etiam Religioſos exemptos, ne in dictis Oratoriis celebrent, quando fortè reſciret, ſinè debito decore ibidem celebrari; quia providere, quæcunque in ſua

Diva-

torii Privilegium, Indultúmque eſſet ſubreptitium; quia conditio veræ Nobilitatis requiritur principaliter, éſtque velut eſſentialis. Tambur. *num.* 5. qui etiam *num.* 4. advertit, illum hic cenſeri Nobilem, qui per aliquot generationes artem mechanicam non exercuit.

Dictum eſt autem probabiliùs; quia Aquil. Aman *n.* 713. cum Paſq. & Neuſſer putat, ad hujus Privilegii valorem non requiri ſemper Nobilitatem ex Sanguine, ſed ſufficere etiam privilegiatam, quæ habetur intuitu eminentis Officii; quia Nobiles privilegiati iiſdem gaudent eminentiis, ac Nobiles ex ſanguine. Sed ℞. 1. hoc quidem procedere in foro fori, non autem in Privilegiis ſpecialibus, & ſpiritualibus, quando in Brevi conceſſionis expreſſa, & principaliter intenta habetur clauſula, *Qui de nobili genere procreatus exiſtis.* Accedit, quòd hoc privilegium, ut poſſit celebrari Miſſa in domibus Laicorum, eſt intuitu Sacrificii potiùs odioſum quàm favorabile; quia nonnihil detrahere videtur reverentiæ debitæ Sacrificio, ùt docet Suar. *to.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 88. *ſect.* 6. & ſequitur Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 22. *§. Sed ego.* quare ſtrictè interpretari debet. ℞. 2. Hanc opinionem veram eſſe, quando in Brevi conceſſionis

ab-

abſolutè ponitur, *Qui, ùt aſſeris, nobilis exiſtis.* ſecus eſt in noſtro caſu. Quia tamen Aman cit. cum aliis contrarium tenet, & (ùt fertur) quotidiana praxis contrarium docet, Nobiles noviter creati, juxta hanc ſententiam, à dicto Privilegio excludendi non ſunt.

181. Dubitabis, quouſque duret Privilegium Oratorii privati? ℟. Privilegium Oratorii privati datum à Papa durat (niſi aliud expreſſum ſit) ad mortem privilegiati tantùm, eóque mortuô finitur, nec tranſit ad hæredes. Ità cum Sanchez & aliis docet Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 17. Ratio eſt: quia eſt Privilegium perſonale, quod finitur morte perſonæ privilegiatæ. *cap. Privilegium. de Reg. Jur. in* 6. Non tamen perit mortuo Papa, qui conceſſit, vel Epiſcopò, qui deſignavit; quia eſt gratia facta, quæ non ceſſat mortuò, vel amotô ab Officio, qui eam conceſſit. Sanchez, Tambur. *num.* 17. Unde nec opus erit licentiâ & approbatione novi Epiſcopi. La Croix *num.* 267.

Digitized by Google

Clauſ. III. *In privato domûs tuæ ſolitæ habitationis Oratorio, decenter murô exſtructo, & ornato, ab omnibus domeſticis uſibus libero.*

182. Vi hujus Clauſulæ quæritur, an, qui obtinuit Privilegium Oratorii pro ſua domo, poſſit illud erigere etiam in villa, vel arce ſua, ut à domo ſua abſens, in hac poſſit audire Miſſam? Item, an, ſi nolit ampliùs uti Privilegiô, poſſit pro libitu convertere Oratorium in uſus profanos? ℞. ad 1.*mum* negativè. Ratio eſt: quia Papa nunquam (niſi ſpecialiter aliud exprimat) per unum Breve concedit facultatem, ut poſſit celebrari Miſſa in pluribus Oratoriis privatis, ſed in uno tantùm, ùt conſtat ex ſtylo Curiæ, & cum Merolla & aliis obſervat Diana *reſol.* 22. ℞. ad 2.*dum* affirmativè. Sanchez, Tambur. *num.* 10. Ratio eſt: quia privilegiîs utimur, quando volumus, & conſequenter, ſi nolit ampliùs uti eo privilegio, poteſt Oratorium convertere in uſus profanos: tum, quia hæc privata Oratoria ex ſe ſunt loca profana, licèt ex licentia in iis celebretur; unde nec gaudent Immunitate Eccleſiaſtica:

nec

nec violantur per ſanguinis, ſeminiſve ef-fuſionem, ut indigeant benedictione: nec fornicatio, vel homicidium ibi habita ſunt ſacrilegia. Tambur. cum Sanchez, & ex communi ſententia probat Diana *p.9. tr. 1. reſol.* 20. Addit tamen Tambur. quòd ſi tale Oratorium profanatum velit Dominus iterum ad uſum Sacrum celebrandi remittere, nova approbatione & deputatione Ordinarii indigebit, ùt notat in ſimili Caſtropal. Quamvis autem non poſſit validè Oratorium privatum conſtitui, niſi præcedat viſitatio, approbatio, & licentia Ordinarii, propter Clauſulam, *Per Ordinarium loci priùs viſitando, & approbando*; ſufficit tamen, ſi ſemel viſitetur & approbetur, & licentia obtineatur ab Ordinario loci, id eſt, ab Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſub cujus juriſdictione comprehenditur locus, ubi conſtituendum eſt Oratorium. Qua licentia impetrata, non poterit deinde Epiſcopus abſque nova cauſa prohibere, ne juxta tenorem Privilegii Pontificii in eo Oratorio celebretur. Ità ex Sanchez & aliis docet Tambur. cit. *num.* 11. *& ſeqq.* ubi etiam ſubdit, poſſe hanc facultatem approbandi Oratorium ab Ordinario alteri delegari.

Clauſ. IV. *Unam Miſſam pro unoquoque die.*

183. Ex hac Clauſula patet, unam tantùm Miſſam eodem die celebrari poſſe in privatis & domeſticis Oratoriis, & conſequenter prohibitum eſſe celebrari plures. Ratio eſt: quia limitata cauſa (quæ nunc eſt voluntas Pontificis) non niſi limitatum effectum producere poteſt, ſicut cum Quintan. Marchin. & aliis notat *Diana p. 9. tr. 1. reſ. 5.* Tambur. cit. *n.* 19. Unde ſi quis alterum Sacrum in dicto Oratorio celebraret, vel celebrari faceret, mortaliter delinqueret. Tambur. Quarti. Ratio eſt: quia id eſſet Sacrum celebrare in loco inepto ſeu prohibito, quod eſt peccatum mortale ex communi DD. ſententia. Nec obſtat licentia conceſſa pro una Miſſa; quia pro altera conceſſio nulla eſt, ac proinde pro hac & ſequentibus perinde, ac ſi nulla præceſſerit conceſſio.

Petes hic incidenter, utrùm privilegiatus non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur in ſuo Oratorio celebrari facere, ut audiat Miſſam die Feſto; quia e. g. eſt infirmus, vel alia de cauſa exire non poteſt? ℞. non teneri. Gobat *Alphab. Sacrif. num.* 255. Ratio eſt: quia privilegiis utimur, quando vo-

volumus : & (prout loquitur Gobat) nemo tenetur uti ſuô Privilegiô, ne gratia fiat oneroſa : ergo. Dictum eſt autem, *ſi infirmus &c. exire non poteſt;* ſi enim hujusmodi privilegiatus ſanus eſt, & in ſuo Oratorio die Feſto non vult, vel non poteſt Miſſam audire, tenetur eam, ùt alii fideles, audire in aliqua Eccleſia, niſi ex alio capite ab auditione Miſſæ excuſetur. Etenim in præcepto die Feſto audiendi Miſſam duo includuntur, ſcilicet præceptum audiendi Miſſam, & facultas audiendi eam in loco apto, in quo quis maluerit, id eſt, ſive in ſuo Oratorio (juxta Privilegium) ſive in aliqua Eccleſia; hoc ſecundum eſt libertatis, vel Privilegii, prius autem eſt præcepti obligatorii : ſicut ergo omnes alii fideles die Feſto tenentur Miſſam audire in qualicunque demum Eccleſia, ſic & tenentur privilegiati, utpote in præcepto audiendi Miſſam nullatenus diſpenſati.

Clauſ. V. *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit.*

184.

184. Per hanc Clauſulam prohibentur in eadem domo plura Oratoria, & inſuper cavetur, ne idem Oratorium, quoad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam, ſuffragari poſſit pluribus Dominis diſtinctis, & ad invicem non ſubordinatis, aut pluribus familiis, ſi fortè plures ſint in eadem domo. Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 7. Unde infertur 1*mò*: Si in eadem domo ſint duo Domini cum ſuis familiis, quorum uterque obtinuiſſet privilegium Oratorii, is, qui poſterius impetrâſſet, impetrâſſet nulliter vi hujus Clauſulæ. Idem, & Tambur. cit. *num.* 20. Infertur 2*dò*: Si duo diſtincti Domini, & ad invicem non ſubordinati validè impetrâſſent Privilegiũ Oratorii, quando in diverſis domibus habitabant, & poſtea ſe transferrent in eandem domum, non poſſunt in hac domo communi duo Oratoria erigere, nec poteſt uterque eodem Oratorio uti, ſed alter tantùm eorum, qui videlicet primus erexerit; quòd ſi lis oriatur, & nolit alter alteri cedere, arbitriô Epiſcopi decidendum erit, quisnam eorũ eo privilegio uti debeat. Ratio eſt: quia Clauſula non vetat ſolùm, ne ſit in eodem Oratorio duplex licentia, ſed ne ſit in eadem domo. Unde poſterioris privilegium ſuſpenderetur, quouſque

ad

ad aliam tranſlatus domum, Oratorium de novo erigeret; in quo tamen caſu opus eſſet nova Epiſcopi approbatione, ùt *ſuprà* 179. dictum eſt.

Sed quid. ſi domus ità ſit ampla, & diverſæ familiæ in ſitu adeò diſtanti habitarent, ut ratione ſitûs moraliter judicarentur duæ diverſæ domus? ℞det Tambur. *n.* 22. dicens: Si domus eſſet tam ampla, ut familiæ ità in ſitu diſtanti habitarent, ut ejuſmodi ſitus moraliter judicarentur duæ diverſæ domus (quales eſſent, ſi ſingulæ habitationes haberent ſuas januas, ſuáque atria, & ſimilia, quamvìs utraque conveniret in unam amplam januam quoad exitum, vel in unum commune atrium) putarem dictam Clauſulam non obſtare poſteriori impetranti; quia tunc ſecunda conceſſio non eſſet pro eadem moraliter domo. Hæc ille. Sed in hoc ſtandem erit judicio Epiſcopi viſitantis, & approbantis, vel etiam negantis.

Clauſ. VI. *Per quemcunque Sacerdotem ab Ordinario approbatum ſacularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem.*

185.

graviora ſufficere licentiam tacitam, docent DD. ergo à fortiori in noſtro caſu. Porrò, non requiri licentiam Parochi rectè docet Ceſpedes in *tract. de Except. Reg. c. 6. d.* 103. *n.* 1. apud & cum Tambur. *num.* 23. Ratio eſt : quia Parochus neque eſt Ordinarius, neque habet jus prohibendi, vel reſtringendi facultatem ab Epiſcopo generaliter datam.

186. Nota tamen, quòd, ſi quis poſitivè inhiberetur à Superiore, videlicet Sacerdos Sæcularis, imò & Regularis, etiam exemptus, ab Epiſcopo ſeu Ordinario : & Regularis à ſuo Superiore, graviter peccaret ibi celebrandô, modò inhibitio ſit legitima. Ratio eſt : quia tunc non verificatur conditio requiſita à Summo Pontifice, conſequenter non ſuffragaretur conceſſio & privilegium, & perinde eſſet, ac celebrare in loco inepto, quod eſt peccatum mortale. Vid. Quart. cit. *dub.* 8. Quòd autem Epiſcopus Sacerdotes Regulares, etiam exemptos inhibere poſſit, ratio eſt; quia (ùt inquit Tambur. cit. *num.* 16.) Epiſcopus univerſaliter poteſt ſuſpendere, vel inhibere etiam Religioſos exemptos, ne in dictis Oratoriis celebrent, quando fortè reſciret, ſinè debito decore ibidem celebrari; quia providere, quæcunque in ſua

Diœ-

Digitized by Google

Diœceſi ad Divinum cultum ſpectant, pertinet ex Tridentino ad Epiſcopum. Dictum eſt autem, *modò inhibitio ſit legitima*; quia, ùt ait Quarti cit. reſpectu Epiſcopi videtur neceſſaria aliqua juſta & rationabilis cauſa ad limitandum ſuo ſubdito approbationem celebrandi ſemel conceſſam. Quidquid autem ſit de hoc; ſtante Epiſcopi inhibitione parendum, & à celebratione in privatis Oratoriis abſtinendum eſt; eò quòd præſumptio de juſta inhibitionis cauſa pro Epiſcopo ſtet, donec contrarium probetur. Cæterùm reſpectu Superioris Regularis non videtur requiri alia cauſa, præter votum Obedientiæ, quo adſtringitur quilibet Regularis. Et hoc verum omnino eſt apud Fratres Minores, utpote qui ex S. Reg. *cap.* 10. tenentur obedire Superioribus ſuis *in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ.*

187. At ſcire deſideras, utrùm defacto Regularibus extra caſum neceſſitatis, intuitu ſui Privilegii, liceat celebrare Miſſam in privatis extraneorum Oratoriis, aut Cameris? R. det Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *Append. I. Addit. II.* negativè: niſi novum Privilegium, vel Diſpenſatio particularis

ob-

obtineatur, vel per conſuetudinem jam debito tempore præſcriptam habeatur. Ità præter alia Jura colligitur clarè tum ex Concilio Trid. *Seſſ.* 22. *in Decreto, de obſervandis in Celebrat. Miſſa,* tum ex Decreto Clem. XI. *die* 15. *Sept.* 1703. edito & per extenſum reperiendo in Jure Canonico Reiffenſt. *l.* 3. *Decret. tit.* 41. *poſt num.* 5. ubi Summus Pontifex verbîs formalibûs annullavit ſimilia Privilegia antea Regularibus conceſſa per *cap. In his.* 30. *de Privilegiis.* vi cujus capituli antea potuerunt cum Altari portatili ubicunque, etiam in domibus Laicis celebrare. Unde etiam Aman *num.* 709. infert: Nullum, etiam Regularem, intuitu ſui Privilegii poſſe defacto ſinè Epiſcopi licentia celebrare in privata domo ægroti ſæcularis, tradunt omnes DD. teſte Reiffenſtuel.

Clauſ. VII. *Sinè tamen quorumcunque Jurium Parochialium præjudicio.*

188. Ex hac Clauſula perſpicuum eſt, non poſſe in Oratorio ſæcularium exerceri ullum munus Parochiale, e. g. non poſſe exigi Decimas, primitias, ſeu Oblationes,

Digitized by Google

quæ de Jure debentur Parocho: non poſſe miniſtrari Sacramenta, præſertim Eucharistiam tempore Paſchatis ſinè licentia Parochi: non poſſe dari pacem, nec denunciari Feſta, jejunia, matrimonia, & ſimilia, quæ per ſe ſpectant ad Parochum. Quare oppoſitum facere ſinè licentia ſaltem tacita, eſſet grave peccatum ex genere ſuo, & ſolùm ratione parvitatis materiæ à mortali excuſari poteſt. Ità cum Quintanad. Pellizar. Molfeſ. & aliis docet Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 15. apud & cum Quart. *dub.* 9. Tambur. Dictum eſt autem, *ſinè licentia ſaltem tacita*; quia cum hac prudenter præſumpta, aliqua dictorum fieri omnino poſſunt, maximè ubi Parochus in danda licentia difficilis non eſt. Unde hac ſuppoſita, & ubi particularis Conſtitutio legitima non obſtat, poterit in eodem Oratorio toti familiæ (præſertim infirmo ibidem exiſtenti) adminiſtrari Sacramentum Pœnitentiæ. Tambur. *n.* 25. qui etiam *num. ſeq.* de Communione ſic ſcribit: Si Pontifex in Brevi de Oratorio concedit familiæ audire ibidem Miſſam, præceptóque diei Feſti ſatisfacere, cur non poſſimus dicere, quòd eo ipſo concedat etiam eidem familiæ ſumere ibidem (ex devotione) Eucharistiam? Cùm enim Communio eorum,

qui

qui Miſſæ interſunt, pertineat ad idem Sacrificium, unde olim ſemper communicabant, qui Miſſæ intererant, videtur, quòd conceſſâ Miſſâ, concedatur iisdem & Communio. Ità ille. Quidnam autem quoad Sacramentum Pœnitentiæ Sacerdotes Regulares, pro Confeſſionibus excipiendis approbati poſſint, apud ipſos eosdem notiſſimum, ideóque hoc loco repetendum non eſt.

Clauſula VIII. *Exceptîs diebûs Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, nec non aliîs ſolemnibûs Feſtîs diebûs.*

189. Per hanc Clauſulam limitatur Privilegium, & facultas celebrandi in privatis Oratoriis, excipiendô dies Feſtos ſolemniores. Quinam autem dies Feſti excipiantur illîs verbîs, *nec non aliîs ſolemnibûs Feſtîs diebûs*, declaravit S. Rit. Congregatio *die* 17. *Nov.* 1607. ſcilicet, excipi Diem Natalis Domini, & Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes, Annuntiationis & Aſſumptionis B. V. M. Feſtum SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Feſtum Omnium Sanctorum.

Ità referunt & docent Barboſa *de Jure Eccl. l. 2. c. 8. n. 6.* Gavant, *p. 1. tit. 20. ℣. ſciendum.* Lezana, & alii.

190. Ex hac Declaratione Infertur 1*mò*, aliîs diebûs Feſtîs ſolemnibûs, qui in Decreto conceſſionis minimè notantur, poſſe celebrari Miſſam in Oratoriis prædictis, videlicet in Feſto Aſcenſionis Domini, Corporis Chriſti, Patronorum & ſimilium, quia non excipiuntur; licèt ob majorem devotionem & venerationem eorundem Feſtorum melius & conſultius eſſet, adire Templa & publicas Eccleſias, maximè ſi hujusmodi acceſſus cederet ad exemplarem ædificationem populi. Infertur 2*dò*, nomine *Paſchatis*, & *Pentecoſtes* diem primum ſolùm intelligi, non verò duos ſequentes earundem Solemnitatum; & ſic etiam dicendum eſt de die Nativitatis Domini. Lezana, Gav. & alii communiter. Ratio eſt: quia Reſtrictio Indulti ſeu gratiæ, utpote quid odioſum, ſtrictè interpretanda eſt. Infertur 3*tiò*, illum, qui in dictis Feſtis vetitis, ſeu exceptis celebrat, vel celebrari facit in Oratoriis privatis, peccare graviter, & dupliciter quidem; primò, quia contra gravem prohibitionem Summi Pontificis celebrat, vel celebrari facit Sacrum in loco inepto; ſecundò, quia non

ſatis

ſatisfacit præcepto audiendi Miſſam, utpote conceſſione illa Oratorii in Feſtis prædictis ſolemnioribus nullo modo ſuffragante privilegiatis. Vide Quarti cit. ubi & alios citat.

191. Nota tamen ex Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *Append. I. Addit.* 6. quòd præfata Feſtorum exceptio (niſi aliter expreſsè conſtet de mente Pontificis, vel Epiſcopi) benignè ſit interpretanda, & tantummodo intelligenda quoad ſanos, domo aliàs egredi potentes, non autem quoad infirmos hypocauſto, vel etiam lectulo affixos: cùm enim infirmis tale Oratorium privatum concedatur in ſpirituale ſolatium, jure merito præſumitur (niſi aliter conſtet expreſſè de mente concedentis) pariter conceſſum illîs ſolemnibûs diebûs Feſtivîs, quibûs hi pauperculi dictô ſolatiô ſpirituali vel maximè indigent, pro tunc præter SS. Miſſæ Sacrificium etiam SS. Corpore Chriſti ſæpiùs anhelantes refici in ſuo cubiculo; quoniam nequeunt egredi domo, ſicut alii ſani. Profectò talem eſſe pariter ſtylum Curiæ Romanæ, ſi pro ægrotis petuntur Oratoria privata, teſtis eſt la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 271. & præſertim *p.* 3. *n.* 931. ℣. *De Oratoriis.* Ità ille.

Digitized by Google

Clauſ. IX. *In tua, & familiæ tuæ præſentia celebrari facere.*

192. Quæritur, quinam intelligantur per hanc Clauſulam? ℟. nomine *Familiæ* intelligi illos, qui habitant in domo principalis Privilegiati, ſeu habentis Indultum Oratorii, cum aliqua habitudine ad ipſum principalem, ùt caput familiæ. La Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 272. Quarti *dub.* 11. Eſt autem hæc habitudo, ſeu reſpectus ad dictum principalem duplex; *primò* : ratione patriæ poteſtatis, quem dicunt filii, nepotes &c. *ſecundò* : ratione poteſtatis dominativæ; & talem reſpectum ad principalem dicunt ſervi, famuli, & ſimiles, qui viventes expensîs Domini, eidem obſequium præſtantes in Jure appellantur familiares. Ex his

193. Infertur *primò*, ſub nomine *familiæ* venire, poſséque audire Miſſam in Oratorio domeſtico, Maritum, ſeu principalem privilegiatum, ejúsque uxorem; item filios & filias, nurum & generum, nepotes & pronepotes deſcendentes per lineam rectam, habitantes cum ipſo principali privilegiato, & commenſales ejusdem; quia hi omnes reſpiciunt ipſum privilegiatum

tum tanquam patremfamilias, & ſub ejus regimine manent. Ità Diana cum Bardi & aliis communiter apud & cum Quarti. Infertur *ſecundò*, etiam Patrem & Matrem, alióſque aſcendentes per lineam rectam ipſius principalis, qui Indultum Oratorii obtinuit, eodem gaudere Privilegio, ſi in eadem domo cum eo habitent; quia verè ſunt de ejus familia: tum, quia reputantur una & eadem perſona cum eo; tum, quia ob naturalem connexionem ad invicem conflant unam ſocietatem, & quia bona & privilegia filiorum aliquo modo ad parentes pertinent, & in eorum favorem redundant; ſicut in ſimili docet Molfeſ. in *Sum. to.* 1. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 70. de Matre nobilis viduæ ratione ſolius cuſtodiæ, & abſolutè Averſa *de Sacrif. q.* 12. *ſect.* 14. §. *ſeptimo.*

194. Infertur *tertiò*: quamvìs aliqui ſimpliciter affirment, fratrem habentis Indultum Oratorii, ejuſdémque fratris uxorem cum ſua familia gaudere uſu Privilegii prædicti Oratorii, etiamſi habeant propriam menſam, proprios redditus, & proprios famulos, dummodo habitant in domo Principalis privilegiati. Alii tamen id probabiliùs negant, quando prædicti ſeparati à convictu principalis privilegiati ve-

rè, & propriè aliam familiam conſtituunt. Ratio eſt : quia, cùm hoc Privilegium ſit contra jus commune, non ample, ſed ſtrictè interpretari debet, & idcirco, quia non ſunt propriè & in rigore de eadem familia, excludi debent ab uſu hujus Privilegii, ſeu Indulti Oratorii privati. Ità Bardi, Quintanadv. Ludov. à Cruce cum aliis, quos affert & ſequitur Diana *reſol.* 6. Unde concludit abſolutè Aquil. Aman *num.* 712. dicens : Nomine *familiæ*, ſeu familiarium non veniunt cognati, & conſanguinei, ſed omnes illi, & ſoli, qui actu ſunt in ſervitio Domini, vel ratione parentelæ, aut famulatûs vivunt expenſis Domini. Paſqual. *q.* 649.

195. Infertur *quartò*, vi habitudinis ſeu reſpectûs ad caput familiæ ratione poteſtatis dominativæ, ſub nomine familiæ & familiarium hic intelligi non ſolùm omnes ſervos & ſervas, item famulos & famulas immediatos ipſius privilegiati & commenſales ejuſdem, ſed & famulos famulorum nobilium ejuſdem principalis, & pariter commenſales, & ſimiliter hortulanum colentem hortum Domini, & habitantem in eadem domo, viventémque ex ſalario ejuſdem Domini, & alios ſimiles ; quia omnes immediatè, vel mediatè ſubii-

ciun-

ciuntur Domino habenti indultum Privilegii. Ità cum aliis Diana apud & cum Quarti cit. Imò, ſi aliquis ex famulis immediatis habentis Indultum Oratorii vivat quidem ex ſalario ipſius habentis Indultum; ſed dormiat & habitet extra domum Domini, adhuc talis cenſetur de familia, & poteſt uti eo Indulto audiendi Sacrum, ſi ex officio in ejus domo famuletur ſemper. Ità cum Caſtropal. & aliis docet Diana *p. 9. tr. 1. reſol.* 21. Pellizar. & alii, quos refert & ſequitur Tambur. *n.* 29. la Croix *l. 6. p.* 2. *n.* 272. Ratio eſt: quia ad hanc rationem familiaritatis potiùs attenditur ſubjectio & ſocietas ratione commenſalitatis & ſalarii, quàm materialis cohabitatio ſub eodem tecto: unde etiam domeſtici dici poſſunt; quia ad eandem domum pertinent. Cæterùm habitantes in domo principalis privilegiati merè per accidens non gaudent hoc privilegio; quia non poſſunt conſtituere unam familiam, nec conſtant unam ſocietatem, quæ eſt de conceptu eſſentiali familiæ.

196. Petes, an, ſicut Dominus, ſeu principalis Privilegiatus ſolus ſinè familia Miſſam audire poteſt in ſuo Oratorio, ſic etiam familia, & quilibet ex familiaribus

Digitized by Google

poſſit audire Miſſam, & ſibi celebrari facere in eodem Oratorio ſinè præſentia Domini, ſeu Privilegiati principalis? ℞. det la Croix cit. dicens: Poſſe familiares ſeu familiam curare celebrari Miſſam, licèt Dominus privilegiatus non adſit, docuerunt Quintanadv. Pelliz. Averſ. Caſtrop. & alii cum Quarti *dub.* 11. ſed quoad Oratoria à Sede Apoſtolica conceſſa videtur oppoſitum declarare Clemens XI. Conſentit Aman *num.* 712. dicens: Defacto poſt Decretum Clementis XI. editum 15. *Dec.* 1703. probabilior apparet negativa; ſiquidem in hac Bulla reprehenduntur Sacerdotes, qui in abſentia perſonarum nobilium in privatis ſuis Oratoriis celebrârunt. Sed ad hanc rationem (niſi ex Bulla aliud clarè probetur) reſponderi poteſt, ſolummodo reprehendi Sacerdotes illos, qui nemine de familia præſente celebrare præſumpſerunt. Cùm igitur res non ſit certa, & P. Pichler apud Aman *num.* 708. ſcribat: *Utrùm verò* (hoc Decretum) *ſit etiam ubique uſu receptum, utì debebat, ſubſiſto,* doceántque affirmativam tot DD. favente praxi communi, dum paſſim abſente Domino, ejus familiares audiunt Miſſam in privatis Oratoriis (ùt inquit Quart.) videtur id etiamnum

fieri

fieri poſſe, quouſque à Papa, vel à Sacra Congregatione aliter deciſum & declaratum fuerit.

Clauſ. X. *Nec non in Hoſpitum tuorum nobilium præſentia.*

197. In hac Clauſula nomine Hoſpitum non comprehenduntur habitantes in eadem civitate, ſed advenæ, ſive aliunde advenientes. Ità cum aliis Diana *p.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 6. apud & cum Quarti *dub.* 12. Gobat *tr.* 5. *caſ.* 16. *n.* 371. Ratio eſt; quia Indultum Oratorii, cùm diſponat contra Jus commune, ſtrictè & non amplè eſt interpretandum. Sive autem talis Hoſpes propria ſponte advenerit, ſive à Domino privilegiato invitatus fuerit, ſive per unum vel plures dies permanſurus, vel ſumptô prandiô mox iterum abiturus ſit, ſive qui tantùm ideo ſe ipſum invitat ad prandium, ut habeat jus audiendi illic Sacrum (Gobat cit.) perinde eſt; quia revera Hoſpes eſt, & Clauſula abſolutè loquitur. Porrò, ùt notat Tambur. *n.* 32. ubi in Brevi conceſſionis habetur dicta Clauſula, *Nec non in Hoſpitum tuorum &c.* conceditur privilegium audiendi Miſſam, & ſatisfaciendi præ-

præcepto diei Feſtivi, tum ipſi Hoſpiti nobili, tum ejus famulis ipſum fortè comitantibus, idque ob regulam connexorum, & ob extenſionem privilegii favorabilis: non enim eſſet ampliùs favor, ſi Dominus ob audiendam Miſſam à famulis eſſet deſerendus. Ità ille; qui mox etiam ſubjungit, *Hoſpites nobiles* hoc loco (niſi ſecus expreſſum habeatur) non neceſſariò debere ex genere nobili procreatos exiſtere. Vid. tamen dicta *ſuprà num.* 180. ℣. *Dictum eſt autem.*

Clauſ. XI. *Volumus autem, ut familiares ſervitiis tuis non neceſſarii, ibidem Miſſæ intereſſentes non liberentur ab obligatione præcepti.*

198. Per hanc Clauſulam declarantur illi, quibus non ſuffragatur hoc privilegium quoad ſatisfaciendum præcepto audiendi Sacrum. Sunt autem per *familiares non neceſſarios* intelligendi illi, qui neque ſimpliciter, neque ſecundùm quid ſunt neceſſarii; id eſt, qui nulli uſui deſerviunt, neque quoad ſervitium perſonarum, neque

que quoad decentiam ſtatûs, ſed ſunt ſuperflui, & nomine tantùm ſunt familiares. Ita Quart. *dub.* 13. Petes autem, an prædicti, qui verè non ſunt de familia, & alii extranei, ſi ſaltem bona fide in privato Oratorio Miſſam audiant die Feſto, teneantur ſub peccato mortali aliam audire in publica Eccleſia admoniti de hac prohibitione, & an verè in his domeſticis Oratoriis non ſatisfiat præcepto audiendi Sacrum ab iis, qui non comprehenduntur in Privilegio, ſeu Indulto? ℞. non ſatisfieri. Ità Marchin. Garzias, Bonac. Riccius, Molſeſ. & alii, quos affert & ſequitur Diana apud & cum Quarti. cit. Tambur. *num.* 34. *&* 36. Aman *num.* 713. ubi hic ità ſcribit: Illorum ſententia, quæ univerſaliter docet, ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam, ſi illa audiatur in quocunque loco, atque etiam quoſcunque extraneos familiæ illud adimplere, ſi in privato Oratorio alicujus Domini Sacrificio interſint, parùm, vel nihil probabilitatis habet. Ratio eſt: tum, quia alii à Pontifice clarè & expreſsè excluduntur, & hoc ipſo Oratorium ineptum redditur pro ſatisfactione præcepti de audienda Miſſa, ùt Tambur. loquitur: tum, quia nunquam introducta eſt conſuetudo audiendi Miſſam de præcepto in

loco

Digitized by Google

loco à Summo Pontifice prohibito: prohibetur autem per verba Clauſulæ expreſſè auditio Miſſæ in privato & domeſtico Oratorio quoad effectum ſatisfaciendi præcepto; ergo. Accedit, quòd ſententia contraria, ſuſtinens ſimpliciter ſatisfieri præcepto, ſit contra praxin Romanæ Curiæ, & contra mentem Pontificis, ſicut apertè teſtantur Officiales, & Miniſtri Pontificis in hac re, ùt refert Quarti cit. Vid. tamen *infrà num.* 200.

199. Dices, conſuetudinem jam obtinuiſſe, ut Miſſa de præcepto audiri poſſit extra Parochiam, & in quocunque loco, etiam extra Eccleſiam. ℟. Poſſe quidem audiri Miſſam in quocunque loco, & ejus præcepto ſatisfieri, modò non excludatur aliquis locus peculiaris, & hoc ipſo reddatur ineptus ad hunc effectum, ùt in noſtro caſu. Inſtabis, Clauſulam prædictam, *Volumus autem &c.* ſolùm poni ex ſtylo Curiæ ob ritum antiquum, quo tenebantur fideles audire Miſſam de præcepto in propria Parochia; ergo. ℟. negandô Antecedens: ſiquidem, ùt ait Aman cit. verba Bullæ, uti & Legum, cum effectu debent intelligi; cùm nulla dictio debeat vacare in Lege, alioquin fruſtra membranam occupat, Gloſſa in *cap. Solitæ. de Maj. & Obed.*

Y.

℟. *Tanquam.* Sed illa verba, *Volumus autem &c.* vel, *Alii præter familiares, non ſunt liberi à præcepto Miſſam die feſtivo audiendi in Eccleſia*, ponerentur fruſtra, & ſinè effectu, ſi relata, ſeu contraria ſententia eſſet probabilis; ergo. Ex his

200. Infertur 1.*mò*, non ſatisfieri *de per ſe* præcepto audiendi Miſſam in caſu poſito, etiam ſi quis de licentia Parochi (quæ in hujusmodi caſu nihil valet) id faceret, vel aliàs bona fide; ſed comperto errore teneri fideles non comprehenſos in Indulto, aliam audire Miſſam in loco apto. Ità cum aliis Diana, & dictum eſt *num.* 198. Quia tamen Sporer (quamvis *Tr.* 3. *in III. Præcept. Decal. c.* 4. *ſect.* 1. *n.* 24. hanc ſententiam ùt planè veriorem, & apertis verbis Brevis conformiorem agnoſcat) in fine addit: *Soleo ſuadere in praxi, nolentes tamen non urgere*; ſive (ùt Kreſslinger mox infrà citandus, & non contradicens *Addit. VIII.* explicat) P. Sporerus, etſi extraneis, per Breve Pontificium non exceptis ſuadeat in praxi, ut aliam Miſſam audiant; nolentes tamen non adigit: ideo poterit hæc opinio (ex benigna Legis, vel Legislatoris interpretatione) in praxi ſervire pro iis, qui bona fide Miſſam in Oratorio privato audierunt non privilegiati.

rati tamen, ſe tali Miſſæ auditione ſatisfeciſſe obligationi. Secus eſt de iis, qui jam de invaliditate admoniti, vel aliàs mala fide hoc fecerunt; hi enim non poſſunt de benignitate Legis vel legislatoris præſumere, nec mala fides eiſdem ſuffragatur.

Infertur 2.*dò*, illum, qui nequit audire Miſſam die Feſtivo, vel Dominico, niſi in Oratorio privato, non teneri illam ibi audire, quando non comprehenditur ſub Clauſula conceſſionis; quia reſpectu illius eſt locus ineptus, & perinde eſt, ac ſi non eſſet. Secus eſt dicendum de Oratoriis erectis intrà Monaſteria vel Conventus Regularium; quia non ſunt Oratoria domus privatæ, & ideo poteſt ſatisfieri præcepto. Vid. ſuprà *num.* 175. Denique certô certiùs ſatisfacit obligationi die feſto audiendi Miſſam qualiſcunque ille, qui Sacerdoti in tali Oratorio, vel in Camera ægroti de Epiſcopi licentia Celebranti miniſtrat ad aram, vel in aſſiſtentia infirmi eſt occupatus, ùt ſuadet communis praxis. Aman *num.* 713. Et hæc de loco, in quo celebrandum dicta ſufficiant. Alia, & pulchra *de Oratoriis*, & de modo eadem petendi, ſeu impetrandi, videantur apud Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *Append.* I.

Addit.

Addit. 7. *& ſeqq.* qui etiam *Addit.* I. ſic habet: Emergente ſubinde dubio, an hoc, vel illud Oratorium ſit publicum legitima authoritate erectum, nec ne, recurrendum eſt ad præſumptiones; & ſi fuerit illud ædificatum in modum alicujus Eccleſiæ, ſi extet ibidem Altare, & campanile, ſi ad Miſſam perſonæ, nullo facto diſcrimine admittantur, erit præſumendum publicum, legitima authoritate erectum, juxta Abbat. Maſcard. Pignatell. & Clericat. teſte Franc. Schmier *lib.* 3. *Jurisprudent. tr.* I. *p.* 2. *c.* 2. *ſect.* 3. *n.* 96. Hæc ille.

II. Vel in Altari non conſecrato. *Rubrica.*

101. Cùm SS. Miſſæ Sacrificium non niſi in Altari licitè offerri valeat, bene inſpicienda, & obſervanda eſt Rubrica Miſſalis, quæ *p.* I. *tit.* 20. ſic habet: *Altare, in quo SS. Miſſæ Sacrificium celebrandum eſt, debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum: vel ſaltem ara lapidea, ſimiliter ab Epiſcopo conſecrata, in eo inſerta, quæ tam ampla ſit, ut Hoſtiam & majorem partem Calicis capiat.* Ità Rubrica. Quoniam verò ex hac Rubrica varia dubia oriri poſſint, ea in ſequentibus Reſponſionibus reſolventur. Priùs tamen ſupponitur, duplex eſſe Altare, utì explicat Abb. in *cap.* I. *de Conſecrat. Eccleſ.* apud Layman *l.* 5. *tr.* 5.

c. 6. n. 3. unum mobile ſeu portatile, quod etiam viaticum dicitur; alterum verò fixum ac ſtabile, quod alicui loco, ſeu baſi alióve modô affixum eſt. Inter hæc duo diſcrimen eſt hoc, quòd Altare mobile ſeu portatile conſecrationem non amittat, tametſi à ligno, cui incluſum eſt, ſeparetur, niſi in ligno ſigillum ſeu loculus Reliquiarum incluſus ſit; tunc per amotionem ligni à lapide videtur execrari Altare portatile. At verò Altare fixum conſecrationem amittit, ſi lapis ſeu menſa conſecrata à ſtipite ſeu inferiori ſtructura removeatur. Laym. *ibid.* cum aliis à ſe citt. Hoc tamen intelligendum eſt (inquit Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *n.* 375.) quando Altare conſecratum eſt una cum illo ſtipite, eóque lapideo & ſtabiliter conjuncto v. g. per cæmentum &c. de quo poſt alios latè Gobat *Theſau. Indulg. p.* 2. *n.* 537. Accedit Decretum Sac. Rit. Congr. 21. *Junii,* 1710. apud Merati in *Indic. Decretor. num.* 633. quod ſic habet: *Quando Altare fuit conſecratum ad modum Altaris fixi cum ſacris ſigillis, & unctionibus inter ſtipitem & Altare, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, à ſuo ſtipite, tunc execratur Altare. Si verò fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non*

exe-

execratur in quavis remotione, ſed tantùm, quando frangitur Sepulchrum Reliquiarum. H. N.

202. ℟. Ad offerendum Miſſæ Sacrificium neceſſariò requiritur Altare lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum, ſive ſit portatile, ſive fixum. Ità Rubr. cit. ex Decreto S. Sylveſtri Pap. ùt habetur *Lect.* 6. *Feſti. Dedic. S. Salvat.* 9. *Nov.* Et quidem (loquendô de *Portatili*) debet hoc eſſe totum lapideum & conſtare ex unico ſimplici lapide: quamvis lignô undique circumdari ad faciliorem conſervationem, vel ad ornatum poſſit, modò tamen lapis incluſus ſit tantus, ùt majorem partem Calicis & Hoſtiam capiat, ùt ex Rubrica patet. Loquendô autem de *Altari fixo*, non eſt neceſſe, ut totum lapideum ſit, ſed poteſt eſſe vel ex ligno, vel ex opere lateritio, vel ex gypſo admixtô cæmento, vel (quoad menſam, ſeu partem ſuperiorem tantùm) ex uno lapide duro; dummodo in prioribus tribus caſibus habeat inſertam in medio aram lapideam, ex uno ſimplici lapide formatam, & ab Epiſcopo conſecratam. Laym. cit. qui *num.* 5. addit: Si ad menſam conſecratam novi lapidis additio fiat, ità Altare conſtruendum eſt, ut Calix & Patena non in additamento, ſed in veteri lapide conſiſtat. Dictum eſt

autem, *ex unico ſimplici lapide;* quia nunquam licet uti arâ in Altari fixo incluſâ, vel Altarî portatilî, quæ conſtat ex duobus lapidibus inſertis, etiamſi pro majori commoditate ſint in duabus tabellis ligneis ità invicem colligatis, ut inſtar libri claudi & aperiri valeant. Ratio eſt: quia non eſſet unus lapis, unam Chriſti perſonam ſignificans. Sylv. Vaſq. Fagund. &c. apud Quarti *p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 1. Quòdſi tamen menſa, ſive ſuperior Altaris pars conſtet tribûs lapidibûs coadunatîs, ſola media pro ara reputari debet.

203. Quæres autem, quid ſentiendum, ſi cornua aræ frangantur (idem intellige de Altari portatili) aut ſi ipſa ara frangatur? ℞. ad *primum:* Si cornua Altaris fracta ſunt, in quibus unctio fieri ſolet, Altare non amittit conſecrationem. Ità Laym. cit. *num.* 5. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 5. *ſſ.* 1. *n.* 14. dicens: Nec violabitur, ſi aræ cornua, quæ Sacro Chriſmate in ejus conſecratione inunguntur, etiam omnia frangantur, modò pars reſtans ſufficiat ad ſuſtentandum Calicem & Patenam. Ratio eſt: quia contrarium nullo jure fundatum eſt; & licèt unctio in cornibus fiat, tota tamen menſa conſecrata cenſetur: ideóque, dum quantitatis ſuæ formam retinet

(quæ

Digitized by Google

(quæ eſt, ut ad Sacrificium, capiendô Calicem cum Patena, idonea maneat) conſecrationem amiſiſſe cenſeri non debet: præſertim dum execratio in caſu dubio præſumi non debeat, neque conſecratio iteranda. ℟. ad 2.*dum:* Altare tam mobile, quàm fixum generaliter conſecrationem amittit, quando ità frangitur, ut nec maneat ulla pars integra ſufficiens ad (moraliter loquendô) recipiendum Calicem & Hoſtiam ſecundùm majorem ſui partem: ſecus, ſi ſupra fragmentum poſſit adhuc ſtare Calix & Hoſtia, eſto, quòd ad cavendum periculum evertendi Calicem, illi fragmento addatur alia materia. Sporer cit. Laym. cit. Tambur. *n.* 12. Quare(pergit Layman) nota hoc loco ex Suarez, quòd hæc cenſenda ſit forma quantitatis ad retinendã conſecrationem ſufficiens, ſi capere poſſit Patenam cum Calice: igitur, etiamſi in aliis fractura ſit, vel nova additio, aut detractio lapideæ menſæ fiat, non amittitur conſecratio. Quòdſi fractura in Altari quidem, dubium autem ſit, an ſit notabilis, ad Epiſcopum pertinet, ut inſpiciat & judicet, num ea notabilis exiſtat, & faciliùs quidem cenſebitur Altare execratum, ſi fractura per medium menſæ tranſeat, qua parte Calix, & Patena ponitur.

Digitized by Google

204. Sed quid, ſi Altare portatile frangatur, etiam in tres, quatuor, plures partes? ℞. det Tambur. *n.* 16. non amittere conſecrationem; dummodo hæ partes capiant Patenam & Calicem; ſive, ùt clariùs loquitur Sporer cit. *num.* 376. Si partes duæ, tres, quatuor &c. fracti portatilis ſingulæ ſint capaces Calicis & Patenæ, poſſent ſingulæ legitimè uſurpari, eò quòd illæ non amittant conſecrationem per fractionem. De hac ſententia inquit idem Sporer *ibid.* eam ſervire poſſe pro caſu neceſſitatis, citra hanc autem non videri recedendum à communi ſenſu & praxi bonorum. Cæterùm notandum eſt, quod idem *ibid.* habet, dicens: Certum videtur, Altare tam fixum, quàm portatile amittere conſecrationem, quoties frangitur, vel amovetur ſigillum ſepulchri, ut proinde ex communi ſenſu DD. & praxi non liceat in eo ampliùs celebrare. Audi tamen Gobat *n.* 276. Non damnarem peccati, qui pergeret facere ibidem Sacrum ſinè nova conſecratione; quia nullo jure univerſali ſatis probatur neceſſitas imponendi Reliquias Altaribus, eámque neceſſitatem negant plures DD. ab eo relati, & ſaltem Altaribus mobilibus negant etiam Durandus, Vaſq. Tambur. Hæc Sporer.

Sed

Digitized by Google

Sed vid. Decretum S. R. C. *num.* 201. relatum. Nota autem ex Gav. & Gerlac. *p.* 2. *tr.* 4. §. 3. quòd, ubi non ſunt Reliquiæ Sanctorum (ex diſpenſatione Apoſtolica) omitti debeant verba, *Quorum Reliquiæ hìc ſunt*, eóque caſu oſculum Altaris fieri debeat ad verba, *indulgere digneris*.

III. Vel tribûs mappîs non cooperto.
Rubrica.

205. De ornatu Altaris Rubrica *p.* 1. *tit.* 20. ſic ait; *Altare operiatur tribûs mappîs, ſeu tobaleîs mundîs, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictîs, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat; duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ.* Ex hac Rubrica varia iterum dubia occurrunt, quæ tamen ſequentibûs Reſponſionibûs diſſolvuntur. Quare ℟. 1. Certum eſſe, ad uſum Sacrificii requiri Tobaleas cooperientes menſam Altaris, ex *c. Altaris Palla.* & *c. Nemo per ignorantiam. de Conſecr. diſt.* 1. Unde conſtat hunc Altaris ornatum cadere ſub præcepto gravi, nec poſſe omnes Tobaleas omitti ſinè peccato mortali. Quarti *p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. Utrùm autem debeant eſſe benedictæ ex præcepto obligante ſub peccato mortali, ℟. ex communi DD. ſententia, decens omninò quidem eſſe, ut ſint

benedictæ, hoc tamen non cadere ſub præcepto: quia Rubricæ in hac parte ſunt directivæ, & aliunde non conſtat de præcepto; nihil enim jure ſancitum eſt de hujusmodi Benedictione. Ità Suarez. Vaſq. Laym. Sylveſt. ℣. *Benedictio.* *q.* 5. & communis apud Quarti cit. ℣. *Tertia Difficult.* Tambur. *l.* 1. *de Sacrif. c.* 5. *ſ.* 2. *n.* 2.

206. Porrò, recepto jam more prima mappa immediatè Altare contingens (chryſmale dicta) eſt brevior: ſecunda (Tobalea dicta) oblonga usque ad terram: tertia (Subſtratorium) adhuc brevior. Quamvìs autem vi verborum Rubricæ requirantur tres mappæ, vel ſaltem una ſimplex, & alia duplicata; nihilominus, ùt ait Sporer cit. *num.* 378. hac ætate ſufficiunt (præter Corporale) duæ ſimplices, vel una duplicata, ſcilicet ad repræſentanda linteamina, quibus Corpus Chriſti fuit involutum, eſto non tegat totum Altare: & graves DD. docent, & uſus ſuffragatur. Henriq. Suarez, Laym. Bonac. Tambur. cit. *num.* 1. *&c.* quam ſententiam etſi Gavant. & alii quidam dicant, non eſſe tutam in conſcientia, tutam tamen facit uſus, & authoritas, teſte Sporer. Imò etiam in neceſſitate, præter Corporale, ſufficere unam mappam ſimplicem, non bene-

benedictam, eámque peractô Sacrificiô, mox ad ſuos profanos uſus, e. g. ad menſam ſternendam adhiberi poſſe, communis ferè eſt ſententia DD. Sylveſt. Azor. Suarez, Tanner. alii cum Laym. Ratio ſufficiens eſt, quòd nullum adſerri poſſit præceptum tam rigorosè obligans ad mappas benedicendas. Nec obſtat prohibitio *c. Ligna. de Conſecr. diſt.* 1. quia ibi eſt ſermo de rebus ſacris, ſeu benedictis, & ſimpliciter deſtinatis ad uſum ſacrum; ſecus eſt, quando aliqua mappa profana in neceſſitate locò Tobaleæ per accidens, & ſemel adhibetur ad uſum Sacrum. Quarti cit.

207. Petes autem, quanam ex materia prædictæ mappæ contextæ eſſe debeant? ℞. tutius quidem & conſultius eſſe, ut quoad fieri poteſt, conficiantur ex lino; nihilominus certum eſſe videtur, poſſe fieri ex tenui cannabe. Ità Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 28. citans Tabien. & Armill. Reginald. Bonac. Gav. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 5. *§.* 3. *n.* 3. ubi ſic ait: Poſſe Corporalia, Pallas, Purificatoria, Amictus, Albas & Mappas ex cannabe tenui legitimè fieri, certum mihi eſt; ſiquidem telæ ex cannabe cenſentur, in humana acceptione, & uſu, lineæ; & eſto, quòd ſpecie phyſica inter ſe differant linum & cannabis, attamen

(inquit Quarti) non differunt ſpecie morali in hominum acceptione, vel uſu interiorum veſtium, vel etiam ad ſtruendas menſas, & ſimiles uſus.

208. Pergit Rubrica: Altare *palliô* (vulgò, Antependiô) *ornetur coloris, quoad fieri poteſt, diei Feſtô, vel Officio convenientis. Super Altare collocetur Crux in medio.* p. 1. tit. 20. De hac diſpoſitione in Rubric. *de Defect. tit.* 10. *n.* 1. nihil quidem habetur; quia tamen & hæc ad Altaris ornatum pertinent, de his quoque hoc loco aliqua dicenda ſunt. Eſt autem de pallio ſeu antependio Altaris notandum *primò*, quòd non ſit benedicendum. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 20. *Annot. ſ.* 9. Neque neceſſariò debet in medio ſui habere Crucem, quamvis conveniens ſit, ut eam habeat. Arnaud. *p.* 1. *tit.* 20. *n.* 6. *Secundò*, ob paupertatem, vel neceſſitatem poteſt tolerari antependium factum ex aſſeribus, maximè pictis, aut alia communi materia. *Tertiò*, ſi pars Altaris anterior, ſeu frons Altaris ſit ornatus lapidibûs pretioſîs, vel picturâ, vel ſimili modô, nullum erit peccatum, in eo Altari Sacrum facere ſinè pallio, ſeu antependio; quia hoc ſolùm ob decentiam, non autem ex præcepto Eccleſiaſtico in Altari eſt adhibendum; & Rubrica de hoc eſt ſecundùm ſe directi-

va

va tantùm. Quarti cit. *dub.* 9. *Quartò*, quia (ùt inquit idem *p.* 1. *tit.* 18. *dub.* 2.) color aureus eſt æquivalens omnibus coloribus; & Paramenta ex auro intexta poſſunt adhiberi in quolibet Feſto; idem omnino de antependio aurei coloris tenendum eſt. Addit tamen in fine *ibid.* non videri abſolutè ſubſtituendum colorem aureum pro violaceo, & nigro in diebus jejuniorum & afflictionis, eò quòd ille, ſive color aureus verè feſtivus ſit. Unde Cajet. Merati *p.* 1. *tit.* 18. *Obſervat.* I. poſt Quarti & Gerlac. ait, colorem aureum (exceptîs violaceô & nigrô) cæteris coloribus æquivalere, eóque pro rubeo, albo & viridi nos uti poſſe, etiam in communi uſu. Quod idem (juxta Gerlac. *p.* 1. *tit.* 18. §. 8.) de colore flavo, ſeu (juxta la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 340.) de colore croceo intellige. Ornamentum tamen aliquod ex auro decentiſſimè omnibus Paramentis ſuperimponi, & ipſa Paramenta aurô intertextô ornari poſſe, extra dubium eſt, & ex communi uſu patet. *Quintò*, notandum eſt, quod docet Caſtald. *l.* 2. *ſect.* 6. *c.* 4. *n.* 6. dicens: In omnibus Miſſis Votivis Celebrantis Paramenta erunt convenientia Miſſis, quæ dicuntur juxta deſignationem factam in Miſſali Romano *p.* 1. *tit.* 18. Altaris verò Paramenta (putà

An-

Digitized by Google

Antependium, & cuſſinus) erunt convenientia Officio, quod celebratur (ſubintellige, quod celebratur in illa Eccleſia, ubi tunc Miſſam Votivam quis celebrat) niſi fortè Miſſa Votiva ſit pro re gravi, & publica Eccleſiæ cauſa, eaque ſolemniter celebretur ; nam tunc etiam Altaris Paramenta cum Miſſa convenire debent. Idem habet Gerlac. cit. *tit.* 18. *Annot.* §. 1. Quod autem dictum eſt de Miſſis Votivis, obſervandum quoque eſt in Miſſis *de Requiem* ; unde in hiſce privatis nunquam ornatur Altare antependiô nigrô, neque in Altaribus privilegiatis, neque in Conductibus, ſeu defunctorum Exequiis, neque infra Octavam Omnium fidelium defunctorum, niſi de Privilegio aliter conſtet. Secus eſt in Miſſis *de Requiem ſolemnibus* ; item, in Miſſis Exequiarum pro die Depoſitionis, Septimo, Trigeſimo, atque etiam Anniverſario, etiamſi ſinè cantu celebrentur ; hoc autem de Miſſa defunctorum, principali tantùm horum dierum, non item de aliis intellige.

209. De Cruce, vi Rubricæ, in Altari collocanda cape ſequentia. *Primò:* Rubrica de hac Cruce eſt directiva, non verò ex præcepto, & ſub peccato mortali, ſed ad ſummum ſub veniali. Quarti cit. *tit.* 20.

dub.

dub. 10. Sporer quidem cit. *n.* 386. dicit, celebrantem ſine Cruce & Crucifixo per ſe loquendô, ſecluſo contemptu vel ſcandalo, non peccare plùs, quàm venialiter; ſed Vaſquez tenet, nec ſub veniali (citra contemptum, vel ſcandalum) Crucem eſſe de præcepto; quamvis Sporer ſubjungat: credo cum Gobat *n.* 296. eſſe verum, quando caſu Crux abeſt, nec facilè haberi poſſit; tunc enim ſatius erit facere Sacrum, etiam ex ſola devotione, quàm illud omittere ob defectum Crucis, ut rectè Fagund. *de Præcept. Eccleſ. Præcepto* 1. *l.* 3. *c.* 21. Quidquid autem ſit; ſi Rubrica hæc directiva duntaxat eſt, de ſe patet, quòd ſub peccato non obliget, ſecluſo contemptu, vel ſcandalo; quamvis ob periculum ſcandali in populo, omnino ſemper, quoad fieri poteſt, adhibenda ſit. Dices, hæc contradicere dictis in *Ritu Exacto fol.* 11. *in fine.* ℟. negandô illatum; quia ibi eſt ſermo de Cruce, etiam coram Venerabili expoſito adhibenda, idque ex Decreto S. R. Congreg. Quia verò hoc Decretum ſolummodo extendit Crucem ponendam in Altari etiam coram Venerabili expoſito, non videtur majorem obligationem inferre, quàm ex ipſa Rubrica habet. Cæterùm

notes,

notes, velim, non omnia errata in *Ritu Exacto* notata culpam moralem indigitare.

210. *Secundò*: Sunt quidem, qui putant, ſufficere Crucem nudam ſine Imagine Crucifixi; quia Rubrica Miſſalis dicit, *Super Altare collocetur Crux*, ſinè addito, *cum Imagine Crucifixi*; ſed non eſt recedendum à ſententia Gavanti *p.* 1. *tit.* 20. *lit.* *U.* Arnaud. *eod. tit. n.* 7. Caſtald. *l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 1. *n.* 19. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 20. §. 11. Ratio eſt; quia Cæremoniale Epiſcoporum (quod eſt vera Rubrica, nedum pro Epiſcopis, ſed etiam pro aliis, ùt illud legenti patet) *lib.* 1. *c.* 12. monet, ut in Altari collocetur Crux cum Imagine Crucifixi. Et eſto, quod Rubrica Miſſalis nihil habeat de Imagine Crucifixi, habet tamen hoc Cæremoniale Epiſcoporum, & ità una Rubrica explicat alteram; imò & Rubrica Miſſalis ipſa ſe explicat, dum *p.* 2. *tit.* 2. *n.* 2. ſic ait: *Cùm* (Sacerdos) *pervenerit ad Altare, ſtans ante illius infimum gradum, caput detegit, ––– & Altari, ſeu Imagini Crucifixi deſuper poſitæ profundè inclinat.* Et hujuſmodi Crux in Altari ponenda eſt, ſive in Tabernaculo clauſum exiſtat SS. Sacramentum, ſive non; imò (ex Decreto S. R. C. 14. *Maii*, 1707.) etiam coram SS. Sacramento expoſito, in Altari collocanda eſt. Cæterùm contra-

riæ

riæ ſententiæ hoc tandem datur, quòd nuda Crux tunc in Altari collocari poſſit, ſi alia cum Imagine Crucifixi commodè haberi nequeat.

211. *Tertiò*: Utrùm in Altari dedicato SS.mo Crucifixo (cujus Icon, vel Statua, aut Tabula picta eſt Imago Crucifixi) pro Sacrificio collocari debeat altera Crux inter candelabra, duplex eſt ſententia. Prima eſt negativa; quia, ùt ait Quarti cit. ſatìs ſupérque obtinetur finis intentus à Rubrica per Iconem, vel Imaginem Crucifixi, ſi ſit in proſpectu, & ob oculos Sacerdotis. Id autem, quod dicitur in Rubrica de collocanda Cruce inter candelabra, intelligendum eſt *regulariter*, quando Icon Altaris non eſt Tabula, ſeu Statua Crucifixi. Altera ſententia eſt affirmativa. Gavant. Gerlac. citt. Ratio eſt: quia Rubrica abſque ulla limitatione inter candelabra Crucem præſcribit generaliter; quia ob oculos Sacerdotis ea debet eſſe, tum ad orandùm, tum ad eam incenſandam, tum ob myſterium ex Innocentio III. *l.* 2. *c.* 21. qui dicit, collocari Crucem in medio candelabrorum, quæ ſaltem ſunt duo: quia Chriſtus per Crucem fecit utraque unum. Sed audiamus Decretum Sac. Rit, Congreg. 16. *Junii*, 1663. quod apud

Me-

Merati in *Indic. Decretor. num.* 400. ſic ſonat: *Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum SS. Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. Et in Altari, in quo adeſt magna Statua SS. Crucifixi, non eſt neceſſe, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Miſſa.* Ex quo patet, laudabiliter facere illos, qui e. g. in Comprecatione XL. horarum, in Altaris magnificè exornati ſublimitate collocant Crucem grandioris formæ cum argentea Imagine Crucifixi, & aliam parvam inter candelabra ob oculos Sacerdotis; illa enim eſt ad ornatum, hæc autem de Rubrica. Porrò, ſi Imago Crucifixi ſive ſculpta, ſive depicta, ſit affixa oſtiolo Tabernaculi, ſufficit.

IV. Si non adſint luminaria cerea. *Rubrica.*

212. De luminaribus Rubrica *p.* 1. *tit.* 20. præſcribit ſic: Super Altare collocentur *candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis hinc & inde in utroque ejus latere. —— & à parte Epiſtolæ paretur Cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus.* Quòd tempore Sacrificii lumen in Altari ex gravi præcepto neceſſarium ſit, conſtat ex *cap. ult.*

de

Digitized by Google

de Celebrat. Miſſ. & docent Palud. Durand. Soto, Sylv. Navar. & alii communiter, adeò, ut ſinè omni lumine celebrantem omnes peccati mortalis damnent, teſte Suarez, *diſp.* 81. *ſect.* 6. ℣. *Tertiò.* Imò, ſinè ullo prorſus lumine nunquam licitum eſſe celebrare, nec etiam ad communicandum moribundum, docet Quarti citans Henriq. Bellarm. Fagund. de Lugo, Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 5. *§.* 4. *num.* 1. qui ultimus citans Fagundez, addit, dicens: ſi extinguatur (ſubintellige utrumque lumen) ante Conſecrationem ſinè ſpe reaccendendi, Miſſam dicere, vel proſequi, etiamſi neceſſaria foret ad dandum infirmo Viaticum, nemini licet; & conſequenter Sacrum abrumpendum foret, ùt addit Sporer; qui etiam mox ſubjungit: Hunc rigorem (Tamburini) ego cum Gobat libenter negarem, ſi Tamburino alium Authorem Claſſicum opponere haberem.

213. Porrò, dicit quidem Rubrica; *Candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis;* atque hoc, ùt inquit Quarti cit. ad majorem decentiam, & ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ ex Doctoribus obligat ſub peccato veniali; nihilominus (ſeclusò ſcandalò) cum unico lumine ex cera licitum eſt celebrare in caſu neceſſitatis, ità, ut nec veniale pec-

catum committatur, etiamſi neceſſitas ſolùm in eo conſiſtat, quòd non poſſit haberi aliud lumen, licèt Sacerdos ex ſola devotione celebrare velit. Idem *ibid.* Sporer cit. qui *num.* 382. ſic ſcribit : In neceſſitate ſufficere unam candelam ex cera, aut lucernam ex oleo (ùt vidi fieri etiam apud bonos Religioſos) conſentiunt DD. Inſuper, ùt ait Tambur. *l.* 1. *de ſacrif. c.* 5. §. 4. *n.* 2. plures DD. conſentiunt, citra ſcandalum, & in caſu neceſſitatis poſſe ardere lumen in adipe, vel ſevo, ſeu etiam in lucerna olei, maximè ſi candelæ ſebaceæ ſic decenter confectæ ſunt, ut candelis cereis ſimiles appareant. Unde etiam Layman. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 17. ait ; licèt communi Eccleſiarum conſuetudine receptum ſit, ut lumen ſit geminum, & in cera : ob cauſam tamen, etiam non valde gravem, celebrari poſſe cum uno cereo, vel igne ardente in oleo, aut ſevo, modò ſcandalum abſit. Ità Azor. *to.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 15. Cæterùm, Rubrica de Cereo ad elevationem Sacramenti accendendo, non eſt de præcepto, ideóque non obligat ſub peccato, Tambur. cit. *n.* 4. Sporer cit. *n.* 384. inquiens : Nos nullam culpam agnoſcimus, accenſionem peculiaris candelæ pro tempore

pore

porè Conſecrationis paſſim omittentes, licèt ideo etiam non multùm laudabiles.

V. Si non ſit tempus debitum celebrandi, quod eſt ab aurora usque ad meridiem, communiter. *Rubrica.*

214. Fuerunt equidem plures, & graves DD. qui docuerunt, eſſe licitum celebrare usque ad horam nonam, id eſt, tertiam poſt meridiem; quia eâ horâ Chriſtus Dominus in Cruce expiravit, & conſummatum fuit Sacrificium Crucis, quod in Miſſa repræſentatur. Quia verò hæc doctrina poſt Tridentinum locum ampliùs non habet, de ſequentibus conformiter Rubricæ agemus. Unde

215. Quæritur, an licitum ſit, ante auroram, & poſt meridiem Miſſam celebrare? ℞. det Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 1. *&* 3. Jure communi non eſſe licitum ſacrificare ante auroram, nec poſt meridiem. Ità quoad primam partem S. Thomas *q.* 83. *ar.* 2. & DD. omnes. Secunda pars eſt communis doctrina fundata in conſuetudine Eccleſiæ, & approbata in Regula Miſſalis, & à Pio V. Conſtit. II. quæ incipit: *Sanctiſſimus.* Hæc ille. Rationes vid. *ibid.* Dictum eſt autem, *ante auroram*; ubi ſciendum eſt, quòd per auroram non intelli-

gatur ortus ſolis, ſed prima ſolis irradiatio, quando nempe aliquid lucis apparet. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 9. *n.* 105. ſive, ùt Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 5. *n.* 445. loquitur, per *auroram* omnium ſenſu intelligitur primum diei crepuſculum, ſeu articulus ille temporis, quo primum apparet in cælo veſtigium adventantis diei. Quando autem aurora ante ſolis ortum inchoët, DD. non conveniunt. Reiffenſt. cit. ſic habet: Licèt crepuſculum hoc non ſemper & ubique locorum ſit æquale, ordinariè tamen ſolet incipere horâ & quadrante, vel ſeſqui horâ ante ortum ſolis. Idem docent Suarez *diſp.* 80. *ſect.* 4. ✝. *Secundò inquiri poteſt.* & alii communiùs & probabiliùs; quamvìs, ùt cum DD. notat Reiffenſt. *n.* 106. hæc res moraliter potiùs, quàm mathematicè ſit conſideranda. Quare

216. Dicendum eſt, univerſim licere Miſſam inchoare duabûs horîs ante ortum ſolis: ſic enim adhuc ad initium auroræ finietur. Ità Rodriq. noſter, alii cum Suarez cit. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 2. Reiffenſt. Et hoc pro omnibus, eſtque (ùt inquit Suarez) in praxi ſervandum. Aliter dicendum eſt de Regularibus Mendicantibus; his enim ex Privilegio Summ. Pontif. Martini V. Sixti IV. & Innocentii VIII.

con-

conceſſa eſt facultas celebrandi Miſſas ab una hora ante auroram, & conſequenter tribûs horîs ante ortum ſolis, ùt cum aliis rectè infert Suarez cit. Sporer, Reiffenſtuel *n.* 108. Aman *num.* 671. Et hunc favorem Gregor. XIII. reſtauravit poſt Tridentinum annô 1578. pro Patribus S. J. & 1582. pro Caſſinenſibus, in quo Privilegio etiam communicant Mendicantes. Item, valet conſuetudo ex rationabili cauſa introducta, juxta quam in Gallia, Belgio, & Germania tempore hyberno tribûs, vel quatuor horîs ante ſolis ortum celebratur, eo præſertim tempore, quo communiter homines ſeſe labori ſuo manuali ſolent accingere. Siquidem hæc conſuetudo juſta de cauſa eſt introducta, ut in his Regionibus ſeptentrionalibus, quibus in hyeme ſol ſerò oritur, operarii & famuli priùs Miſſæ Sacrificium audire poſſint, quàm ad ſuas operationes ſeſe accingant. Ità Navar. Laym. cit. *n.* 3. Reiffenſt. Coninch &c. Item excipitur caſus neceſſitatis, ut morituro detur Viaticum; quo caſu ex benigna Juris interpretatione liceret Sacrificium inchoare etiam ſtatim poſt mediam noctem. Victor. Vaſq. Laym. Caſtropal. Dicaſtil. Sporer *n.* 448. Aman *n.* 671. Ratio eſt: quia hæc conſuetudo Eccleſiæ, qua ſolet inchoa-

ri Miſſa poſt auroram, non videtur obligare cum tanto proximi detrimento. Idem ex benigna Juris interpretatione in caſu particulari dicendum, & admittendum videtur, ut Sacerdos, qui e. g. ob ingruentem paroxiſmum febrilem expectare non poteſt, horâ primâ, vel ſecundâ poſt mediam noctem celebrare poſſit; ſi enim (ùt refert Tambur. cit. *n.* 13. *& ſeq.* ex Portell, & Rodriq. ibi citt.) Leo X. vivæ vocis oraculô abſolute conceſſit, poſſe de licentia Superiorum (quorum conſcientiis, ait, ſe remittere Pontifex) Fratres Minores, & conſequenter participantes cum ipſis, celebrare illico poſt Matutinum, præſertim, quando audienda eſt Miſſa de præcepto, & Fratres veniunt de via; cur in noſtro caſu fieri non poterit? cùm hoc privilegium (utì probat Tambur. *n.* 16.) neque à Tridentino Concilio, neque à Sacra Congregatione quadam ſit revocatum.

217. Notat autem uterque Rodriquez, id intelligi, ità, ut poſſint ij celebrare poſt mediam noctem ante finitum Matutinum: imò etiam non recitatô ab ipſis Matutinô, quia jam probabilis eſt ſententia Soti; non obligare Matutinalem recitationem ante Miſſam. Tambur. *num.* 14. Nota inſuper ly *præſertim*, de qua particula

Por-

Digitized by Google

Portell apud Tambur. *num.* 15. ait, quòd hæc non excludat alios caſus; hæc enim, cùm ſit particula implicativa, implicat, ſeu notat idem eſſe in aliis caſibus, licèt in illo, in quem ipſa particula cadit, militet major ratio, ùt cum multis probat Sanchez *de Matrim. d.* 39. *n.* 6. Quare (inquit Tambur. *ibid.*) ſenſus eſt, poſſe Religioſos illos (Fratres Minores) in cæteris caſibus ſtatim poſt mediam noctem celebrare, ſed multò magìs ratione præcepti (Miſſam audiendi) & itineris, ſubintellige, itineris neceſſarii, imò (ùt quidam innuit) etiam voluntarii.

218. Porrò, quamvis (de aliis non privilegiatis loquendô) Laymano cit. *num.* 3. minùs placeat, quòd Henriq. facultatem ante auroram celebrandi Sacerdoti concedat ob aliam honeſtam cauſam, e.g. ut commodè iter ſuum perficiat, quia eſt contra Canonem, & conſuetudinem Eccleſiæ univerſalis, cui conformari plurimùm intereſt; probabile tamen cenſet Caſtropal. *tr.* 22. *d. un. p.* 8. *n.* 13. apud & cum Aman *num.* 671. quòd liceat incipere Miſſam unâ horâ ante auroram, dum populo valde manè inſtituenda eſt peregrinatio, & quidem ob eandem, ùt ſuprà, benignam Juris interpretationem. Porrò,

tempus ordinarium celebrandi Miſſam, absque juſta cauſa unâ horâ prævenire, vel ſubſequi, non videtur eſſe gravis circumſtantia; cùm nec cedat in notabilem irreverentiam Sacramenti, nec ſcandalum pariat. Henno *de Euch. d.* 11. *q.* 9. *concl.* 1. apud & cum Aman *num.* 670. Quòd ſi ob legitimam cauſam fiat, culpâ vacat.

219. Loquendô jam de Rubricæ particula *ad meridiem*, indicat hæc, ordinariè, & absque cauſa non eſſe licitum ſacrificare poſt meridiem, ſive poſt horam diei duodecimam; quamvìs adhuc ſatìs ſit ad evitandam culpam, ſi Miſſa inchoëtur ante meridiem, vel in meridie, licèt poſtea primùm finiatur. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 9. *n.* 107. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 6. *§.* 4. *n.* 19. Docet equidem Navarrus, etiam hodie licitè celebrari poſſe usque ad horam tertiam poſt meridiem, ùt olim licebat, quia nullibi eſt ablata talis facultas, cui ſententiæ favet Sà *V. Miſſa. n.* 27. quatenus, ob iter faciendum, idem concedit. Sed (inquit Tambur. cit.) contradicit communis Theologorum ſententia, conſuetudo à Summo Pontifice approbata, & cenſura Prælatorum, qui facientes punirent, concinitque Tridentinum, dum præcipit, ne Sacerdotes aliîs, quàm debitîs (id eſt, ùt ex-

explicat Laym. cit. *num.* 4. in Eccleſia communiter conſuetîs) horìs celebrent.

220. Dictum eſt autem, *ordinariè*, & *absque juſta cauſa*; quia ex juſta cauſa poteſt Miſſa licitè inchoari etiam poſt meridiem, utputa, ne infirmus ſinè Viatico decedat; in quo caſu (inquit Tambur. *num.* 21.) Sacerdotem quemlibet poſſe unâ integrâ horâ poſtponere à meridie, omnes concedunt. Imò, ad dandum Viaticum poſſe celebrari usque ad tertiam horam poſt meridiem, concedit Vaſq. *de Evchar. d.* 233. *c.* 4. *n.* 41. *in fine*, apud Tambur. cit. non contradicentem. Item, ſi Sacerdos Feſto die, ratione itineris, impeditus fuerit, licebit Miſſæ initium facere unâ horâ poſt meridiem. Henriq. Miranda, Suarez, apud & cum Laym. cit. ajúntque, id conſuetudine obſervari. Item, illud (inquit Tambur. *n.* 20.) cum Vaſq. & aliis planè concedimus, in magna Feſtivitate, abſolutâ tardiùs Concione in Eccleſia manè exhibitâ, vel funere Principis, vel ſolemni ordinatione, vel ſimili, poſſe Miſſas privatas etiam tardiùs, hoc eſt, usque ad horam tertiam poſt meridiem celebrari, ne Miſſâ populus defraudetur. Item, licet Sacerdoti celebrare poſt horam duodecimam, ſi in magno concurſu confiten-

tium multi adhuc reſtarent communicandi ad lucrandas Indulgentias. Reiffenſt. Aman. citt. Item, ob ſupplicationem, vel Proceſſionem poſt meridiem protractam, præſertim ſi adſint die Feſto, qui non audierunt Sacrum.

221. Sed quid de Privilegiis Mendicantium? Tambur. *num.* 24. ſic ſcribit: Conceſſit Eugenius IV. (*apud Bullar. Rodriq. Bulla* 11. *Eug. IV.*) per Bullam Congregationi S. Juſtinæ, & conſequenter aliis participantibus, ut licitè poſſint celebrare in itinere, vel ex cauſa juſta, usque ad Nonam incluſivè: *Hujusmodi Congregationis* (ait Pontifex) *Sacerdotes in itinere conſtituti, aut aliàs ad hoc cauſa ſubſiſtente, ante diem, & uſque ad Nonam incluſivè, ut celebrare valeant, tenore præſentium duximus concedendum.* Quod Privilegium non eſt revocatum à Tridentino. Ità Tambur. Hac igitur conceſſione (utì ex relatis ſupponitur) ſubſiſtente, quæritur 1.*mò*, quidnam per ly *Nonam* intelligendum: 2.*dò*, an ad hoc Privilegio licitè utendum requiratur juſta cauſa?

222. ℞. ad 1.*mum*, Per ly *Nonam* intelligi horam Tertiam poſt meridiem. Unde (ùt inquit Sporer *num.* 449.) poſt Navar. & alios, Diana *p.* 2. *tr.* 24. *reſol.* 34. reſolvit, Religioſos ex ſuis Privilegiis poſſe celebrare ad tres horas poſt meridiem, poſt ter-

tiam

tiam verò minimè. Docet equidem Francolin. Nonam eſſe variam, ſecundùm varia anni tempora, nec eſſe ſemper tribus horis poſt meridiem, ùt aliqui univerſaliter affirmant. Sed, Papa abſolutè loquente, in moralibus non videtur ad puncta Mathematica attendendum, prout *ſuprà num.* 215. *de anticipatione Miſſæ* notatum. Vid. etiam Aman *num.* 671.

223. ℟. ad 2.*dum*, ad utendum hoc Privilegio requiri rationabilem aliquam cauſam; quod etiam Sporer cit. inſinuat, dicens: *Fortè intelligendum eſt ex rationabili cauſa aliqua: alioquin tutiſſimum ſervare Rubricas, & conſuetudinem locorum.* Ratio eſt: quia Papa dicit, *Sacerdotes in itinere conſtituti, aut aliàs ad hoc cauſa ſubſiſtente.* Si autem petis, quænam ſit juſta cauſa? ℟. det Tambur. *num.* 25. ubi ſic ſcribit: Juſtam cauſam judico quodlibet impedimentum, quo quis propter rationem alicujus momenti non poteſt antea Miſſam incipere. Dico *alicujus momenti*; ſiquidem non ſufficit, ſolùm, ut commodiùs celebres: nec ex eo, quòd tardiùs è lecto per ſegnitiem exſurrexeris: nec ut ſtipem, cùm ea non indigeas, lucrari valeas &c. Econtra ſufficiet (præter iter faciendum) infirma valetudo, quò tardiùs cogeris è lecto, vel è tecto exire:

ſtu-

ſtudium neceſſarium ad Concionem, vel ſimile, ſi poſt Miſſam illi ſtudio vacare non poſſis: negotium alicujus momenti, quod differri non poteſt: multitudo Confeſſionum, ſi poſt Miſſam illis ſatisfacere non valeas: imò & Confeſſio incepta, quam ægrè differre pœnitens ferat: & eleemoſyna, quâ ad victum indigeas, & his non abſimilia potiùs morali judiciô, quàm certâ regulâ definienda. Semper ergo præ oculis habendum erit, debere intercedere aliquam neceſſitatem, nec quidem maximam, cùm ſimus in privilegiis, quæ in nullius ſunt præjudicio: nec verò modicam, cùm ſimus in re non levi. Ità ad verbum Tambur.

224. Dices, fore ſcandalum, tam ſerò Miſſam celebrare. ℞. poſſe huic occurri, ſi explicetur, quando opus fuerit, aſtantibus Privilegium: quòdſi, explicatione non obſtante, perſeverabit quis in ſcandalo, ſcandalum erit paſſivum, quod vitare nequaquam obligamur. Cæterùm, ùt notant Laym. *num.* 3. & Tambur. *n.* 21. poteſt Epiſcopus ob juſtam cauſam diſpenſare in caſu particulari, ut unâ integrâ horâ poſt meridiem ſacrificetur, ſicut etiam in cauſa particulari diſpenſare poteſt, ut ante auroram ſacrificare liceat. Idem (quoad celebran-

lebrandum poſt meridiem) poſſunt reſpectu ſuorum ſubditorum Provinciales, & Superiores locales, etiam Provinciali præſente; quia adhuc Superior localis in ſua ordinaria poteſtate perſiſtit. Tamb. cit.

VI. Si Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit. *Rubrica.*

225. Hanc Rubricam non eſſe de præcepto, dictum jam eſt in *Prænot. num.* 7. Unde hoc loco nihil duximus iterandum.

VII. Si omittat aliquid ex veſtibus Sacerdotalibus: ſi veſtes Sacerdotales & mappa non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedictæ. *Rubrica.*

226. Cùm veſtimenta Sacerdotis celebrantis ſint Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Caſula ſeu Planeta, eáque à poteſtatem, vel ſaltem Privilegium (de quo *num.* 231. *& ſeq.*) habente benedicta, hinc certum eſt, teneri Sacerdotes ſub peccato mortali adhibere veſtes ſacras in Actu Sacrificii, id eſt, teneri ſub peccato mortali non niſi cum veſtibus ſacris, iiſque rite benedictis celebrare. Ità colligitur

tur ex *c. Veſtimenta. de Conſecr. diſt.* 1. ex communi Eccleſiæ conſuetudine, & omnium DD. ſenſu. Attamen dari quoad veſtimenta Sacerdotis minora (qualia ſunt Cingulum & Manipulus) parvitatem materiæ omiſſionis, tenet probabilior ſententia plurium DD. etiamſi contingat hujusmodi omiſſio voluntariè, & absque cauſa. Hinc inferunt DD. omiſſionem ſolius Cinguli fore peccatum veniale, & Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *ſect.* 3. *n.* 407. inquit: ſi juxta DD. ſinè Cingulo benedicto celebrare non ſit mortale, ſed veniale tantùm, etiam ſinè omni Cingulo celebrare mortale non erit. Addunt aliqui, etiam omiſſionem ſolius Manipuli fore peccatum veniale ob materiæ levitatem; ſecus, ſi utraque veſtis, id eſt, Cingulum & Manipulus, ſimul omitteretur. Item, Humerale ſeu Amictum non adhibere eſt tantùm veniale in illis, qui non ad caput tegendum, ſed in ſolis humeris ferunt. Paſq. *q.* 810. apud & cum la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 327. Alia videri poterunt in *Ritu Exacto. fol.* 7.

227. At quid, ſi celebraturus invenit duas Stolas ſinè Manipulo, vel duos Manipulos ſinè Stola, nec alterutrum, quod deeſt, acquiri poteſt? ℞. in caſu neceſſitatis (ſcilicet, ne fideles, vel ipſe Sacerdos,

dos,

dos, priventur Sacrô die Feſto, vel ne Sacerdos privetur ſtipendiô ſuſtentationis, quo valde indiget, vel ne moribundus privetur Viaticô) licitum fore, uti Manipulô pro Stola , ſi Manipulus longior ſit, & competenter aptari poſſit; quia eadem eſt omnium veſtium Benedictio : ergo ſaltem in caſu neceſſitatis poteſt una fungi munere alterius, ſi aliqua apta ſit utrique muneri. Ità Diana, Lugo, Averſa, Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n.* 17. Ex quo patet, in ſimili caſu etiam Stolam in formam Manipuli adaptatam locò hujus ſervire poſſe ; quia etiam pro Cingulo deficiente ſervire poteſt, ùt notat Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 3. §. 1. *n.* 2. dicens : Poſſe uſui eſſe (in caſu neceſſitatis) Stolam pro Cingulo, Manipulum longum pro Stola , Stolam pro Manipulo; quia hæc perinde ſe habent , docent aliqui (Sà ℣. *Miſſa. n.* 9. aliíque) probabiliter; nec mirum: Stola enim & Manipulus non ſunt diverſæ veſtes, ſed ſolùm una eſt brevior , alia longior, & Manipulus ad hoc tantùm in medio eſt conſutus, ut Celebrantis brachio firmiùs adhæreat.

228. Porrò, ſi in præfatis caſibus neceſſitatis Sacerdos celebret ſinè Manipulo, vel Cingulo deficiente, omnino non pec-

cat.

Digitized by Google

cat. Imò, ùt ait Quart. cit. ℣. *Dico* 2.*dò*. quia aliqui DD. (Suar. Filliuc.) inter veſtes minores numerant Stolam, non eſt improbabile, ad ſubveniendum infirmo licitum eſſe celebrare ſinè Stola. Item (utì docet la Croix *l.* 6.*p.* 2. *n.* 335.) ſi infirmus eſſet communicandus, & deeſſet alicui Stola vel Alba, probabilius eſt, non eſſe mortale, ſinè uno, id eſt, ſinè alterutro horum ei Communionem porrigere. Ratio eſt : quia non eſt poſitiva irreverentia, ſed tantùm omiſſio majoris reverentiæ ; & neceſſitas hominis, propter quem inſtituta ſunt Sacramenta, certò excuſat à mortali, imò & à veniali.

229. Sed quid, ſi Sacerdos inchoatâ jam Miſſâ advertat, ſe non habere Stolam? ℟. Si Sacerdos ſacrificans defectum (Stolæ) advertat, ante Conſecrationem maximè, & facilè habere poſſit, debet adhuc curare afferri, ſi abſque ſuo vel aliorum incommodo, murmure, vel ſcandalo fieri poſſit, aliàs non. Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *ſect.* 3. *n.* 410. Unde non ſatìs prudenter fecit ille Parochus apud Gobat *Caſu* 11. *n.* 342. qui Sacerdoti extraneo in ſua Eccleſia celebranti abſque Stola, inculpabiliter omiſſâ, per Sacriſtanum juſſit adferri, qui jam Evangelium legens admirans &

per-

perplexus, eam ſub Caſula collo circumduxit, non absque notabili difficultate, & confuſione ſui, aliorum admiratione &c. Nam generatim loquendô, imprudenter facimus, quando inculpabiliter errantem corrigimus in re nulli noxia, cum ejus non levi, & quandoque etiam aliorum incommodo, uti contigit in caſu propoſito. At nunquid Sacerdos ille obligatus fuerat, tunc ſumere Stolam? ℞. det Gobat *ibid.* ſi multos habuiſſet obſervatores, non fuiſſet obligatus propter præſens periculum gravis perturbationis, obmurmurationum, irriſionum, aut etiam ſcandali aliorum; ſecus, ſi tantùm habuit obſervatores pauculos. Unde rectiſſimè ait D. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad.* 2. ubi difficultas occurrit, ſemper accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo. Dices: ſaltem debuiſſet Sacerdos ille Stolam allatam ſub Caſula Cingulo alligare, ne ſinè Stola conſecraret. ℞. negativè: quia Stola Sacerdotalis Celebrantibus demandata eſt non quomodocunque, ſed ut deferatur ſecundùm ritum ab Eccleſia inſtitutum, à quo modus ille omnino eſt diverſus.

230. Dictum eſt autem num. 226. *Teneri cum veſtibus ſacris, iisque ritè benedictis*

celebrare; certum quippe eſt, veſtes omnes, quibûs Sacerdos utitur in Miſſa, debere eſſe benedictas, aliàs graviter peccaret Celebrans, utens aliquâ earum non benedictâ. Buſenb. apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 308. Aman *n.* 734. ex communi DD. (ſubintellige, niſi parvitas materiæ à mortali excuſet. Vid. *num.* 226.) etenim, ùt ait Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 3. *§.* 2. *n.* 1. ex aliis, idem eſt, uti veſtibûs non benedictîs, ac nullîs uti. Addit tamen *num.* 3. dicens: Illud adverte, te non debere eſſe ſollicitum in inquirendo, an veſtes, aliáque Sacrificii inſtrumenta ſint benedicta, niſi aliqua particularis ratio dictet. Quare rectè Soto notat, quando hæc rei Divinæ inſerviunt de more, vel quando offeruntur à Parocho, nihil eſſe inquirendum; ſicut nec de Hoſtiis intrà Tabernaculum exiſtentibus inquirendum eſt, an ſint conſecratæ, vel non; quia ſemper rectè ſupponuntur eſſe conſecratæ.

Quæres autem, cur dictum ſit, *quibûs Sacerdos utitur in Miſſa*? quod idem eſt, ac quærere, utrùm Pluviale, Tunicella, ac Dalmatica benedici debeant? ℟. non eſſe hæc ex præcepto & ſub peccato mortali benedicenda. Ità *de Pluviali* Gav. *p.* 1. *tit.* 19. *n.* 3. *lit.* 1. Polacus &c. De *Tunicella* autem

&

& *Dalmatica* Sylveſter ℣. *Diaconus. n.* 6. abſolutè aſſerit, non eſſe neceſſe, ut Diaconus, & Subdiaconus utantur veſtibûs benedictîs apud Quarti *p.* 1. *tit.* 19. *dub.* 2. Ratio eſt: quia non conſtat de tali præcepto, & DD. communiter ſolùm id aſſerunt de veſtibus Sacerdotalibus, quibûs utitur Sacerdos in Celebratione Miſſæ. Quamvìs autem de his benedicendis nullum extet præceptum, benedicenda tamen ſunt ob decentiam Divinorum officiorum, & ſacrarum functionum, & quidem ea Benedictione, quæ aſſignatur in Miſſali pro indumentis Sacerdotalibus in genere. Sed

231. A quonam benedici debent, vel valent veſtes ſacræ? ℞. I. De jure ordinario benedicuntur ab Epiſcopo. II. Abbates Pontificalia exercentes, etiam Regulares, habent facultatem nedum benedicendi Paramenta, & veſtes Sacerdotales, ſed etiam vaſa ſacra, putà Calicem & Patenam, & ſimiliter Aram, ſeu lapidem Altaris, & campanam, in quibus intervenit unctio ſacri Chriſmatis, idque non ſolùm pro ſuis Eccleſiis, ſed etiam pro extraneis. Ità Barboſa, Miranda, Portel, Rodriq. Tambur. & alii, quos citat & ſequitur Diana *p.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 13. (apud Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* 3. ℣. *Dico* 2. *dè.*) ex Privilegio

Sedis Apoſtolicæ apud citt. DD. quam facultatem prædictа benedicendi pro Eccleſiis extraneis (ſaltem quoad vaſa ſacra) non eſſe revocatam, probant Tambur. *de Jure Abbat. diſp.* 23. *q.* 4. Bordon. *to.* 1. *Variar. Reſol.* 17. Averſ. *q.* 11. *ſect.* 13. §. *Sexto.* Gavant. in *Man.* ℣. *Abbas. n.* 22. apud Quarti *ibid.* III. Virtute Privilegii non Leonis X. ſed Innocent. VIII. conceſſi, poſſunt Superiores Regulares communicationem privilegiorum habentes, eorúmque abſentium Vicarii benedicere Corporalia, veſtimenta, cæteráque ornamenta Eccleſiæ, & ad Divinum cultum pertinentia, & tam ſuæ Eccleſiæ, quàm etiam undecunque delata, in quibus unctio Sacri Chriſmatis non intervenit. Sic enim ſonant verba Privilegii: *Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicariis in abſentia Prioris, & cuilibet habenti principale Regimen cujuscunque Monaſterii, conceſſit, poſſe benedicere Corporalia, veſtimenta, cateráque ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum Divinum pertinentia, tam ſui Monaſterii, quàm etiam undecunque ſint.* In quo Privilegio, quia communicat Ordo noſter Seraphicus, ac plerique alii, eodem gaudere poterunt. Rodriquez *Tom.* 1. *QQ. Reg. Q.* 19. *art.* 2. Miranda, Pellizar. Sporer, Reiffenſt. in 3. *Decret. tit.* 40. *n.* 52. Lauret. de Franch, Kazenberg. *Supplem.* 2.

Con-

Confer. 58. *n.* 163. Herincx, Aman *num.* 733. Quare, infert Reiffenſtuel, tutò pergere poſſunt Superiores noſtri in conſuetudine ab antiquo jam hucusque in aliquibus, præſertim noſtra Provincia Bavaricâ, practicatâ benedicendi Paramenta omnia, etiam aliena, & alia, ubi unctio Chriſmatis non intervenit. Idem docet Kazenberger cit. dicens: Noſtri Ordinis Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, & in horum abſentia Vicarii, aliique ſubſtituti Superiores pro tempore exiſtentes, Paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, Ciboria, Lunulam Monſtrantiæ, Corporalia, Caſulas &c. & alia quæcunque ad Cultum Divinum pertinentia, in quibus Chriſma non intervenit, non tantùm pro uſu Fratrum, Monialium, Tertiariorum, & Eccleſiarum eorundem ſolemniter benedicere poſſunt ex ſpeciali Privilegio à Leone X. noſtro Ordini conceſſo, ſed etiam pro uſu alienarum Eccleſiarum, ùt patet ex privilegio Innocentii VIII. Prioribus S. Hieronymi conceſſo.

232. Nec obſtant Declarationes Cardinalium; quia (inquit Reiffenſt.) illæ plus non volunt, quàm quòd ſi Regularibus à Papa in genere detur privilegium benedicendi Paramenta Eccleſiaſtica, intelligen-

Sedis Apoſtolicæ apud citt. DD. quam facultatem prædicta benedicendi pro Eccleſiis extraneis (ſaltem quoad vaſa ſacra) non eſſe revocatam, probant Tambur. *de Jure Abbat. diſp.* 23. *q.* 4. Bordon. *to.* 1. *Variar. Reſol.* 17. Averſ. *q.* 11. *ſect.* 13. §. *Sexto.* Gavant. in *Man.* ℣. *Abbas. n.* 22. apud Quarti *ibid.* III. Virtute Privilegii non Leonis X. ſed Innocent. VIII. conceſſi, poſſunt Superiores Regulares communicationem privilegiorum habentes, eorúmque abſentium Vicarii benedicere Corporalia, veſtimenta, cæteráque ornamenta Eccleſiæ, & ad Divinum cultum pertinentia, & tam ſuæ Eccleſiæ, quàm etiam undecunque delata, in quibus unctio Sacri Chriſmatis non intervenit. Sic enim ſonant verba Privilegii: *Prioribus Ordinis S. Hieronymi, & Vicariis in abſentia Prioris, & cuilibet habenti principale Regimen cujuſcunque Monaſterii, conceſſit, poſſe benedicere Corporalia, veſtimenta, cæteráque ornamenta Eccleſiaſtica ad cultum Divinum pertinentia, tam ſui Monaſterii, quàm etiam undecunque ſint.* In quo Privilegio, quia communicat Ordo noſter Seraphicus, ac plerique alii, eodem gaudere poterunt. Rodriquez *Tom.* 1. *QQ. Reg. Q.* 19. *art.* 2. Miranda, Pellizar. Sporer, Reiffenſt. in 3. *Decret. tit.* 40. *n.* 52. Lauret. de Franch, Kazenberg. *Supplem.* 2.

Con-

Confer. 58. *n.* 163. Herincx, Aman *num.* 733. Quare, infert Reiffenſtuel, tutò pergere poſſunt Superiores noſtri in conſuetudine ab antiquo jam hucusque in aliquibus, præſertim noſtra Provincia Bavarica, practicatâ benedicendi Paramenta omnia, etiam aliena, & alia, ubi unctio Chriſmatis non intervenit. Idem docet Kazenberger cit. dicens: Noſtri Ordinis Superiores, Generales, Provinciales, Guardiani, & in horum abſentia Vicarii, aliique ſubſtituti Superiores pro tempore exiſtentes, Paramenta, & ornamenta Eccleſiaſtica, Ciboria, Lunulam Monſtrantiæ, Corporalia, Caſulas &c. & alia quæcunque ad Cultum Divinum pertinentia, in quibus Chriſma non intervenit, non tantùm pro uſu Fratrum, Monialium, Tertiariorum, & Eccleſiarum eorundem ſolemniter benedicere poſſunt ex ſpeciali Privilegio à Leone X. noſtro Ordini conceſſo, ſed etiam pro uſu alienarum Eccleſiarum, ùt patet ex privilegio Innocentii VIII. Prioribus S. Hieronymi conceſſo.

232. Nec obſtant Declarationes Cardinalium; quia (inquit Reiffenſt.) illæ plus non volunt, quàm quòd ſi Regularibus à Papa in genere detur privilegium benedicendi Paramenta Eccleſiaſtica, intelligen-

dum ſolummodo ſit de Paramentis Eccleſiarum Regularium ; per quod non derogatur privilegio, quod benedicendi Paramenta etiam alienæ Eccleſiæ expreſsè concedit; cùm enim Declarationes Cardinalium non faciant novam legem, aut Jus novum, ſed tantùm ambiguum aut obſcurum magis declarent, hinc allegatæ Declarationes præfatum clarum & apertum privilegium benedicendi Paramenta non tantùm Monaſterii, ſed & alia *undecunque* ſint, expreſsè datum, nec afficiunt, nec imrnutant. Hæc ille. Atque idem (ait Kazenberger cit.) reſpondendum eſt ad alia Decreta Sacræ Congregationis.

Dices, Capitulum Generale Mechliniense Ordinis noſtri declarâſſe, quòd privilegium benedicendi paramenta nobis conceſſum, tantùm intelligatur de Paramentis noſtrarum, non item aliarum Eccleſiarum; rationem addit : *ſic enim* (inquit) *conceſſum fuit per Summum Pontificem*, putà Leonem X. ergo ſaltem Superiores noſtri Ordinis non poſſunt benedicere aliena Paramenta. Et ità quidem ſentit Tambur. *de Sacrif. l. 1. c. 3. ſ. 2. n. 7.* dicens : *Præter Minores, quibus reſtrictum eſt pro ſuo uſu in Capitulo Mechlinienſi, alii poterant, undecunque illa afferantur, ſi ipſis limitatum id à ſuis Generali-*

ralibus non fuerit. Sed Tambutinus non diſtinxit inter conceſſionem Leonis X. & Privilegium Innocentii VIII. Quare reſpondendô ad Inſtantiam, conceditur quidem Antecedens, ſed negatur Conſequentia; quia ex hoc ſolùm habetur, quòd id non poſſimus vi Privilegii nobis à Leone X. conceſſi, utì patet ex ſubjuncta ratione: *ſic enim per Pontificem conceſſum eſt*; non item, quòd id non poſſimus vi Privilegii, pro benedicendis alienis Paramentis expreſsè aliis conceſſi, quo per communicationem gaudemus. Reiffenſt. cit. Unde ſtudiô dictum eſt: *Virtute Privilegii non Leonis X. ſed Innocent. VIII. conceſſi &c.*

233. At ſcire cupis, utrùm veſtes Sacerdotales, Calix, & Patena, Ara, vel Eccleſia, aliáque omnia non ſacrata, aut non benedicta, ſacra fiant per ipſum uſum SS. Sacrificii, ità ut ipſo actu fiant benedicta, nec alia nova Benedictione ampliùs indigeant? ℞. det Sporer cit. *num.* 412. eſſe probabile; ſubjungit autem: Mihi nunquam placere potuit; mordicus adhæreo oppoſitæ ſententiæ negativæ communi DD. cum Card. de Lugo *de Euchar. diſp.* 20. *n.* 62. Dicaſtillo *de Euchar. diſp.* 4. *n.* 199. *&c.* Ratio ſolida eſt: quia harum rerum moralitas ſeu ſacratio dependet eſſentialiter à vo-

luntate potentis & volentis eas haberi pro ſanctis & ſacris ſufficienter ad uſum ilium ſanctiſſimum, quod ſolus Pontifex poteſt efficaciter velle: atqui Pontifex nunquam declaravit ſe velle, ut facta ſemel harum rerum uſurpatio ad uſum Sacrificii ſit ſufficiens impoſterum, ſine alia Benedictione, vel conſecratione Epiſcopi, aut alterius poteſtatem habentis, alioquin jure communi requiſita; ergo non eſt fundamentum recedendi à jure communi, idque maximè, quando interceſſit mala fides, *Quia non eſt malitiis hominum indulgendum. c. Plerumque. de Reſcriptis.* Hæc & plura Sporer.

234. Quæres, quomodo veſtimenta Sacerdotalia amittant ſuam Benedictionem? ℞. Si hæc adhibeantur ad uſus profanos, non amittunt Benedictionem; attamen ità profanè uſurpantes peccant contra prohibitiones Canonum, adeò ut iis uti ad profanas comœdias, vix vacet culpa mortali, teſte Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 8. Gobat *n.* 389. Nihilominus amittunt ſuam Benedictionem, quando ità franguntur & lacerantur, ut non ſint ampliùs apta ad uſum, ad quem erant benedicta, juxta communem DD. & *c.* 1. *& c. Quod in dubiis. de Conſecrat.* Unde ſi Albæ detrahatur una vel utraque manica aſſuta, & reficiatur, debet

debet iterum benedici. Lugo *d.* 20. *n.* 100. Dicaſtill. Jordan. cum Gobat *n.* 367. Item, ſi Cingulum ità frangatur, ut neutra pars ſit ſufficiens ad cingendum Sacerdotem, amittit Benedictionem ſuam juxta communem DD. quamvìs, non amittere tunc Benedictionem, ſed ſi partes rurſus connectantur, poſſe denuo adhiberi, cenſeant, Sà *v. Miſſa. n.* 12. Diana, & practicè probabile judicet Gobat *n.* 368. Sed quænam diſparitas inter hunc & priorem caſum? ſit judicium & reſponſio penes DD. Porrò, ſi una vel utraque pars lacerati Cinguli cingendo Sacerdoti ſufficiat (ſicut & quando Cingulum reſarcitur, antequam penitùs frangatur) remanet ex communi ſententia benedictum. Imò, ſi pars una Cinguli fracti ſufficiat ad ſe cingendum utcunque, manet non ſolùm hæc benedicta, ſed poterit ei pars minor rurſus connecti, velut acceſſorium principali. Item, ſi Caſulam benedictam ſuffulcias novâ telâ, vel ſericô, tota ſuffultura conſequetur Benedictionem, utpote tracta à digniore parte. Gloſſa & DD. in *c. Quod in dubiis, de Conſecr. Eccleſ.* & conſequenter poterit illa eadem ſuffultura, ſi rurſum ſeparetur, ſeorſim uſurpari pro Caſula (ſi aliàs ſit convenienter apta) ſinè nova Benedictione:

ſic cum Jordano Gobat *n.* 368. idipſum dicens de ſuffultura Stolæ & Manipuli. Porrò, ſi ex una Alba fiant aliquot Humeralia, vel ex Caſula Manipuli & Stolæ, oportebit de novo benedicere; quia nec Alba Humeralis, nec Caſula Manipuli vel Stolæ Benedictionem habet, id eſt, non fuerunt Alba & Caſula benedictæ in eum finem, ut ſervirent pro Humerali & Manipulo, vel Stola. Idem *num.* 369. Item ſi ex multis Humeralibus (etiam immutatis) fiat una Alba; & ex multis Stolis itidem immutatis una Planeta, talis Alba & Planeta indigerent nova Benedictione, Tambur *lib.* 1. *c.* 3. *§.* 3. *n.* 7. Ratio eſt eadem, quæ mox dicta. Unum nota ex eodem *ibid. num.* 3. videlicet: Si Alba & Planeta, ſeu Caſula reſticulîs, vel fibulîs ſunt conjungibiles ad inſtar Calicis tornatilis, & ſtudiô ſic e. g. ad commoditatem factæ; tunc (quia Benedictio data eſt ſub illo modo partium ſeparabilium & iterum conjungibilium) partibûs ſeparatîs, veluti ſuſpenditur uſus Benedictionis, non autem amittitur Benedictio; quod idem de Calice tornatili intelligendum eſt.

VIII.

VIII. Si non adſit Clericus, vel alius deſerviens in Miſſa, vel adſit, qui deſervire non debet, ut mulier. *Rubrica.*

235. In Miſſis privatis ex præcepto gravi, & ſub peccato mortali, unicum ſaltem Miniſtrum adhibendum eſſe, tenent Suarez, Lugo, Bonac. Averſ. & alii apud Quart. *p.* 2. *tit.* 2. *dub.* 1. Stoz tamen *l.* 1. *p.* 3. *q.* 3. *n.* 285. dicit, peccatum veniale eſſe, Miniſtrum ſinè juſta cauſa non adhibere; nec damnant peccati mortalis Sacerdotem ſinè Miniſtrante celebrantem Navar. Zerola, apud Quart. cit. Ratio eſt: quia in Jure nullum extat de tam gravi obligatione præceptum quoad Miſſas privatas. Nihilominus ex communi DD. ſententia Sacerdos in caſu neceſſitatis licitè ſinè Miniſtro celebrare poteſt absque diſpenſatione, e. g. ſi Sacerdos in periculo mortis vel ipſemet eſt ſumpturus Viaticum, vel alteri moribundo præbiturus, poteſt celebrare absque Miniſtro, ſi hic deſit. Item in Dominicis & Feſtis, ſi deſit Miniſter inſerviens, poteſt licitè celebrare ſolus, ut ſatisfiat præcepto Eccleſiæ tum ab aliis fidelibus, tum ab ipſo Celebrante, etiamſi non adſint alii Miſſam petentes.

236.

236. Item, ſi poſt inceptam Miſſam Miniſter diſcedat, poteſt & tenetur Sacerdos proſequi & perficere Sacrificium, tametſi Miniſtrum alium habere nequeat; quia major eſt obligatio perficiendi Sacrificium, quàm adhibendi inſervientem. DD. communiter. Item, ſi non adſit Miniſter, qui exactè reſpondere callet; poteſt Sacerdos licitè, tali inſerviente, celebrare, & hoc ſaltem urceolos miniſtrante, ſibimet ipſi reſpondendô ſupplere, ſicut facit, quando ſolus Officium Divinum recitat, nec in hoc caſu gravis neceſſitas requiritur, ſufficiente qualibet cauſa rationabili. Averſa, Lugo, Suar. Filliuc.

237. Dictum eſt autem, *Miniſtrum adhibendum eſſe*, id eſt, *Maſculum*, ùt conſtat ex *c.* 1. *de Cohabit. Cleric. & mulier.* & docent Palud. Sylveſt. Scortia, Suarez &c. qui ſatius eſſe arbitrantur ſinè Miniſtro celebrare, quàm fœminâ ad Altare reſpondente, urceolos porrigente &c. Laym. cit. Imò Quarti cit. cum DD. communiter docet, vî *cap. cit.* graviter prohiberi, ne fœmina ad Altaris miniſterium accedat. Unde docet Marchin. apud Tambur. citand. *n.* 2. tum fœminam Sacro miniſtrantem, tum Sacerdotem eam admittentem mortaliter peccare. Interim nihil obſtare videtur, quò

mi-

minùs fœminæ, præſertim Sanctimoniales, ex loco remoto Sacrificanti reſpondeant; quia ſolùm prohibetur illarum acceſſus ad Altare, & miniſterium proximum præbendi urceolos &c. ùt notant Averſa, Lugo, Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 7. §. 5. *n.* 3. *& ſeq.* & uſus quotidianus habet.

IX. Si non adſit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet eſſe aurea, vel argentea, vel ſtannea; non ærea, vel vitrea. *Rubrica.*

238. Rubrica hæc ſe remittit ad illam *p.* 2. *tit.* 1. *n.* 1. quæ ſic habet: Sacerdos lotîs manibûs, *præparat Calicem, qui debet eſſe vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena itidem inaurata ab Epiſcopo conſecratus.* Ex quibus verbis habetur, requiri Calicem vel aureum, vel argenteum, aut ſaltem habentem cuppam argenteam intus inauratam, & ſimul cum Patena itidem inaurata; cui concordat *can.* 45. *d.* 1. *de Conſecr.* junctô *can.* 44. ubi tamen additur: *Pauper ſaltem ſtanneum Calicem habeat.* Utrùm autem per hæc verba omnis alia materia excluſa ſit, audiamus, quid DD. ſentiant. Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *ſect.* 2. §. 1. *n.* 393. ſic ait:

Ex

Digitized by Google

Ex communi DD. apud Tanner. & Gavant. ſufficit, ſi Calix ſit ſtanneus; neque in magna paupertate repudiant plumbeum, ſicut & extra caſum neceſſitatis in Calice ſtanneo vel argenteo admittunt pedem plumbeum. At non debere eſſe ex ære, ſignificatur *c. Vaſa. c. Calix. de Conſecrat. d. 1.* ſed intelligitur ſinè dubio de ære rudi, quale adhibetur ad campanas: nam Calicem ex ære vel aurichalco, modò cuppa ſit deaurata, admittit Fagundez apud Gobat hìc *caſu* 10. *n.* 306. ex cupro verò ſimiliter cuppâ ſaltem deauratâ, in pauperioribus Eccleſiis paſſim uſus obtinuit, atque, ùt advertit Lugo *de Euch. d.* 20. *ſect.* 4. *n.* 90. apud Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 1. §. 1. *n.* 1. Romæ adſunt plerique Calices toti ex ære, ſeu cupro; &, ùt inquit Aman *num.* 732. defacto admittuntur Calices & Patenæ ex aurichalcho, vel cupro, cujus tamen pars interior, quam Sanguis vel Corpus Chriſti contingit, deaurari debet juxta Rubricam; imò (ait Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 1.) quando ratione paupertatis permittitur Calix ex ſtanno, & paupertas tanta eſt, ut non ſuppetant vires ad eum inaurandum, permitti etiam id poterit, ut non deauratus adhibeatur; quia neceſſitas excuſat. Quod autem dictum eſt de Calice, ſemper

in-

intelligendum eſt & de Patena; hoc eſt, Patena debet eſſe ex eadem materia, ex qua Calix; ſed intellige genericè, ex qua ſcilicet debet fieri Calix: non autem individuè, ut ſi Calix ſit aureus, aurea quoque ſit Patena &c. Unde etiam la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 347. ait: Non eſt opus, ut Patena ſit ejuſdem materiæ cum Calice, debet tamen eſſe materiæ alicujus, cujus debet eſſe Calix.

239. Utrùm autem deauratio Calicis, & Patenæ ſit obligatio gravis, & ſub peccato mortali obligans, quæri poſſet; ſed audeat Quarti *ibid.* dicens: Plerique negant; ſed hoc videri introductum ad majorem decentiam: quod eſt valde probabile de Calice & Patena confectis ex argento, non autem, ſi eſſent ex materia viliori. Ità Granado *p.* 3. *tr.* 14. *de Euchar. diſp.* 12. *num.* 3. Lugo, Averſa *de Sacrif. q.* 11. *ſect.* 13. Hæc ille. Conſentit Tambur. cit. ubi *num.* 3. ait: Quamvis in Rubrica Miſſalis emendati præſcribatur, ut cuppa Calicis, & ſuperior Patenæ pars ſit deaurata, id tamen non obligat graviter: ſufficit enim ad vitandum mortale, quòd ſint ex argento, imò & ad vitandum veniale, quia ità uſus obtinuit. Idem intelligendum eſt in caſu, ſi celebraturus invenit Calicem & Patenam

nam ex argento, & inaurato quidem, ſed ſemicorroſô aurô, ità ut partim aurea, partim argentea apparerent. Tambur. *ibid. num.* 4. Ac

240. Quare Rubrica cit. ait: *Ab Epiſcopo conſecratus*? ℞. quia Calix & Patena, in quibus licitè ac rite celebrari valet, eſſe debent conſecrati. *c. unico. de S. Unctione.* §. *ult.* Quare peccatum mortale committi à Celebrante in Calice vel Patena non conſecratis, certum eſt; cùm agat contra præceptum in re gravi. Tambur. cit. *ſ.* 3. *n.* 1. & conſtat ex *cap. fin. de Celebrat. Miſſ.* apud Quarti cit. *dub.* 2. Pœna tamen nulla eſt inflicta contra celebrantes in Calice & Patena non conſecratis, ùt obſervat Tambur. cit. *num.* 4. Utrùm autem Calix, Patena, aliáque ſimilia remaneant conſecrata, ſeu benedicta, ſi in illis non ſacris fortè quis ſacrificet, dictum eſt ſuprà *num.* 233.

241. Cæterùm Calix conſecratus & Patena amittunt ſuam conſecrationem, ſi notabiliter frangantur, ità, ut inepti maneant ad uſum Sacrificii; ſicut de Altari aliiſque rebus conſecratis cenſent communiter DD. Quarti cit. *dub.* 5. Tambur. cit. *ſ.* 5. *n.* 1. Sporer cit. *ſect.* 2. §. 1. *n.* 395. e. g. ſi cuppa à pede Calicis per fractionem ſeparetur; ſecus eſt, ſi ſeparatio fiat ſinè

fra-

Digitized by Google

fractione, quia ſcilicet Calix tornatilis eſt (vulgò, ein zuſamm geſchraufſter Kelch) Item, ùt notat Tambur. ſi Calix in fundo cuppæ habet, etiam modiciſſimum foramen, unde SS. ſpecies exundant, amittit conſecrationem, etiamſi aurifex foramen ità artificioſè concinnet, ut defectus præteritus vix apparere poſſet, idque ſinè ullius immutatione; Ratio eſt: quia Calix propter illud foramen aptus nequaquam remanſerat ad Sacrificium. Econtrà Calix (idem dic de Patena) non amittit conſecrationem, quando ante conſecrationem erat deauratus, ſed per uſum deteritur aurum, quo eſt inductus (ùt faciunt Sacerdotes Calicem toto niſu manuum ſcrupuloſè & ridiculè detergentes Purificatoriô, ait Gobat *n.* 110.) illud enim aurum & materia Calicis erant conſecrata per modum unius. Vid. etiam *num. præc. in fine.* Item, quia ſacrum trahit ad ſe non ſacrum, Gloſſ. *in c. Quod in dubiis. de Conſecr. Eccleſ.* ideo ſatis probabile eſt, non eſſe opus nova conſecratione, ſi rurſus deauretur cuppa, etiam interiùs. Sà *V. Calix. n.* 2. Lugo *d.* 20. *ſect.* 4. quamvis Suarez & alii communiter novam conſecrationem requirant, quando totus Calix de novo deauratur. Unde ait Quart. cit. In caſu neceſſitatis poſſet

 quis

quis hanc opinionem ſequi, ſimpliciter tamen non conſulerem; quia noſtra opinio communis eſt, & ſervatur communiter in praxi, ut Calix de novo inauratus de novo iterum conſecretur.

242. Porrò notandum eſt, quod docet Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 10. dicens: Quod attinet ad violationem, Altare etiam mobile, item Calix, Patena, Corporale violantur, ſeu polluuntur per ſanguinis, vel humani ſeminis ſacrilegam effuſionem, ideóque Epiſcopali reconciliatione indigent. Sin verò aliter profanentur, v. g. ſi ad communes uſus ſacrilegè adhibeantur; tunc propriè non cenſentur violata, quamvis decens ſit ſimplici eas Benedictione reconciliare, puta, vel ab Epiſcopo, vel à ſimplici Sacerdote ex commiſſione Epiſcopi, ùt addit Sporer cit. qui etiam *ibid.* docet, neque nova Benedictione ſimplici, nedum nova conſecratione opus eſſe, quando Calice & aliis vaſis ſacris impiè uſi ſunt hæretici, vel alii. Quoniam verò locus ſacer non cenſetur pollutus per humani ſanguinis, vel ſeminis ſacrilegam effuſionem, quamdiu de eis publicè non conſtat, ùt docet Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *n.* 130. citans *Gloſſ. c.* 1. ℣. *Pollui. de Conſecr. Eccl. in* 6. idem etiam in ſimili de

Ca-

Digitized by Google

Calice, Patena, & Corporali violatis ſeu pollutis intelligendum eſt.

243. Cæterùm, ùt certum ſupponitur, eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, uti rebûs ſacrîs ad uſus communes ſeu profanos, ùt ſi quis uteretur Calice conſecrato in communi menſa, vel Corporali ùt communi linteolo, aut ſacra veſte ad ludum & profanam repræſentationem; quia hoc præſefert contemptum rerum ſacrarum: unde jure ipſo naturali prohibitum eſt, & prohibetur etiam jure Eccleſiaſtico, ùt cum Soto & aliis communiter docet Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8. *ſ. Quartò addendum.* Itèm, non probatur, ſi neo-nuptis poſt Miſſam nuptiarum porrigitur vinum benedictum è Calice conſecrato ſumendum; quod idem de vino benedicto S. Joannis &c. intellige. Quapropter etiam Rituale Friſingenſe ad Romanum plenè accommodatum (prout Operis titulus indicat) *part.* 2. *membro* 6. *art.* 5. *n.* 3. ſic præſcribit: *Vinum* (benedictum) *diſtribuitur per manus laicorum in mundo profano vaſe, primùm quidem Sponſis, tum aliis Chriſti fidelibus, qui Nuptiis interſunt, omnibus modeſtè guſtantibus.* Et *art.* 6. *n.* 4. docet ſic: Vinô, in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ benedictô, *ſingulis, ubi mos eſt, modeſtè accedentibus in cornu Epiſtolæ, vel opportuniore lo-*

Digitized by Google

eo à Miniſtro Altaris in mundo profano vaſe; aliquid ex eo bibendum porrigitur. Sed occaſione dictorum

244. Quæres, utrùm Monſtrantia, ſive Remonſtrantia, Lunula, & Pyxis ſive Ciborium conſecrari, vel ſaltem benedici debeant? ℟. det Sporer *cit. ſ. 3. n.* 401. dicens: Licèt decentiſſimum ſit, ut Ciborium ſeu Pyxis, & Lunula Monſtrantiæ, & quodlibet vas immediatè tangens Evchariſtiam, benedicantur, prout in Rituali & Pontificali habetur propria Pyxidis Benedictio (cúmque talis Benedictio fiat ſinè unctione, fieri poterit ab eodem, qui poteſt benedicere cætera Paramenta, ùt à Superioribus Mendicantium, prout *num.* 231. dictum eſt) id tamen neceſſarium non eſt, cùm nullum Jus, aut conſuetudo id præcipiat. Conſentit Tambur. cit. *ſ.* 6. *n.* 1. ubi ait: Ciborium, Lunula, & quodcunque aliud vas, in quo ſervatur immediatè SS. Evchariſtia, conſecratione non indigent, nec Benedictione. Ex quo ſequitur, multò minùs Monſtrantiam benedictione, vel conſecratione indigere; quod etiam de Vaſculo, in quo Sacrum Chriſma ſervatur, & à fortiori de Tabernaculo SS. Sacramenti intellige. Solùm ergo ſupereſt, ut hoc loco breviter etiam videamus,

qui-

Digitized by Google

quibusnam ſacra vaſa tangere prohibetur. Ad quod

245. R. 1. Sacra vaſa, Calix, Patena, Ciborium, Corporale, dum in iis actu continentur Corpus & Sanguis Chriſti, à nemine præter Sacerdotem & Diaconum, ſine gravi culpa tangi poſſunt; adeò, ut omnis, etiam Clericus inferior Diaconô ea tangens, peccati mortalis reus agatur à comuni ſententia DD. Paludan. Suarez, Filliuc. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 18. ex *c. Non oportet. d.* 23. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 3. contra Ochogav. apud Dian. *p.* 5. *tr.* 14. *reſol.* 6. & Gobat *caſu* 11. *n.* 327. damnare non audentem. Ratio eſt: quia ità requirit ſumma Chriſto Domino debita reverentia; unde etiam Eucharistiam ipſam tangere, grave quid eſt. Tambur. *ibid.* Dictum eſt autem, *dum in iis actu continentur Corpus & Sanguis Chriſti*; unde

246. R. 2. Acolythi, & Ordinibûs Minoribûs initiati, extra Sacrum miniſterium, ne venialiter quidem peccant, ſed licitè tangunt ſacra vaſa, Calices &c. dum actu non continent Corpus & Sanguinem Chriſti, idque ex conceſſione Martini P. *c. Non liceat. d.* 23. ubi Acolythis fit poteſtas tangendi vaſa Dominica. Ità Sporer cit. *n.* 404. Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 8. cum aliis.

Hæc tamen licentia ſe non extendit ad Religioſorum Clericos Novitios & Neo-Profeſſos, antequam quatuor Minoribus initientur; quamvis eam Tambur. cit. n. 9. ad primâ Tonſurâ inſignitos extendat, contraſentiente communi ſententia DD. ut ait Sporer cit. ℞. 3. Ordines Mendicantium privilegium Sedis Apoſtolicæ habent, ut omnes eorum Regulares, tametſi Laici ſint, dum Superiorum ſuorum voluntate in propriis Eccleſiis Sacriſtæ officiô funguntur, omnia ornamenta, ſacra vaſa, & Corporalia reverenter tangere & lavare poſſint. Laym. cit. n. 19. Azor.

247. ℞. 4. An ſacra vaſa, puta, Calix, Patena, & alia hujusmodi vacua licitè poſſint tangi à Laicis, & fœminis, etiam Monialibus, duplex eſt ſententia. *Prima* ſuſtinet, ſecluſo contemptu, nec viros nec fœminas peccare tangendô. Ratio eſt; quia Canones id prohibentes poſſunt intelligi de conſilio, & ob majorem decentiam, nec videntur continere præceptum. Ità Sotus, Tambur. cit. n. 12. Fagundez, & multi Recentiores, quos citat Sanchez *l.* 2. *Decal. c.* 43. *n.* 27. apud Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 2. *dub.* 6. Unde, inquit Tambur. cit. *num.* 5. *& ſeqq.* certum eſt, Pyxides, Ciboria, Lunulas, etiamſi benedicta ſint, poſſe

ab

Digitized by Google

ab omnibus contingi ſinè ulla culpa, quando nondum Sacram Evchariſtiam continuerunt. Idem ſentio de Corporalibus, Pallis & Purificatoriis, non ſolùm quando ad ſacrum uſum nondum fuerunt adhibita, ſed etiam quando poſt ſacrum uſum jam lota fuerunt. Sed quid, poſtquam hæc (Corporalia &c.) & Pyxides, Ciboria, Lunulæ contigerunt Sacras ſpecies, idque ante lotionem? puto probabiliſſimum, adhuc licere ea ſinè veniali ab omnibus contingi. Hæc Tambur.

248. *Secunda* ſententia eſt negativa; atque (ùt Sporer cit. *num.* 405. ait) Laicus, fœmina, etiam Monialis, absque neceſſitate, vel rationabili cauſa nuda manu tangens res ſacras Chryſmate delibutas, ùt Altare, Calicem, Patenam, aut quæ immediatè jam contigerunt Corpus Chriſti, ùt Corporale, Ciborium, Lunula Monſtrantiæ &c. peccati venialis damnatur à DD. communiſſimè, Suarez, Coninch, Sanchez, Quart. cit. alii, ex variis Juribus contactum Laicis prohibentibûs. Cùm igitur hæc ſententia probabilior videatur priorî, optimè fit, ut Laici quicunque (maximè fœminæ curioſæ) à contactu prædictarum rerum arceantur, &, ſiquas poſt uſum lavari neceſſe eſt, prima ſaltem lo-

tio à Sacerdote, vel alio liberam tangendi facultatem habente fiat, lotióque prima in Sacrarium mittatur, & hac facta, deinde ſive Laicis, ſive fæminis, præſertim ſacris virginibus ad meliorem lotionem, terſionem &c. extradantur. Ubi tamen notandum eſt, quòd Corporalia (idem dic de Pallis) ſemel benedicta, tamdiu benedicta maneant, quamdiu integra manent; unde non ſunt rebenedicenda poſt lotionem (ùt alicubi ſcrupuloſè factum, inquit Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 6. n. 397.*) nec, ſi reſarciantur, niſi ſic notabiliter lacerata fuerint, ut ampliùs uſui eſſe non potuerint. Sylv. ℣. *Corporalia.* apud & cum Gav. *p. 2. tit. 1. n. 1. lit. Q.* Arnaud *p. 2. tit. 1. n. 14.* Ratio eſt: quia, utì poſt Paſq. *de Sacram. Nov. Leg. T. 2. q.* 788. Baruffaldus *Tit. LXVII. num.* 7. bene notat, Corporalia non amittunt Benedictionem, quando lavantur de novo, & amidô imbuuntur; ſicut etiam Calix, ſi ſubinde ſale & aqua &c. fricatur, politur, & abluitur, non execratur, nec Conſecrationem amittit. Idem docet Gerlac. *p. 2. tit. 1. Annot. §. 19.* dicens: *Ubi Corporalia lota ſunt, denuo benedici non indigent, ſed immediatè ad Miſſæ Sacrificium adhibenda ſunt; prima enim Benedictio ſufficit, nec ulla lotione violantur.* Vid. etiam Kreſsling, in

Supplem.

Supplem. Theol. Moral. Reiffenſt. tr. 14. diſt. 5. Append. III. Addit. III.

X. Si Corporalia non ſint munda, quæ debent eſſe ex lino, nec ſericô in medio ornata, & ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedicta. *Rubrica.*

249. Hæc quoque Rubrica ſe remittit ad priorem *p. 2. tit. 1. n. 1.* ubi ſic habet: *Super velo ponit Burſam coloris Paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm eſſe debet, nec ſericô, vel aurô in medio intextum, ſed totum album, & ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem ſimul cum Palla benedictum.* Et *num. ſeq.* ſic: *Quibûs ità diſpoſitis, accedit ad Paramenta, quæ non debent eſſe lacera, ſed integra, & decenter munda, ac pulchra, & ab Epiſcopo &c. benedicta; calceatus pedibûs, & indutus veſtibûs ſibi convenientibûs &c.* Ex his

250. Quæritur, an Corporalia, Pallæ, Vela Calicis, Burſæ Corporalium, & Purificatoria ſint benedicenda? Ante ℟. ſupponendum eſt, Corporalia benedici ab Epiſcopo, & à Superioribus Ordinum Mendicantium, multóque magis ab Abbatibus Infulatis. Vid. etiam *ſuprà num.* 231, H. S.

℟. Corporale lineum ab Epiſcopo, vel habente poteſtatem, conſecratum requiritur ſub gravi peccato, ex *c. Conſulto. de Conſecr. d.* 1. Ità Sporer cit. Quart. *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 1. & docent communiter DD. Dictum eſt autem, *Corporale lineum*, conformiter Rubricæ *num. præc.* notatæ. Unde colligitur (inquit Quarti) eſſe grave peccatum, adhibere in Sacrificio Corporalia ex ſerico, vel quavis alia materia, quæ moraliter dici non poteſt lineum terrenum, ſeu procreatum ex terra, ſive materia ſit pretioſior, ſive vilior; quia id graviter prohibetur *cap. Conſulto. de Conſecr. diſt.* 1. Syndonem enim Chriſti repræſentat, ùt notat Gav. *p.* 2. *tit.* 1. *n.* 1. *lit. P.*

251. Duo tamen hìc notanda veniunt. *Primum*: quamvis totum Corporale debeat eſſe ex lino, nihilominus in ora, ſeu extremitate (non item in medio, ubi S. Hoſtia, & Calix ponuntur) non eſt prohibitum, quod aurô vel ſericô ornetur, ùt colligitur ex verbis Rubricæ dicentis, *nec ſericô vel aurô in medio intextum. Secundum*: Poſſunt Corporalia probabiliter fieri ex tenui cannabe, ùt *ſuprà num.* 207. notatum habes. Quod autem dictum eſt de Corporali, intelligendum etiam eſt de Palla, éſtque peccatum mortale, vel illam omittere,

tere,

tere, vel eâ uti non benedictâ, vel non lineâ, Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 6. Reginald. Filliuc. &c. At contra, non delinqui mortaliter celebrandô ſine Palla, ſatìs indicant Sotus & Rodriq. apud Gobat *num.* 319. conſentientem, & *num.* 322. ità inferentem: Si quis in Sacriſtia non reperiret Pallam, nec poſſet eam acquirere, cum non peccaturũ accedendô, ſeu ex obligatione, ſeu ex devotione ad faciendum Sacrificium, ſaltem ſi locò Pallæ poſſet habere vel Corporale, vel Burſam, vel Purificatorium duplex: & quidni in neceſſitate poſſet Calicem tegere Purificatorio ipſo, quod unicum habet? nam uſus tegendi & tergendi non ſunt incompatibiles moraliter. Hæc Gobat. Reliqua requiſita circa Calicem ſunt imprimis Purificatorium, ſed non neceſſariò benedictum, cùm id nullo jure ſtatuatur, & nulla ejus Benedidictio reperiatur in Ritualibus: idcirco cùm deeſt Purificatorium, poterit adhiberi ſtrophiolum mundum, quo tamen non ampliùs tergendus erit naſus. Suarez, Lugo, Gavant. alii. Tandem Velum, Burſa, Manutergium, item Pulvillus pro libro, requiruntur ob decentiam, ſed ſimiliter non benedicta; ſiquid tamen deſit horum, ex profanis decenter mundis aſſumi, &

po-

poſtea ſuo uſui reddi poteſt; certè nihil locò Burſæ, ùt praxis oſtendit. Neque Velum Calicis omittens gravis peccati damnandus erit, teſte etiam in his rigidô Gavantô apud Gobat *n.* 314. *in fine.* Sporer cit. *n.* 400. Similia habet etiam la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 330. ibi: Celebrare ſinè Velo Calicis, quando nullum habetur, non eſt peccatum; nam velum, manutergium, pulvinar pro libro requiruntur ob decentiam tantùm, nec benedicuntur. Burſa Corporalis poteſt planè omitti.

252. Sed quid de Palla duplici? Ante ℞. ſciendum eſt, Sacerdotes Clericorum Regularium in Sacrificio Miſſæ præter Corporale & Pallam, qua Calix operitur, uti aliâ Pallâ benedictâ, ſuper quam reponunt immediatè Hoſtiam, atque hoc, ùt refert Quarti cit. *ſect.* 3. *dub.* 4. habent à Clem. VII. in Bulla, *Venerabilis frater.* nedum revocatum à S. Pio V. in ſua Bulla Miſſalis. H. N. ℞. Sacerdotes alii, etiamſi celebrent in Eccleſiis Clericorum Regularium, non poſſunt licitè in Celebratione Miſſæ uti alterâ Pallâ Hoſtiæ ſupponendâ. Ità Quarti cit. Coninch cum aliis; & Gavantus *p.* 2. *tit.* 1. *n.* 1. *lit.* *M.* ait: Qui duplicem adhibent Pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, approbante (ùt ajunt) Sum-

mo

mo Pontifice, non ſunt reprehendendi: non tamen imitandi ſunt ab aliis ſinè Pontificia facultate; eſſet enim additio ritûs, quæ eſt à S. Pio V. prohibita. Ratio autem Reſponſionis eſt: quia permiſſio alterius Pallæ reſpectu Clericorum Regularium videtur Privilegium perſonale, & privativè illis conceſſum, non autem aliis, qui idcirco in caſûs emergentia hanc alteram Pallam extra Corporale in locum aptum deponant.

Petes autem occaſione dictorum, utrùm in Miſſæ Sacrificio adhiberi poſſit Palla à parte ſuperiori drappô ſericô, vel alio ſpecioſo, aut pretioſo tegmine cooperta? ℞. negativè, idque conformiter Decreto Sac. Rit. Congreg. 22. *Jan.* 1701. quod Joan. Piton. in Edit. noviſſima *num.* 1188. refert hîſce verbîs: *In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla à parte ſuperiori drappô ſericô cooperta, prout declaravit atque ita reſpondit Congregatio Rituum.* Et ità quidem conformiter huic Decreto ℞. deo. Quia verò defacto dicitur, quòd Sacra Congregatio deſuper conſulta tales Pallas admittat, imò in potioribus Eccleſiis, etiam Cathedralibus &c. in uſu ſint, ideo ſubſiſtente hoc Decreto (quod tamen ad manus meas non pervenit) adhiberi poterunt,

runt, maximè ſi à doctis teneatur, de priori Decreto authenticè non conſtare. Nota autem, in Quæſtione dictum eſſe, *Palla à parte ſuperiori drappô ſericô &c. cooperta*; per quod intelligi datur, quòd non poſſit *ſolum operculum* ex drappo ſerico &c. factum adhiberi, ſed *Palla linea à parte ſuperiori drappô ſericô &c. cooperta*. Excipe tamen caſum *num. præc.* relatum.

253. Porrò, ſicut ad Deo dignè ſacrificandum requiritur Paramentorum Benedictio, ſic etiam neceſſaria eſt eorundem mundities, prout ex Rubrica *num.* 249. citata liquet. Unde, inquit Quarti *p.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* 7. celebrare cum veſtibus notabiliter immundis, vel laceris, eſt peccatum mortale. Ratio eſt: quia eſt contra præceptum naturale reverenter tractandi, & exercendi hoc ſacrum, & tremendum miniſterium. Ità Sylv. Tolet. Sà, Averſa, aliique ab illo citt. Dicitur autem, *cum veſtibus notabiliter* (id eſt, enormiter) *immundis, vel laceris*; ſecus enim non interveniret, niſi peccatum veniale, niſi accedat grave ſcandalum, vel alia cauſa transferens peccatum veniale ad mortale; quod idem de munditia Tobalearum intelligendum eſt. Idem *p.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. citans Suarez & alios.

254.

254. Notandum tamen eſt, quod idem *p. 2. tit. 1. &c.* ℣. *Dico tertiò.* ſubinfert, dicens, ſæpe excuſari ab omni culpa Sacerdotes inferiores, vel ſubditos, ſi Superiorem admonuerint, ut veſtes & ſacra vaſa refici, mundariq́ue curet, & nihil effecerint, quando veſtes, vel earum cura non pertinet ad privatos Sacerdotes; illi enim peccant, ad quos pertinet cura Sacrarum veſtium, & quibus incumbit obligatio, ut ſarciantur, & mundentur: tales autem ſunt Prælati, Rectores Eccleſiarum, & Miniſtri, quos ipſi Prælati ad hoc munus deſtinârunt, ùt patet ex *cap. 2. de Cuſtodia Evchar.* Huic conſentit Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n.* 14. dicens: Sacerdos ſubditus, ſi Superiorem, ut vaſa mundari, vel munda ſervari curet, admonuerit, nihilq́ue effecerit., excuſatur propter Sacrificandi neceſſitatem.

255. Cæterùm quia Rubrica *p. 2. tit. 1. n. 2.* ait: Sacerdos celebraturus ſit *calceatus pedibûs, & indutus veſtibûs ſibi convenientibûs, quarum exterior ſaltem talum pedis attingat,* quæritur, utrùm hæc Rubrica de præcepto, & mortaliter obligatoria ſit? ℞. 1. Neglectus Clericalis Tonſuræ, & habitûs tunc eſt peccatum mortale, ſi ſpectatîs circumſtantiîs perſonæ, loci, diuturnitate tempo-

Digitized by Google

ris &c. notabiliter repugnat honeſtati, & bono exemplo Clericorum, cujus gratiâ talis habitus Lege Eccleſiaſtica præcipitur. Si verò ex juſta cauſa, vel ad breve tempus ſinè honeſtatis detrimento habitus deponatur, nulla omnino culpa erit. Spectanda etiam eſt cujusque Diœceſis conſuetudo. Ità Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 12. *n.* 3. citans Cajet. Sylveſt. ỳ. *Clericus.* 2. *n.* 2. Armill. Vaſq. dicentes, non eſſe peccatum mortale (ſecluſâ contumaciâ & contemptu) niſi notabilis exceſſus fiat ultra modum conſuetum. Ex quibus eruitur, quòd, quamvis Quarti in Rubr. cit. *dub.* 9. dicat, Sacerdotem cum habitu Laicali ad Paramenta ſacra accedentem, & hæc veſtibus merè ſæcularibus ſuperimponentem, ſicque celebrantem, per ſe loquendô, & ſecluſo caſu neceſſitatis, peccare mortaliter; nihilominus ſaltem à mortali excuſari videtur, ſi fiat ex communi conſuetudine (etſi non laudabili) raró, absque gravi ſcandalo, aut ſinè notabili honeſtatis detrimento, ùt ab initio hujus Reſponſionis dictum eſt; quia non apparet diſparitas inter Sacerdotem in habitu non Clericali incedentem & celebrantem. Quidquid autem ſit; certum tamen eſt, utrumque omnino indecens eſſe; ſi enim indecens eſſet, ſæcula-

rem

rem induere habitum Clericalem, in eóque incedere; aut Religioſum, dimiſſo habitu Regulari, aſſumere alium Sacerdotis ſæcularis, in eóque celebrare, cur non & illud indecens ſit? De reliquo, cùm nullus Sacerdotum neſciat, habitum Clericalem revera ſpecialem honorem, & gloriam Sacerdotum, ſignúmque diſtinctivum, & efficaciter motivum debitæ venerationis eſſe, ſempérque fuiſſe, hinc Sacerdotes habitu ſæculari, & contra ſtatum ſuum veſtiti, ſibi ipſis imputent, ſi habitu Laicali incedentes à Laicis non dignoſcantur, non diſtinguantur, parvipendantur, contumelientur, eisque debita reverentia non exhibeatur.

256. ℟. 2. Sacerdos celebrans ſinè calceis, ſeu nudîs pedibûs per ſe loquendô, & ſecluſo contemptu, aut ſcandalo, vel non peccaret, vel ad ſummum venialiter peccaret; eò quòd in Jure nullum extet de hac re præceptum, & conſuetudo calceîs utendi, non fuerit animô obligandi introducta, ſed tantùm ad majorem decorem & honeſtatem. Ità DD. communiter, Suarez *diſp. 82. ſect. 3. ℣. Secundò dubitari ſolet.* Lugo, Sà, Con. Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 15. &c.* Hoc autem multò magis de Religioſis diſcalceatis intelligendum eſt;

quamvìs & hi ad maiorem decorem & honeſtatem crepidîs rectè utantur.

XI. Si celebret capite cooperto ſinè diſpenſatione. *Rubrica.*

257. Hæc Rubrica fundatur in c. *Nullus Epiſcopus. de Conſecr. d.* 1. ubi ſequentia habentur: *Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite aſſiſtere: quoniam & Apoſtolus prohibet, viros velato capite orare in Eccleſia: & qui temerè præſumpſerit, communione privetur.* Hoc itaque ſuppoſito, duo quæruntur: *Primum,* an dicta Rubrica obliget ſub peccato? *Secundum,* quisnam quoad Pileoli uſum diſpenſare valeat?

258. ℞. ad *Primum*, triplicem extare ſententiam. *Prima* docet eſſe obligatoriam ſub peccato mortali ex genere ſuo. Ità Angel. Armilla ℣. *Miſſa.* quibus favent Suarez & Filliuc. apud Quarti *p.* 2. *tit.* 2. *dub.* 3. quatenus ſupponunt abſolutè hoc eſſe grave præceptum, & solùm in caſu neceſſitatis excuſent tranſgreſſorem à peccato mortali. *Secunda* ſententia excuſat abſolutè à peccato mortali utentem Pileolô in Miſſa, ſecluſô ſcandalô & contemptu; quia videtur levis materia, & inſufficiens

ciens ad obligationem gravem, & ſub peccato mortali. Ità Ledeſm. *Sum. tr. de Evchar. c.* 21. *concl.* 7. quem ſequitur Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 58. *Tertia* ſententia probabilior ſic diſtinguit: Si tota Miſſa celebretur capite cooperto, committitur peccatum mortale; quia eſt gravis irreverentia, & gravis transgreſſio præcepti, caput habere coopertum, quando in Altari adeſt Corpus & Sanguis Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis. Si verò id fiat usque ad Canonem, vel usque ad Conſecrationem excluſivè, ſolùm erit peccatum veniale (ſecluſô ſcandalô & contemptu) quia tunc non cenſetur gravis irreverentia. Ità Villalob. Bonac. *diſp.* 4. *de Evchar. q. ult. punct.* 9. *n.* 28. cum aliis apud & cum Quarti cit.

259. ℞. ad *Secundum*, ante emanationem Decreti S. Rit. Congregationis plures quidem DD. docuiſſe, poſſe Epiſcopum reſpectu Sacerdotum ſæcularium, & Prælatos Regulares reſpectu ſuorum ſubditorum diſpenſare; at verò hodie id eſt reſervatum Summo Pontifici. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 7. §. 4. *n.* 2. & patet ex Decreto Sac. Rit. Congreg. ab Urbano VIII. confirmato, & Miſſali Romano ejus juſſu inſerto, quod ſic ſonat: *Nemo audeat uti Pileolô in celebratione Miſſarum ſinè expreſſâ licen-*

tia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacunque contraria conſuetudine. At verò (ſubdit Tambur. *num.* 3.) ſicut in multis poteſt Prælatus diſpenſare in caſu neceſſitatis, quando non datur recurſus ad Pontificem, ità poterit in hoc de Pileolo. Solùm adverte, non requiri magnum neceſſitatis gradum, quia res, de qua agimus, non eſt tam gravis: quare neceſſitates (puta, nimia rigionis frigiditas, capitis debilitas, ſenectus, vel calvitium) erunt ſufficientes ad hoc, ut Epiſcopus, vel Prælatus poſſit diſpenſare, ſi non ſit recurſus, vel ſit difficilis recurſus ad Pontificem. Hæc ille. Quæ autem de Pileolo dicta, pariformiter etiam de capillamento, ſeu berrucca intelligenda ſunt.

XII. Si non adſit Miſſale, licèt memoriter ſciret Miſſam, quam intendit dicere. *Rubrica.*

260. De hac Rubrica Quarti equidem *p.* 2. *tit.* 2. *dub.* 2. ediſſerit, regulariter, & ſimpliciter loquendò requiri Miſſale, & teneri ſub peccato mortali Celebrantem eo uti, ſeu illud præſens habere in Altari; tum, quia tenetur Celebrans recitare integrè Miſſam, prout in Miſſali præſcribitur,

Digitized by Google

tur, ità ut ſi partem notabilem, vel plura Canonis verba omittat, peccet mortaliter; tum, ne ſe exponat periculo omittendi partem notabilem. D. Antonin. Sylv. Navarr. & DD. communiter. Sed ex his ipſis deducitur, hanc Rubricam per ſe eſſe directivam, per accidens autem præceptivam; id eſt, non teneri Sacerdotem recitanda omnia ex Miſſali legere, niſi ſit periculum, ne partem notabilem extra Canonem, aut plura verba Canonis omittat, aliúmve defectum peccaminoſum committat. Unde ſubinfert idem ℣. *Colligitur 2.dò*, poſſe licitè Sacerdotem memoriter dicere præſente Miſſali, ſive Canonem, ſive alias partes Miſſæ, quas firmiter, & ſecurè memoriâ tenet: quia tunc, ſi quid erroris aut perturbationis contingat, facilè ſuppleri poteſt, & emendari ex Miſſali præſenti; nam, ùt inquit la Croix *l. 6. p. 2. n.* 364. non requiritur, ut quis Miſſalì utatur, ſed tantùm præcipitur, ut adſit in Altari ad uſum, ſi ſit opus.

261. **Quæres autem, utrùm Sacerdos egregiâ memoriâ pollens, ità ut ſit omnino, id eſt moraliter certus, ſe nihil omiſſurum nec ullum periculum errandi incurſurum, ſinè Miſſali licitè celebrare valeat?** ℟. **(ſecluſô ſcandalô) affirmativè. Ità Tambur,**

de Sacrif. l. 1. *c.* 5. *ſſ.* 5. *n.* 1. Lugo, Villalob. Ledeſma, quos citat & ſequitur Diana, Averſa &c. Ratio eſt: quia tota obligatio adhibendi Miſſale oritur ex periculo errandi in Miſſa, nec aliunde extat de hac re præceptum; ergo ceſſante omnino periculo ceſſat ea obligatio. Dictum eſt autem, *ſecluſò ſcandalò*, ad quod evitandum, abſente Miſſali, ſufficit, ut alius liber adhibeatur.

262. Ex dictis colligitur, excuſari poſſe à peccato eos, qui, cùm ob viſûs debilitatem legere non poſſint, adhuc celebrant Miſſam memoriter recitandô; poſſunt enim dicere Miſſam, quam de memoria ſciunt; dummodo tamen, quantùm ſatis eſt, videant Hoſtiam & Calicem, & ad reliquas actiones Miſſæ ritè peragendas, abſitque periculum amittendi Particulas, aut irreverenter tractandi SS. Sacramentum; ſecus enim hujusmodi Sacerdotes deberent aut à Celebratione abſtinere, aut alium Sacerdotem ſibi aſſiſtentem adhibere. Vaſq. Lugò, la Croix, *ubi ſuprà* citans Gobat &c. Sed occaſione hujus Rubricæ

263. Quæritur, quonam Miſſali utendum ſit Sacerdoti, ſive, quod idem eſt, quæritur, an Celebrans Romano *Ritu* adſtrictus uti poſſit alio Miſſali, vel alio Ritu,

di-

diverſo à Romano, aliarum Eccleſiarum, per quas ùt peregrinus tranſit, vel aliàs in eis reperitur? Ante ℞. notandum eſt *primò*, hìc non quæri de Ritu Græco, e. g. de celebrando in azimo, vel fermentato &c. ſed duntaxat de Miſſali & Ritibus diverſis intrà fines Eccleſiæ Latinæ. Notandum eſt 2.*dò* : quamvìs S. Pius V. in ſua Bulla, *Quo primùm tempore &c.* præcipiat omnibus communiter, ut in Miſſæ celebratione Sacerdotes non utantur alio Miſſali, quàm Romano, nec aliis Ritibûs, quàm præſcriptîs ibidem; nihilominus excipit nonnullos, quibus permittit, ut Miſſas recitare poſſint juxta antiquam ſuarum Eccleſiarum inſtitutionem & conſuetudinem excedentem ducentos annos. Unde, ùt refert Quarti *p.* 1. *tit.* 14. *dub.* 2. Mediolani viget Ritus Ambroſianus: & in Eccleſiis, ſeu Ordinibus Regularium obſervantur varii Ritus diverſi à Romano, e. g. apud Religioſos Carmelitas, S. Benedicti, S. Dominici &c. Notandum eſt 3.*tiò*, aliter diſcurrendum eſſe de Ritu peculiari alicujus Ordinis, vel Congregationis, e. g. S. Dominici &c. qui non extenditur ad alias Eccleſias ejuſdem civitatis: & aliter de Ritu toti civitati, vel etiam Diœceſi communi, qualis eſt, e. g. Ritus Ambroſianus Mediolani. H. N.

Digitized by Google

264. ℟. 1. Nemo poteſt celebrare Miſſam juxta Ritum proprium, ſeu peculiarem alicujus Ordinis vel Congregationis, etiam in propria horum Eccleſia, niſi ſit membrum ejusdem Ordinis, vel Congregationis; & conſequenter neque proprio horum Miſſali uti poteſt. Ità Coninch *de Sacram. q.* 74. *ar.* 4. *dub.* 4. & *q.* 83. *ar.* 5. *n.* 268. Averſa *q.* 11. *de Sacrif. ſect.* 12. §. *Decimò tandem.* apud & cum Quarti cit. Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 5. §. 2. *n.* 21. Ratio eſt: quia Privilegium talis Ordinis eſt perſonale, & privativè quoad alios. Et certè, ſi Sacerdos Romano Ritu adſtrictus, Breviariò, e. g. Benedictinô, uti licitè non poteſt, quomodo alieno Miſſali uti ipſi licitum erit? Accedit, quòd etiam Miſſæ, quæ non ſunt in Miſſali communi, vel tantùm conceduntur certis Regularibus, vel in certis locis, non poſſint ab aliis, vel alibi dici, nequidem in Eccleſiis illorum Regularium, uti reſolvit Sac. Congregatio 19. *Nov.* 1622. apud Gav. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 16. Averſ. §. *Quando.* apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 367.

Nota tamen *primò*, quòd Congregratio Rituum (annuente Clemente XI. ſub die 31. *Jul.* 1720.) Miſſam propriam de S. Thereſia Virgine approbaverit, nec non

illam

illam in Eccleſiis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum ubicunque exiſtentibus, etiam à Sacerdotibus ad eos confluentibus, celebrari poſſe indulſerit, eámque in Miſſali ipſius Ordinis apponi mandaverit. Pitton. *num.* 1392. Nota *ſecundò*, quòd Benedictus XIII. 10. *Febr.* 1727. benignè indulſerit, ut in Feſto S. Benedicti Miſſa ipſius propria, in Eccleſiis tam Monachorum quàm Monialium Ordinis S. Benedicti ubicunque exiſtentibus, ab omnibus etiam Sacerdotibus Sæcularibus & Regularibus ad eas confluentibus, cum Miſſali Monaſtico in poſterum celebrari poſſit & debeat. Idem Pitton. *num.* 1465. Nota *tertiò*, hæc Privilegia Eccleſiis Carmelitarum & Ordinis S. Benedicti eſſe conceſſa privativè; ad hoc enim (ait Pitton. cit.) ut Sacerdotes exteri, ſive Sæculares, ſive cujusvis alterius Ordinis Regulares valeant celebrare Miſſam certis Regularibus conceſſam, debent confluentes expreſsè nominari in Conceſſione, prout in ſupradictis Decretis.

265. Dictum eſt autem, *juxta Ritum proprium, ſeu peculiarem alicujus Ordinis &c.* ſecus enim eſt, ſi Sacerdos ſacrificet in Eccleſia ſive Regularium, ſive non Regularium, ubi peculiare aliquod Feſtum, e. g.

Digitized by Google

de Dedicatione, vel Sancto &c. in Kalendario Romano non appoſitum celebratur; tunc enim licitum eſt cuilibet cum Miſſali Romano Miſſam celebrare juxta Ritum illius Eccleſiæ, in qua quis reperitur; quia hoc faciendô, non recedit à Ritu præſcripto in Miſſali Romano; nec agit ille contra Rubricam (ait Gavant.) qui Officium recitans aliud, Miſſam deinde celebrat more Eccleſiæ, in qua celebrat, ubi fortè dicitur *Credo*, vel *Gloria*, quæ non dicitur extra eam: imò tenetur celebrare ibidem pro ratione Feſti, juxta Regulam: *Cùm fueris Romæ &c.* Ex quo ſequitur, tollendum eſſe ſcrupulum illorum, qui hæſitant, an poſſint celebrandô ſe accommodare Feſto illius Eccleſiæ, in qua tunc celebrant; accommodent ſe, & minimè curent, ſi dicatur, Miſſam concordare debere cum Officio; quia hoc de Miſſa principali Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, vel de Miſſa Conventuali Eccleſiarum Regularium (niſi in Rubrica aliud quid pro his præſcribatur) intelligendum eſt. Et nunquid etiam tu recitans Officium de Semiduplici, Simplici, Feria &c. Miſſam *de Requiem*, vel Votivam privatam in tua Eccleſia rectè celebras? Item, ſequitur, non eſſe probandum vel permittendum

(niſi

(niſi de privilegio aliter conſtet) ſi quis recitans Officium, e. g. de Semiduplici, Simplici &c. & in alia Eccleſia, ubi v. g. de Feſto duplici &c. agitur, celebrans, Miſſam privatam *de Requiem*, vel Votivam legat. Econtra verò, ſi Sacerdos Officium, e. g. de duplici &c. recitans, & in alia Eccleſia, ubi de Feſto Semiduplici, Feria &c. agitur, celebrans Miſſam *de Requiem*, vel Votivam legat, rectè facit; quia hujuſmodi Eccleſiæ ſe accommodat. Imò in hoc caſu, ut Privilegium Altaris Defunctis proſit, neceſſariò dici debet Miſſa *de Requiem*, niſi aliud privilegium, aut ſpecialis conceſſio exiſtat. Vid. de hoc, & aliis multùm notandis in *Ritu Exacto*, *Append. tit.* 2. *§.* 1. *n.* 9. *&* *ſeq.*

266. ℟. 2. Sacerdos Romano Ritu adſtrictus, ſive Sæcularis, ſive Regularis, ſi tanquam Advena reperiatur in territorio, ubi ſervatur Ritus diverſus, ſeu Miſſale non Romanum (e. g. Mediolani, ubi ſervatur Ritus Ambroſianus communis toti Civitati) poteſt in hoc caſu quilibet celebrare, vel Ritu Romano, vel Ritu Ambroſiano, ùt magìs placuerit. Ità Coninch *de Sacram. q.* 83. *art.* 5. *n.* 268. Tambur. cit. *n.* 19. Quarti cit. & communiter alii DD. Ratio eſt: quia ex probabiliſſima ſententia poteſt

Ad-

Advena, & peregrinus ſe conformare legibus & conſuetudinibus loci, per quem tranſit, quamvìs non teneatur; ergo idem dicendum de Ritu Miſſæ. Et hoc ipſum poteſt Sacerdos proprii Ritûs, ſi per tranſitum inveniatur in territorio, ubi ſervatur Miſſale Romanum. Tambur. cit. Unde (ait Quart. cit.) colligitur, quid ſit dicendum de Religioſis, Ritu peculiari utentibus, an nimirum poſſint illum mutare, quando celebrant extra proprias Eccleſias, poſſintque celebrare ſub Ritu Romano, vel alio, qui ſervatur communiter in tota illa civitate, in qua morantur, vel per quam tranſeunt; Dicendum eſt enim, poſſe utique, niſi ſpeciali ſuæ Regulæ præceptô prohibeantur, ùt docet Coninch cum aliis, & à fortiori Præpoſit. Ratio eſt: quia Religioſus accedens ad locum extra Monaſterium cenſetur ibi advena; ergo poteſt ſe conformare conſuetudini talis loci; ùt in ſimili probat ex communi ſententia Paſqual. *de jejun. deciſ.* 209. Hæc ille.

267. Addit tamen Tambur. *num.* 20. dicens: Quòdſi Religioſo Romano (id eſt, adſtricto Ritu & Miſſali Romano) tranſeunti per territorium diverſi Ritûs, contingat Sacrum facere in Eccleſia ſui Ordinis ibidem exiſtente, in qua ſervatur Ritus

Ro-

Romanus, tunc talis Religioſus debet ſervare Ritum Romanum, quamvis in tota civitate alius Ritus obſervetur. Ratio eſt: quia, cùm in Eccleſia talis Ordinis ſervetur Miſſale Romanum, ipſe verò ſit membrum talis Ordinis, illi ſe debet conformare. Ex his patet diſparitas inter hunc, & inter *num.* 263. ibi enim agitur de Privilegio perſonali (id eſt, Ordinis, vel Congregationis) & privativè quoad alios: hoc autem *num.* agitur de Conceſſione, conſuetudine, vel Privilegio totius Civitatis, Diœceſis, territorii. Cæterùm, extat Decretum Sac. Rit. Congregationis, 20. *Nov.* 1628. quô conceditur Capellanis ſæcularibus Monialium non utentium Breviariô Romanô, ut poſſint quidem Miſſam dicere de Sancto Ordinis, de quo Moniales dicunt Officium; ſed non niſi cum Miſſali Romano. Arnaud. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 20. Gav. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 16.

§. II. Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia ante Canonem, dimittatur Miſſa; ſi poſt Canonem, non dimittatur. Si timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante Conſecrationem di-

mit-

mittatur Miſſa, poſt Conſecrationem verò Sacerdos accelerare poterit ſumptionem Sacramenti, omiſsis omnibus aliis. *Rubrica.*

268. Quoad primam hujus Rubricæ partem, *Si Sacerdote celebrante violetur Eccleſia &c.* præſupponitur ex Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *n.* 121. *& ſeqq.* Violationem ſeu pollutionem Eccleſiæ generatim quinque præcipuè modis contingere, videlicet, *Primò*, per injurioſam humani Sanguinis effuſionem. Requiritur autem ad hoc, ut percuſſio ſeu vulnus infligatur homini exiſtenti in Eccleſia, & non ſuper tectum, aut turrim; aut ſubtus ſpeluncam Eccleſiæ; ſive dein Sanguis effundatur intrà, ſive extra Eccleſiam; imò etiamſi vulnerans exiſtat extra Eccleſiam. Deinde requiritur, ut percuſſio ſit gravis, ſeu talis, quæ ſit peccatum mortale. Tandem requiritur, ut tale factum ſit notorium, juris, aut facti notitiâ: univerſim enim, ut Eccleſiæ aut Altaris violatio inducatur, oportet factum eſſe notorium, idque vel per ſententiam Judicis, aut confeſſionem in judicio factam, quod dicitur *Notorium juris*; vel per evidentiam rei, quæ tergiverſatione aliqua celari non poteſt, quod vocant *Notorium*

fa-

Digitized by Google

facti. *Secundò,* violatur Eccleſia per homicidium injurioſum ac notorium, quod, vel cujus cauſa intrà Eccleſiam perpetrata eſt, licèt fiat ſinè ſanguinis effuſione. At ſi quis extra Eccleſiam ſit percuſſus, & poſtmodum in Eccleſiam ſe recipiat, ibique quantumvìs copioſo ſanguine effuſo moriatur, non violatur Eccleſia; quia nec ipſum homicidium, nec hujus cauſa intrà Eccleſiam data eſt. Sive autem quis in Eccleſia juſtè, v. g. reus à Judice, ſive à ſe ipſo, v. g. ſuſpendiô &c. ſive ab alio injuſtè occidatur, violatur Eccleſia; quia ſufficit in propoſito, ut homicidium ſit injurioſum ipſi Eccleſiæ, ſeu ſanctitati loci, quamvìs non ſit injurioſum ipſi occiſo. *Tertiò*, violatur Eccleſia per voluntariam, illicitam, & notoriam humani ſeminis effuſionem, factam intrà Eccleſiam, non autem in turri tantùm, vel ſupra tectum &c. Sive autem hæc ſeminis effuſio fiat per pollutionem voluntariam, ſive per fornicationem, adulterium, ſodomiam &c. perinde eſt, & violatur Eccleſia, ſi ea ſit notoria juris, vel facti notoreitate. De actu conjugali in Eccleſia exercito dubitant DD. quibûsdam (Eccleſiam violari) abſolutè affirmantibûs, aliîs negantibûs, cæterîs verò magis probabiliter excuſantibûs dun-

ta-

taxat caſum neceſſitatis. *Quartò*, violatur Eccleſia per ſepulturam excomunicati. Hoc tamen poſt Concilium Conſtantienſe, intelligendum eſt de excomunicato non tolerato, videlicet de illo, qui aut publicè denuntiatus eſt, aut notorius percuſſor Clerici exiſtit: hi enim ſoli defacto ſunt vitandi in vita, ac proinde etiam in morte, juxta illam Regulam, *Quibus non comunicavimus vivis, non communicemus defunctis. c. Sacris. de ſepulturis.* Subintellige autem, violari Eccleſiam, ſi excommunicatus vitandus ſepeliatur in ipſa Eccleſia; in hoc enim caſu violatur, ſeu polluitur & Eccleſia, & Cœmeterium illi contiguum; ſi verò ſepeliatur in Cœmeterio, hoc ſolum violatur, non etiam Eccleſia ei contigua, ùt habet communis, & habetur deciſum *cap. un. de Conſecrat. Eccleſ. in 6. Quintò*, violatur Eccleſia per ſepulturam Pagani, ſeu infidelis, prout habetur *c. Eccleſiam. de Conſecr. diſt.* 1. Et hoc etiam intelligendum de infante necdum baptizato. Quòd ſi tamen infans in utero matris mortuus ſit, poteſt unà cum matre Chriſtiana ſepeliri in loco ſacro: quia fœtus eſt pars matris, & unum quaſi cum ea corpus cenſetur *arg. l. 1. ff. de ventre inſpiciendo.* Hîs ex Reiffenſt. præſuppoſitîs.

269.

Digitized by Google

269. Dicendum: Si Eccleſia ſub Miſſæ Sacrificio, uno prædictorum modo violetur, priusquam Canon cœptus eſt, debet Sacerdos abſtinere, nec ulteriùs progredi; ſi autem poſt cœptum Canonem violetur, debet Sacrificium proſequi. Ità Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 13. ℣. *Addendum quartò.* Suarez, Coninch, & patet ex Rubrica. Ratio autem eſt: quia ante Canonem nondum cenſetur proximè inceptum Sacrificium, & ideo ſinè indecentia omitti poteſt; poſt Canonem verò cœptum dimitti non debet; quia Canon proximè accedit ad Conſecrationem, & in eo cenſetur moraliter inceptum Sacrificium; quare prævalere debet obligatio proſequendi Sacrum.

270. Dictum eſt autem num. 268. *Quartò, violatur Eccleſia per ſepulturam excommunicati. Hoc tamen &c.* ubi adverte, per ſepulturam hæretici nominatim non denuntiati non violari locum ſacrum *arg. c. Sacris. de ſepult.* Navar. *lib. Conſil.* 10. *de hæret. edit.* 2. *ad* 4. *q.* apud & cum Laym. cit. *n.* 8. Adde (pergit Laym. *ibid.*) cum Suarez *to.* 1. *de Relig. &c.* neque ſepulturâ hominis perſonaliter, & nominatim interdicti Eccleſiam violari, aut reconciliandam eſſe: cùm id nullo jure decretum reperiatur,

 Ni-

Nihilominus corpus exhumari debet. Adde etiam, quamvìs fuerit excommunicatus denuntiatus, qui ſepultus eſt in loco ſacro, ſi taman mortuus eſt cum ſignis contritionis, abſolvi poteſt poſt mortem, & ità retineri poſt abſolutionem in Eccleſiaſtica ſepultura. Avila *p.* 5. *diſp.* 7. *dub.* 4. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 2. *dub.* 5.

271. Sed quid agendum, quando ſub Miſſæ Sacrificio ingreditur Eccleſiam excomunicatus vitandus? Ante ℟. nota, hanc quæſtionem eſſe ſolummodo de excomunicatis vitandis, id eſt, de illis, qui vel nominatim ſunt excommunicati, & ùt tales legitimè denuntiati: vel ſunt notorii percuſſores Clericorum. Unde ſub Miſſæ Sacrificio &c. in Eccleſia adeſſe poſſunt excommunicati occulti, ſuſpenſi, & irregulares quicunque: hæretici nominatim non denuntiati quicunque, Judæi, Pagani, infideles quicunque; quia hi omnes poſt Concilium Conſtantienſe non veniunt ſub nomine *excommunicatorum vitandorum*. H. N. ℟. det Reiffenſt. *tr.* 13. *diſt.* 2. *q.* 3. *n.* 40. dicens: Si excomunicatus vitandus ingrediatur Eccleſiam, ut Miſſam audiat, monendus erit, ut exeat; quòd ſi nominatim monitus exire noluerit, novam excommunicationem Papæ reſervatam incurrit

jux-

juxta *Clem. 2. de Sent. Excomm.* ac poteſt per vim expelli. Si verò hoc fieri nequeat, erunt omittenda Divina Officia, atque ipſamet Miſſa; dummodo necdum fuerit inchoatus Canon, aut (ùt aliqui volunt) Conſecratio: tunc enim oportebit pergere usque ad ſumptionem, ne Sacrificium Miſſæ maneat incompletum; ſed peractâ ſumptione Calicis Sacerdos debet diſcedere, ac reliqua peragere in Sacriſtia, vel omittere, ſi talis locus non adſit. Verùm alii aſtantes debebunt illico in tali caſu exire ex Eccleſia, exceptô Miniſtrô Altaris; alioquin enim peccarent participandô in Divinis cum excoṁunicato vitando. Bonac. Herincx *diſp. 6. de Cenſuris. q. 6. n. 28.* Sannig, & alii. Ità Reiffenſtuel.

272. Cæterùm, certum eſt, eſſe peccatum mortale, in Eccleſia, quam quis novit eſſe notoriè violatam, ſeu pollutam, celebrare; quamvìs Celebrans nullam cenſuram, aut pœnam irregularitatis contrahat: eò quòd nullo jure ſtatuta ſit aliqua pœna contra hujusmodi peccatum. Suarez, Fagund. Lugo, Laym. cit. *n. 6.* cum aliis à ſe citt. Si verò Celebrans notitiâ ſolummodo privatâ, maximè ex Confeſſionali hauſtâ, ſciat, crimen Eccleſiæ violationem inducens in Eccleſia com-

Digitized by Google

miſſum eſſe, licitè in hac celebrare pote-rit, donec vel juris, vel facti notoreitate notorium factum fuerit. Vid. dicta *num.* 268. & *de Reconciliatione violata Eccleſiæ*, vid. etiam Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 10. *n.* 131. *& ſeqq.*

273. Quoad alteram Rubricæ *hujus §.* partem, *Si timeatur incurſus hoſtium, vel alluvionis &c.* actum jam eſt in *Prænot. n.* 22. quare hoc loco nihil videtur iterandum.

§. III. Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa: ſi poſt Conſecrationem Corporis tantùm, ante Conſecrationem Sanguinis, vel utroque conſecrato id accidit, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum. Si autem non objerit, ſed fuerit infirmus, adeò tamen, ut poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata, Sacerdos, qui Miſſam ſupplet, dividat Hoſtiam, & unam partem præbeat in-

infirmo, aliam ipſe ſumat. Si autem ſemiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta Conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur. Si verò obierit ſemiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eundem Calicem repetat integram formam ab eo loco, *Simili modo, poſtquam cœnatum eſt*. Vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem relictum ſemiconſecratum. *Rubrica.*

274. Rubrica hæc plures continet particulas, quas ſingulas ſingulariter, & breviter conſiderabimus. *Primò* igitur dicit: *Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in ſyncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa.* Ubi Rubrica apertè loquitur de caſu, ſi Sacerdos graviter infirmetur, vel omnino moriatur ante Conſecrationem Hoſtiæ; tunc enim, quia Sacrificium ſubſtantialiter nondum eſt in-

Digitized by Google

choatum, prætermittitur Miſſa. Aliter dicendum eſt, ſi ſimilis caſus contingat poſt Conſecrationem Hoſtiæ, uti paulò póſt videbimus. Unum notandum hìc eſt, ſcilicet, graviter peccare Sacerdotem, qui prævidens ſuam indiſpoſitionem & periculum deliquii, nihilominus celebrare præſumit, idque ob gravem irreverentiam, quæ inde ſequi poteſt Deo & Sacrificio. Quart. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 1. Imò, ùt inquit Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 2. Sacerdos, qui ſæpius in Sacrificio Miſſæ ob corporis infirmitatem deficere animadvertitur, is tanquam irregularis amovendus eſt, uti habetur in *c. Illud.* 7. *q.* 1.

275. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si poſt Conſecrationem Corporis tantùm, ante Conſecrationem Sanguinis, vel utroque conſecrato id accidit, Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum &c.* Ex hac Rubrica (quæ loquitur de caſu, quo Sacerdos infirmatur, vel moritur poſt Hoſtiæ ſaltem conſecrationem à ſe peractam) plura quæri poſſunt. Et *primò* quidem quæritur, quisnam Sacerdos Miſſam ab alio cœptam explere teneatur? Ante ℟. ſupponendum eſt, hanc Rubricam non eſſe directivam duntaxat, ſed præceptivam; unde ex gravi obliga-

tione

tione, & ſub peccato mortali ſupplendus eſt defectus ſubſtantialis, & perficiendum Sacrificium ab alio Sacerdote, poſitô, quòd moraliter fieri poſſit. Ità D. Thom. Navar. Suarez, Bonac. Laym. Averſa, & alii communiter apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 1. H. S.

276. ℟. 1. Si idem Sacerdos, qui Miſſam inchoavit, & in deliquium incidit, vires poſt puſillum, & intrà competens ſpatium reſumat, ità ut poſſit convenienter proſequi & explere Miſſam, ipſe primò & principaliter ad id tenetur. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. ℣. *Tertia Regula.* dicens: Si Sacerdos ipſe per ſe Sacrificium poſſit perficere, non poteſt illud inchoatum relinquere ſinè grandi ſacrilegio. Ratio eſt: quia idem numero Sacrificium per ſe loquendô, ab uno, eodémque Miniſtro eſt perficiendum, utì patet ex uſu Eccleſiæ à Chriſti inſtitutione promanante; ergo ſecluſo caſu impotentiæ, Miſſa inchoata à Sacerdote debet ab eodem expleri: & ità ſupponunt DD. Imò, idem Sacerdos debet inchoatum à ſe Sacrificium complere, etiamſi non ſit ampliùs jejunus, utpote ſi in gravi deliquio conſtitutus aliquid ſumpſit ad reparandas vires, hîs enim receptîs debebit, ſi poteſt, pergere in ſuo

Digitized by Google

Sacrificio à loco, ubi priùs deſiit. Ratio eſt: quia identitas phyſica Miniſtri majoris momenti eſt, quàm quòd Sacrum à jejuno perficiatur; uti patet in caſu, quando quis locò vini poſuit aquam &c. de quo dictum eſt *ſuprà num.* 66.

277. ℟. 2. Si Sacerdos, qui Miſſam inchoavit, poſt Conſecrationem etiam ſolius Hoſtiæ, ſic graviter infirmatur, ut proſequi Miſſam non poſſit, tenentur eam explere omnes Sacerdotes, qui ſunt ibi præſentes, vel non longè diſtantes, & quilibet eorum in ſolidum. Præ cæteris autem & primò locò tenentur, qui decentiùs id exequi poſſunt, ſeu qui minùs ſunt impediti, & magis ſunt diſpoſiti. Habentes autem impedimentum e. g. non jejuni &c. tenentur 2.do loco in defectum aliorum. Ità DD. apud & cum Quarti cit. Ratio eſt: quia virtus Religionis dictat, hoc obſequium Deo præſtandum eſſe, quàm decentiſſimè fieri poteſt, & cum requiſitis ab Eccleſia præſcriptis; ergo primò locò tenentur, qui poſſunt Sacrum explere cum omnibus requiſitis prædictis; cæteri verò non niſi in defectum. Ex his collige ſequentia.

278. *Primò*: Si adſit Sacerdos jejunus, & qui non celebravit, is tenebitur & debebit

bebit ſupplere; quia convenientiùs id exequi poteſt ſervatis requiſitîs ab Eccleſia, nempe jejuniô naturalî, & ut idem Sacerdos non niſi ſemel eodem die celebret. Si verò non adſit, niſi qui jam celebravit, aut qui non eſt jejunus, hic etiam in defectum jejuni Miſſam illam explere tenebitur. Ratio eſt: quia major eſt obligatio perficiendi Sacrificium, ne mutilum remaneat, quod eſt juris Divini, quàm ſervandi jejunium, & ſimiles leges ab Eccleſia præſcriptas, quæ intelligi debent extra hujusmodi caſus neceſſitatis, ùt expreſsè declaratur in hac Rubrica dicente: *Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum;* docétque D. Thom. Suarez, Bonac. Fagund. Averſa, & alii communiter. Porrò, ſi in hujusmodi caſu adſint duo Sacerdotes, nimirum unus, qui nec celebravit, neque eſt jejunus: alter autem celebravit, & ob ſumptam Purificationem hoc ipſo etiam non ampliùs eſt jejunus, præferendus eſt prior, ut Miſſam defectuoſam ſuppleat; in hoc enim adeſt ſolùm impedimentum, ſeu defectus jejunii: in altero autem adeſt impedimentum duplex, ſcilicet, quia non eſt jejunus, & quia eodem die jam celebravit.

Digitized by Google

279. *Secundò* : Si Sacerdos adſit cum conſcientia peccati mortalis (quando nimirum non ſuppetit copia alterius Sacerdotis eo impedimento carentis) tenebitur confiteri, ſi poſſit; at copiâ Confeſſarii deficiente, tenebitur ſe diſponere per veram contritionem, & ſic perficere Sacrificium relictum ſubſtantialiter imperfectum; quia magìs urget præceptum perficiendi hoc Sacrum, quàm præmittendæ Confeſſionis. Ità Suar. Bonac. Coninch, Filliuc. & alii.

280. *Tertiò* : Si non adſit, niſi Sacerdos excommunicatus, aut ſuſpenſus, aut irregularis, exiſtimant quidem aliqui, eum nec debere, nec poſſe Sacrificium perficere; quia non eſt Miniſter idoneus, & perinde eſt, ac ſi nullus Sacerdos adeſſet; Henriq. Sà. Nihilominus longè probabilius eſt, talem Sacerdotem & poſſe, & debere Sacrificium ab alio ſubſtantialiter inchoatum perficere, ſi non poſſit priùs obtinere abſolutionem, vel diſpenſationem, & nullus alius ſit, qui ſimilî impedimentô carens illud explere poſſit. Ratio eſt : quia magìs urget hoc præceptum perficiendi Sacrificium, quàm ſervandi leges Cenſurarum. Item, quia, ſi Sacerdos poſt Conſecrationem meminerit, ſe eſſe excommunicatum &c. debet nihilominus

per-

perficere Sacrificium, ùt *ſuprà num.* 139. & *ſeq.* dictum eſt; ergo idem dicendum in caſu noſtro de Sacerdote excommunicato, ſuppleturo defectum Sacrificii ab alio ſubſtantialiter inchoati. Ità Fagund. & Coninch. favéntque Suarez, Filliuc. & Bonac. quatenus aſſerunt, hoc præceptum, de quo loquimur, eſſe juris Divini, & magìs urgere, quàm præcepta humana, & videtur communis DD. ſententia, ùt indicat Diana *p. 9. tr. 6. reſol.* 18. apud Quart. cit. Quòdſi nullus Sacerdos reperiatur, qui poſſet Sacrificium explere, Sacramentum in Sacrario foret reponendum, ut altera die ſumatur à Sacerdote ante ablutionem, prout fit de Particulis præconſecratis. Ità Suarez, Henriq. cum aliis. Vide etiam dicta *num.* 149.

281. Quæritur *ſecundò*, intrà quantum temporis ſpatium poſſit Miſſa ab alio Sacerdote ſubſtantialiter inchoata expleri? Ante ℟. ſupponendum eſt *primò*, certum eſſe, teneri eos, qui poſſunt, ſtatim & quàm primùm ſupplere hunc defectum, & explere Miſſam ab alio cœptam. Ratio eſt; quia debet quilibet ità ſupplere defectum, ut perficiatur unum numerô Sacrificium, & eadem moralis actio. Supponendum eſt *ſecundò*, ſi notabile ſpatium, & notabilis

mora

mora interponatur, non poſſe neque licitè, neque validè expleri Miſſam in ordine ad finem intentum, perficiendi ſcilicet idem numerô Sacrificium jam cœptum. Ratio eſt: quia interveniente notabili mora Sacrificium non ampliùs poteſt habere unitatem moralem. Unde graviter peccaret is, ex cujus negligentia voluntaria ea notabilis mora contingeret, quâ poſitâ, omitti potiùs deberet Miſſa ſic imperfecta, & reſervari Sacramentum, ùt ſuprà. Quod idem faciendum, ſi absque alicujus culpa non inveniatur citò Sacerdos, qui poſſit Miſſam prædictam explere. Ità ex communi ſententia notat præſertim Averſa *de Sacrif. q.* 11. *ſect.* 16. §. 10. cum aliis, quos affert Diana *p.* 10. *tr.* 11. *reſol.* 4. apud Quarti cit. *dub.* 5. Quæritur ergo tantummodo, qualis mora, & quantum temporis ſpatium cenſeatur notabile, pugnans cum connexione morali, & continuatione partium ejusdem Miſſæ, & quo poſito, Miſſa deficientis Sacerdotis potiùs relinqui debeat ſic imperfecta, quàm perfici & expleri? ℟. Sententia communis & vera docet, Sacrificium perficiendum eſſe ab alio Sacerdote, ſi citò alius inveniatur, ſi ſit ad manus, ſi præſtò ſit, non autem poſt nimiam dilationem. Nimiam verò dila-

tio-

tionem aliqui putant eſſe integram horam, ut Tanner. apud Dian. *p.* 10. *tr.* 11. *reſol.* 4. Alii paucas horas, e. g. duas. Alii ſolùm excludunt tempus poſt prandium & meridiem. Itaque ante meridiem probabile videtur, ſemper poſſe & debere perfici Miſſam inchoatam, de qua loquimur. Videri poſſunt Averſa, Tanner. cum aliis, quos affert Diana. Sed hæc determinatio patitur inſtantiam; quia hic non quæritur, quonam tempore Miſſa Sacerdotis deficientis ab alio expleri poſſit ac debeat, ſed quæritur, quantum temporis ſpatium determinandum ſit, ut judicari poſſit, moram non eſſe notabilem, & connexionem partium utriusque Sacerdotis, videlicet inchoantis & perficientis adhuc conſtituere unum moraliter Sacrificium? Dicendum igitur eſt, tantum temporis requiri, ut in communi hominum, maximè Doctorum æſtimatione adhuc unum & integrum moraliter Sacrificium conſtituatur. Tale autem tempus cenſetur eſſe una, vel ſeſqui hora, vel ad ſummum duæ horæ. Unde in hoc caſu diſcurrendum eſt, ſicut in illo, ſi ſub Miſſa Concio habetur. Vid. etiam in ſimili *Prænot. n.* 26.

282. Quæritur *tertiò*, quid agendum Sacerdoti deficientis Sacerdotis Sacrificium

ex-

expleturo, ſi penſatîs omnibûs penſandîs neſciatur, nec ſciri poſſit, in qua parte Miſſæ defecerit, e.g. an defecerit ſub prolatione formæ, vel poſt hujus prolationem, ſive Hoſtiæ, ſive Calicis? ℟. Si dubium ſit & perplexitas circa partem eſſentialem Sacrificii, videlicet, an Sacerdos deficiens perfecerit, nec ne, Conſecrationem panis vel vini, debet alter Sacerdos conſecrare eandem materiam, nõ abſolutè, ſed ſub conditione. Unde dicendum eſt *primò*: Si dubium ſit de Conſecratione utriusque ſpeciei, quia ignoratur omnino, in qua parte Miſſæ prior Sacerdos defecerit, non eſt apponenda nova materia; ſed ſatìs eſt, Hoſtiam & Calicem, qui inveniuntur in Altari, ſub conditione conſecrare; quia non eſt offerendum novum Sacrificium, ſed perficiendum jam inchoatum. Similiter, ſi conſtet, primum Sacerdotem conſecrâſſe Hoſtiam, & ignoretur, an conſecraverit etiam Calicem, conſecrandus eſt Calix, qui cum vino invenitur in Altari, ſub conditione, non verò apponendum eſt novum vinum. Ità cum Serra, & Ludov. à San Juan docet Diana *p.* 9. *tr.* 6. *reſol.* 18. & *p.* 10. *tr.* 12. *reſol.* 12. ubi affert Dicaſtill. Præpoſ. & alios. Dicendum *ſecundò*: Quoad partes & ritus accidentales, quando re-

pe-

petenda eſt utraque Conſecratio ſub conditione, ùt ſuprà, & ignoratur etiam, in qua parte Miſſæ defecerit Sacerdos, aliqui dicunt, incipiendum eſſe ab illis verbis, *Qui pridie &c.* ſicut quando repetenda eſt ſola Conſecratio Calicis, incipiendum eſſe à verbis, *ſimili modo &c.* quod probabile eſt, & docet cum aliis Fagund. Sed melius & tutius eſt, debere perficientem incipere Canonem, in quo communiter continentur ritus graves, & forſan omiſſi fuerunt à primo Celebrante, qui defecit. Ità Henriq. *l.* 9. *c.* 40. *n.* 4. Suarez, Filliuc. Dicendum *tertiò*: Si certum ſit, primum Celebrantem conſecrâſſe Hoſtiam & Calicem, incertum verò, quid deinceps dixerit, aut fecerit, incipiat ſecundus Sacerdos ab illis verbis, *Unde & memores &c.* & proſequatur usque ad finem: ſic enim convenientiùs, & absque periculo omiſſionis gravium rituum complebitur Miſſa. Ità cum aliis Suarez & Filliuc.

283. Porrò, pro praxi nota etiam ſequentia. *Primò*: Sacerdos ſecundus, ſeu expleturus Miſſam ab alio inchoatam, debet incipere ab eo loco, ubi primus deſiit. Patet ex Rubrica *ſuprà num.* 275. & eſt ratio: quia ſecundus Sacerdos tolummodo ſubſtituitur loco prioris ad perficiendum

idem

idem Sacrificium, non autem ad conficiendum aliud de novo. DD. communiter. *Secundò*: Tunc ſolùm ſuppleri debet Sacrificii defectus in noſtro caſu, & expleri Miſſa ab alio inchoata, quando Sacrificium à priori Sacerdote fuit ſubſtantialiter inchoatum, id eſt, ſi ſaltem Conſecratio Hoſtiæ jam eſt peracta; ſecus verò, ſi neque pars ulla ſubſtantialis poſita fuerit, nec deſit aliquid ad ſubſtantiam, vel integritatem Sacrificii pertinens. Patet denuo ex Rubrica *ſuprà num.* 274. & D. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad* 1. quem ſequuntur ferè communiter DD. apud Quart. cit. *dub.* 3. Et hoc quidem, etiamſi Celebrans cœpto jam Canone, vel aliqua parte Canonis recitatâ deficiat. D. Thom. Nungus, Coninch. Bonac. Averſa, Azor. &c. Ratio eſt: tum, quia Rubrica mox cit. abſolutè loquitur; tum, quia verè Sacrificium quoad ſubſtantiam, & partes eſſentiales nondum eſt inchoatum, & ubi neceſſitas non cogit, non eſt eadem Miſſa à duobus ſucceſſivè dicenda. Idem dicendum, ſi deficiat Celebrans ſemiprolatâ formâ Conſecrationis Corporis, Rubricâ docente: *Si ſemiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta Conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur.* Addunt aliqui, & meritò,

Digitized by Google

tò, conſultius fore Miſſam aliam integram dicere, qua idem panis, idémque vinum offerantur & conſecrentur. Unde etiam docet Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. ℣. *Regula igitur.* dicens: ſi alius Sacerdos velit illud Sacrificium perficere, debet à principio inchoare, & Miſſam integram dicere; quia, cùm nulla ſit neceſſitas componendi ſeu integrandi miniſterium illud ex duabus perſonis, melius eſt, ut ipſe totum Officium Miſſæ completè perficiat; neque oportet, ut aliam Hoſtiam, vel vinum offerat: nam, cùm priora non fuerint conſecrata, poſſunt iterum offerri & conſecrari. Quod tamen de Sacerdote naturaliter jejuno intellige.

284. *Tertiò:* Si Celebrans deficiat poſt Conſecrationem Corporis, nondum prolatâ, vel ſaltem non completa Conſecratione Calicis quoad ſubſtantiam, poſterior Sacerdos debet conſecrare ſolum vinum, & totam formam ex integro proferre ſuper eundem Calicem, etiamſi prior partem aliquam ejusdem formæ Sanguinis protuliſſet, ſed inſufficienter, debétque incipere ab illis verbis, *Simili modo &c.* uti docent DD. *Quartò:* Si primus Celebrans, qui moritur, vel infirmatur, jam conſecravit utramque ſpeciem, ſed nondum

 per-

pervenit ad ſumptionem, certum eſt, debere expleri Miſſam ab alio Sacerdote; quia deeſt pars integralis, videlicet ſumptio Sacramenti. Debet autem ſecundus Sacerdos incipere ab illa parte Miſſæ, in quà prior deſiit & defecit; quia ſolummodo debet, quod deeſt, perficere, nihil repetere. DD. communiter.

285. *Quintò* : Si prior Celebrans deficiat poſt Sumptionem Corporis, non ſumpto Sanguine, alius Sacerdos ſumat Sanguinem tantùm relictum à priori, qui defecit. Ratio eſt: quia ſumptio utriusque ſpeciei pertinet ſaltem ad integritatem ſubſtantialem Sacrificii. Ità cum aliis Averſa, Diana apud & cum Quarti cit. Si verò primus Sacerdos utramque ſpeciem ſumpſit, & ſtatim defecit, non opus erit ſuppleri ab alio id, quod remanet; quia jam expleta erat tota ſubſtantia Sacrificii: nec refert, quòd deſit aliquid accidentale. Ità Averſa & alii DD. communiter. Curandum tamen eſt, ne ſpecies S. Sanguinis in Calice relictæ pereant. Quare de his idem faciendum eſt, quod in 1.ma, & 2.da Miſſa in Nativitate Domini fieri conſuevit. Vide *ſuprà num.* 162.

286. *Sextò* : Si Sacerdos ſecundus in dictis caſibus ſumpſit ſive unam, ſive

utram-

utramque ſpeciem conſecratam à Sacerdote deficiente relictam, ejúsque Sacrificium explevit, non poterit poſtea de novo aliam Miſſam celebrare, niſi in caſibus exceptis, e. g. in Natali Domini; ſervatîs tamen iîs, quæ eodem die ſæpius celebrantibus aliàs ſervanda ſunt, e. g. ne ſumat Purificationem, niſi in ultima Miſſa &c. Nec dicas: Poſſum, juxta dicta *n.* 278. & teneor Miſſam alterius Sacerdotis deficientis, vel morientis complere, non obſtante, quòd eadem die jam celebraverim; ergo. ℞. negandô conſequentiam & paritatem. Diſparitas eſt; quia ſupplere Miſſam Sacerdotis deficientis non eſt actus libertatis, ſed neceſſitatis, & de præcepto Divino, ut *ſuprà num.* 278. vidimus; ſecus eſt in hoc caſu. Et dic, amabò; vel ſupplevisti Miſſam Sacerdotis deficientis conſecrandô, vel ſolummodo Sacramentum ſumendô? ſi conſecrandô; ergo hoc ipſo non licet tibi ampliùs celebrare, quia aliàs eodem die bis celebrares, quod extra tres caſus *ſuprà num.* 163. notatos, licitum non eſt. Si autem ſupplevisti, Sacramentum ſolummodo ſumendô, rurſus tibi non licet celebrare; quia non licet homini ſano eodem die bis communicare; vel ſemel com-

municare, & ſemel celebrare. Vide dicta *num.* 164.

287. *Septimò* : Si Sacerdos prior poſt Hoſtiæ Conſecrationem deficiat, & Sacerdos ſecundus, ſeu Miſſam prioris ſupplens, Calicémque conſecrans, aliam intentionem applicandi Miſſam habeat, & applicet, prævalet intentio poſterioris, ſeu ſecundi Sacerdotis. Ratio eſt : quia non confertur effectus, niſi dum completur Sacrificium, & ſemper ante complementum eſt in poteſtate Miniſtri mutare intentionem, & ultima intentio prævalet. Ità cum aliis Averſa *de Sacrif. q.* 11. *ſect.* 16. *§.* 10. apud & cum Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 2. Hoc tamen intellige, ſi Sacerdos deficiens incepit Miſſam non obligatoriam; ſi enim incepit obligatoriam, e.g. pro ſtipendio : in hujusmodi caſu prævalet intentio Sacerdotis incipientis, ad hoc, ut Sacerdos complens debeat ad eandem intentionem Miſſam complere. Ratio eſt; quia dans ſtipendium jam acquiſivit jus, ut eadem Miſſa per Sacerdotem deficientem ad ſuam intentionem cœpta, hoc deficiente, per alium compleatur. Quòdſi dubium ſit, an Miſſa per Sacerdotem deficientem cœpta ſit obligatoria, Sacerdos ſupplens Miſ-

Miſſam debet facere applicationem ſub conditione. Vid. etiam dicta *num.* 340. ℣. *Dices.*

288. Ex dictis *num. præc.* deducitur *primò*, quòd Sacerdos ſupplens alterius deficientis Miſſam, & Calicem abſolutè conſecrans, non teneatur ſecundùm inchoantis, ſeu Hoſtiam tantùm conſecrantis intentionem Miſſam explere, ſed poſſit pro libitu ſuo, etiam pro ſtipendio accepto Miſſam applicare, niſi Sacerdos deficiens (juxta dicta *num. præc.*) Miſſam obligatoriam inceperit, aut ſupplens ipſe aliunde, e. g. ex obedientia &c. aliter obligatus ſit. Si autem explevit Miſſam ſecundùm prioris intentionem, ipſius erit ſtipendium, non inchoantis, poſitô, quòd hic pro ſtipendio celebrare intenderit. Ratio eſt: quia intentioni dantis ſtipendium non per inchoantem, ſed per Miſſam complentem ſatisfactum eſt. Dictum eſt autem, *& Calicem abſolutè conſecrans*; ſecus enim dicendum eſſet, ſi conſecravit *ſub conditione*, quando nimirum dubium erat, utrùm Sacerdos deficiens Calicem rite conſecraverit, nec ne; unde, ſtante hoc dubio, non poterit Miſſam pro libitu ſuo alteri applicare, datúmque ſtipendium retinere, quia ſtipendium certum ſupponit applicatio-

Digitized by Google

nem Miſſæ certam. Deducitur *ſecundò*, quòd Sacerdos ſatisfaciat obligationi ſuæ, ſi, etiam pro ſtipendio celebrans, oblitus eſt Miſſam applicare, primúmque ante Conſecrationem Calicis recordatus eam applicat. Quod idem de applicatione Privilegii Altaris intellige. Ratio eſt eadem, quæ *num. præc.* allata eſt.

289. Addit Rubrica: *Si autem non obierit, ſed fuerit infirmus, adeò tamen, ut poſſit communicare, & non adſit alia Hoſtia conſecrata, Sacerdos, qui Miſſam ſupplet, dividat Hoſtiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipſe ſumat.* De hac Rubrica quæritur, an ſit præceptiva, vel directiva? ℞. Eam ex una parte eſſe præceptivam, non autem ex altera. *Præceptiva* eſt; quatenus Sacerdos, qui perficit Miſſam, vel quicunque alius, qui præſtò eſt, tenetur primò Sacerdoti, qui poſt unius, vel utriusque ſpeciei Conſecrationem defecit, & graviter infirmatus eſt cum periculo mortis, miniſtrare Eucharistiam, & præbere Viaticum; quia urget gravis neceſſitas. Et de hoc nullum eſt dubium. Ex altera autem parte Rubrica non eſt præceptiva, quatenus nimirum Sacerdoti infirmato non neceſſariò danda eſt pars Hoſtiæ majoris ab eodem mox conſecratæ. Unde inquit Quarti. *p.* 3. *tit.*

10.

Digitized by Google

10. *n.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 6. vera ſententia docet, Sacerdoti prædicto dandam eſſe aliam Hoſtiam, ſi hæc adſit, etiam ex præconſecratis, quæ conſervantur pro infirmis, & aliis; quòd ſi non adſit, tunc demum dandam illi eſſe partem Hoſtiæ majoris, non quia communicat ùt ſacrificans, ſed ne decedat absque Viatico, vel ne privetur Communione; ſicut fieri debet cum quolibet alio fideli petente Communionem. Veritas hujus ſententiæ patet ex verbis Rubricæ non abſolutè, ſed ſub conditione loquentis, *& non adſit alia Hoſtia conſecrata*; ubi notanter non dicit: *alia Hoſtia ab infirmo Sacerdote in eadem Miſſa conſecrata*, ſed abſolutè, *alia Hoſtia conſecrata*. Gratis ergo fingitur, ſi dicatur, quòd Rubrica loquatur de alia Hoſtia conſecrata ſolùm in eadem Miſſa, non autem in aliis. Ratio dictorum eſt, quæ jam inſinuata; ſcilicet, quia Sacramentum Sacerdoti infirmato non datur, quatenus ſacrificans eſt, ſed quatenus infirmus eſt, & hoc ipſo datur illi more Laicorum, vel Sacerdotum more Laicorum communicantium; ſecus enim, ſi Sacerdoti ſub Miſſa deficienti & quatenus Sacrificanti neceſſariò deberet dari pars Hoſtiæ ab eo conſecratæ, ſequeretur eidem eadem ratione, & quatenus ſacrifi-

Digitized by Google

canti etiam dandam eſſe partem Calicis conſecrati; eò quòd aliàs non conſummaretur plenè Sacrificium, quod tamen nec Rubrica docet, nec ratio probat. Dicendum igitur eſt, Rubricam hanc nihil aliud intendere, niſi quod ſuprà in *Prænot. num.* 23. ℣. 3.*tiò.* de Laico ſub Miſſæ Sacrificio in Eccleſia exiſtente, ſubitô morbô correpto, ſacróque Viaticô providendo dictum eſt, videlicet: Si in hujusmodi caſu Sacerdos nullam haberet Hoſtiam aliam, niſi majorem à ſe mox conſecratam, poſſet tali infirmo porrigere particulam ſuæ Hoſtiæ. Alia vid. *ibid.*

§. IV. *Si quis*, extra hujusmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſimè peccat. *Rubrica.*

290. Ex hac Rubrica certum eſt, teneri Sacerdotem (extra caſus neceſſitatis, vel impotentiæ) graviſſima ſub obligatione in Miſſa ſumere SS. Eucharistiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie, uti conſtat ex Traditione Apoſtolorum *c. Nihil. c. Illud. 7. q. 1. & c. Relatum. de Conſecr. diſt.* 2. docéntque omnes DD. cum D. Thom. 3.*p.q.* 82.*a.*4. eſtque hæc utriusque ſpeciei ſumptio juris Divini

ex

ex inſtitutione Chriſti, ſicut & Conſecratio utriusque ſpeciei, de qua in *Prænot. num.* 2. dictum eſt. Idcirco enim Chriſtus ipſemet ſumpſit in ultima Cœna Sacramentum quoad utramque ſpeciem, ut id, quod cæteris obſervandum mandabat, exemplô ſuô confirmaret, ùt docet D. Thom. 3. *p. q.* 81. *a.* 1. & cum eo DD. communiter. Patet etiam ex facto Chriſti *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. & refertur in Canone Miſſæ ℣. *Qui pridie, quàm &c.* ubi diſcipulis ſuis dedit Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ſuum ad bibendum &c. Et certè; ſi ſumptio utriusque ſpeciei non eſt juris Divini, ſed Eccleſiaſtici tantùm, & diſpenſabilis, cur tanta obligatione adſtringitur alius Sacerdós, etiam non jejunus, imò etiam ille, qui eodem die jam celebravit, ut Sacrificium Sacerdotis infirmati, vel defuncti ſuppleat, & Sacramentum ſumat, ùt mox in præcedentibus audivimus? Manet ergo, obligationem, Sacramentum in Miſſa ſub utraque ſpeciei ſumendi, eſſe juris Divini, & indiſpenſabilem. Ità Lugo *de Evchar. diſp.* 19. *n.* 76. Averſa, Coninch, Fagund. & DD. communiter. Ratio indiſpenſabilitatis eſt: quia Summus Pontifex (idem dic de Eccleſia) non eſt ſupra jus Divinum,

Digitized by Google

neque habet à Chriſto facultatem diſpenſandi in iis, quæ pertinent ad eſſentiam, vel integritatem ſubſtantialem Sacrificii, immediatè ab ipſo Chriſto inſtituti; quamvis diſpenſare poſſit quoad omnes alios ritus, & Cæremonias Miſſæ, etiam quoad Canonem; quia omnes alii ritus non pertinent ad ſubſtantiam, vel ſubſtantialem integritatem Sacrificii, vel Sacramenti, ſed ad Sacramentalia, & Cæremonias accidentales, quæ ſunt juris Eccleſiaſtici. Ledeſma, Dicaſtill. Suarez cum aliis apud Quarti *Quæſt. Proœm. ſect. 2. punct. 6. Difficult. 1.*

§. V. Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante Conſecrationem, proiiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, miſceat parùm aquæ, offerat ùt ſuprà, & proſequatur Miſſam. Si poſt Conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejuſmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino: finitâ Miſſâ comburat, & combuſtio, ac lotio hujuſmodi in Sacrarium proiiciatur. Si autem

non

non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine. *Rubrica.*

291. Rubrica hæc duas continet Particulas. *Primò*, dicit: *Si muſca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante Conſecrationem, proiiciat* (Sacerdos) *vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, miſceat parùm aquæ, offerat ùt ſuprà, & proſequatur Miſſam.* In hoc caſu eadem facienda ſunt, quæ *ſuprà num.* 64. dicta habentur. Si tamen muſca, vel aliud quid non venenoſum ante Conſecrationem in Calicem cecidit, poterit Sacerdos, maximè ſi aliud vinum commodè habere nequit, nec nauſeâ &c. aliud ſuadet, illud extrahere, proiicere, vinúmque in Calice jam poſitum conſecrare; quia per extractionem hujusmodi rei tollitur omnis irreverentia, & Rubrica quoad hoc per ſe ſolummodo eſt directiva. Secus eſt, ſi aliquid venenoſum ceciderit; in hoc enim caſu juxta præſcriptum Rubricæ faciendum eſt, ſicque vitatur omne periculum irreverentiæ &c.

292. *Secundò*, dicit Rubrica: *Si poſt Conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino: finitâ Miſſâ comburat, & combuſtio,*

buſtio, *ac lotio hujusmodi in Sacrarium proiicia-tur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sangume.* Ubi notandum eſt, hanc Rubricam loqui de muica, vel alia re non venenoſa; quo notato, ſequitur: ſi poſt Conſecrationem aliquid non venenoſum cadat in Calicem, & Sacerdos poteſt ſinè periculo vomitûs totum ſumere, ità erit exequendum propter reverentiam Sacramenti: ſi verò ſinè incommodo, vel periculo vomitûs hoc fieri non poteſt, debet extrahi animal, & fieri, prout in Rubrica præſcribitur; ſic enim poterit ſinè nauſea ſumi à Celebrante S. Sanguis, & ritè perfici Sacrificium. Ità cum D. Thom. docent alii DD. communiter, Suarez, Filliuc. &c. apud Quart. in *Explic. lit.* hìc. Vid. etiam dicenda *infrà num.* 332. *in fine*.

293. At quid, ſi facta extractione muſcæ, vel alterius rei non venenoſæ è Calice, adhuc revera fiat nauſea Sacerdoti, ità, ut non poſſit Sanguinem ſumere abſque periculo vomitûs? ℟. Sacerdotem in hoc caſu non debere ſumere illum Sanguinem, ſtante periculo vomitûs. Quapropter (ſervatîs iis, quæ *num.* 64. dicta ſunt) debet conſècrare de novo Sanguinem, eúmque ſumère, ne Sacrificium maneat imperfe-

ctum.

ctum. Alter verò Calix, extractâ muſcâ, conſervandus erit, donec vel ab alio Sacerdote (qui vomitum non timet) in alia Miſſa poſt ſumptum Sanguinem à ſe conſecratum conſumi poſſit; vel (ſi hoc fieri nequit) conſervandus erit, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, juxta dicenda §. *ſeq. de S. Sanguine venenô infecto*, ubi (ùt inquit Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 5. *dub.* 1.) id præſcribitur, non ſolùm in caſu veneni, ſed etiam in caſu, ſi ſpecies illæ provocarent vomitum, & docet Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. §. *ſecundò*, *poteſt accidere.* Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 3. *n.* 2. & alii communiter. Ità ille.

§. VI. Si aliquid venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſecrandum : & finitâ Miſſâ, Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtuppa tamdiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in Sacrarium projiciatur. *Rubrica.*

294. Rubrica hæc equidem præſcribit, ut, ſi aliquid venenoſum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponatur in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponatur & conſecretur (ſubintellige, conformiter dictis *num.* 64.) hoc tamen neceſſe non eſt, ſed ſufficit, ſi relicto Sanguine venenoſo in priori Calice, accipiat alium Calicem, vinúmque cum aqua in eo de novo poſitum conſecret. De reliquo ex hoc (id eſt, ex hac Rubrica) patet, ſufficere, ſi vinum tunc conſecretur ad ſumptionem, non autem ad integritatem Conſecrationis, quæ verè facta fuit in utraque vera ſpecie. Gavant. hìc.

295. Porrò, ex hac Rubrica cape ſequentia. *Primò*: ſi venenum fuerit ſpeciebus vini admixtum, & id advertat Sacerdos ante Conſecrationem, proiiciendum erit illud vinum in locum decentem, & novum in Calice ponendum, uti *num.* 291. dictum habes. Si poſt Conſecrationem Calicis advertat, nullo modo debet ſumi, ne Calix vitæ vertatur in mortem, ùt docet, hanc rationem adducens, D. Thom. 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad* 3. quem ſequuntur DD. communiter. *Secundò*: Tenetur Celebrans omnino, remotîs ſpeciebûs vini

vene-

venenô infectîs, aliud de novo modicâ aquâ mixtum conſecrare, & ſumere; quia ſumptio utriusque ſpeciei pertinet ad integritatem Sacrificii, & jure Divino præcipitur. Ità D. Thom. Filliuc. Averſa, & DD. communiter. Vid. etiam *ſuprà num.* 290.

296. *Tertiò*: Si Sacerdos poſt Calicis Conſecrationem deprehendat, utramque ſpeciem tam panis, quàm vini, venenô infectam eſſe, tenetur (ſervatîs ſervandîs) denuo conſecrare novum panem & novum vinum, ut ſumat, & Sacrificium perficiat. Ratio eſt; quia ſumptio Sacramenti eſt abſolutè neceſſaria ad integritatem ſubſtantialem Sacrificii; nec oppoſitum (prout loquitur Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *n.* 6. *dub.* 1.) eſt ullo modo probabile. Quòdſi verò venenum Sanguini tantùm ſit admixtum, non etiam Hoſtiæ, tunc ſolum vinum novum eſt conſecrandum. Sed

297. Quæres, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi venenum non advertat, niſi poſt ſumptionem Sacramenti venenô infecti? ℟. Eum adhibere poſſe aliquod medium, ut evomat, etiamſi ſpecies adhuc putentur integræ & incorruptæ. Ità Henriq. *l.* 9. *c.* 37. *n.* 4. Bonac. *de Sacram. diſp.* 4. *q. ult. punc.* 10. *n.* 11. cum Tabiena ℣. *Miſſa n.* 32. &

& aliis. Ratio eſt: quia, ſicut ob periculum gravis infirmitatis, vel omnino mortis, non tenebatur eas ſumere, ſi priùs monitus fuiſſet; ità pari ratione non tenetur eas retinere, ne, ùt *num.* 295. dictum eſt, Calix, ſeu Sacramentum vitæ vertatur in mortem. Vid. etiam Gavant. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 14. Porrò, notandum hìc eſt, quod Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 14. *dub.* 4. docet, videlicet; vomitum poſt ſumptam Eucharistiam provocare, licitum eſſe in eo ſolùm eventu, quando cognoſcit Sacerdos, vel alius, qui communicavit, ſpecies à ſe ſumptas fuiſſe venenô infectas, vel ſimili tabe, qua valde ſaluti noceant, etiamſi ſpecies integræ eſſent eiiciendæ, & vi caloris naturalis nondum alteratæ. Extra hunc caſum id nunquam eſt licitum, quamdiu ſpecies putantur integræ perſeverare, & nondum ſunt corruptæ à calore naturali. Vid. etiam Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. *§.* 8. *n.* 5. Si tamen poſt ſpatium competens moraliter certum eſt, eas eſſe corruptas, utique id ex rationabili caſu licitum erit. Cæterùm in dicto caſu vomitus mitti debet in aliquod vas mundum, & ſervari, donec corrumpantur ſpecies, ut proiiciantur in Sacrarium. Reliqua patent ex ipſa Rubrica cit.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII. Si aliquod venenatum contigerit Hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modô, quo dictum eſt, & illa ſervetur in tabernaculo locô ſeparatô, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium. *Rubrica.*

298. Id, quod *§. præc.* dictum eſt de ſpeciebus vini, ſi illis fuerit admiſtum venenum, proportionaliter dicendum etiam eſt de Hoſtia, ſi ab aliquo venenato contacta fuerit, ſive ante, ſive poſt Conſecrationem; & in hac Rubrica declaratur, videlicet ut Sacerdos Hoſtiam alteram (juxta dicta *num.* 31.) conſecret & ſumat, & prior ſervetur, ùt hìc exprimitur. Eſt autem per verba, *ſi contigerit Hoſtiam*, non intelligendus quilibet tactus, ſed talis, ex quo Hoſtia venenô inficitur. Porrò, ùt notat Gavant. hìc ex Genuenſi, ea, quæ ſunt à fulmine tacta, venenata cenſentur; & ità fuit à DD. deciſum. Quòd ſi Sacerdos non advertat venenum, niſi poſt ſumptionem Hoſtiæ conſecratæ, ſervanda ſunt ea, quæ *num. præc.* dicta ſunt. Cætera patent ex Rubrica.

Digitized by Google

§. VIII. Si ſumendô Sanguinem, Particula remanſerit in Calice, digitô ad labium Calicis eam adducat, & ſumat ante Purificationem : vel infundat vinum, & ſumat. *Rubrica.*

299. Docet hæc Rubrica duplicem modum, ſumendi Particulam conſecratæ Hoſtiæ poſt ſumptionem Sanguinis in Calice remanentem; communî tamen DD. calculô ſecundus modus eſt aptior, decentior, & in praxi eligendus. Gav. hic. Nec obſtat præceptum jejunii; quia ſolùm eô præcipitur, ut quis accedat jejunus ad integram Communionem, & ſumptionem Sacramenti abſolutè, & per ſe. Quòdſi aliquid ex ſpeciebus ſumendum ſuperſit tanquam circumſtantia,& reliquia Communionis jam inchoatæ, non obſtat eidem præcepto, illud ſumere ſimul cum vino, vel poſt aliquam vini partem jam hauſtam, non per ſe, & directè, ſed in ordine ad decentiùs perficiendam, & complendam Sacramenti ſumptionem. Ità Suar. Sylv. Victoria, Cajet. Navar. Averſa, & alii apud & cum Quart. *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 1. *dub.* 7. Quòdſi hujusmodi Particulam Sacerdos advertat poſt ſumptam Purificatio-

nem

nem, infundat ablutionem, & illam ſimul cum hac ſumat. Si inveniat etiam poſt ſumptam ablutionem, nihilominus eam ſumat; eadem enim eſt ratio de hac Particula, quæ de aliis reliquiis, de quibus dictum eſt *ſuprà tit.* 7. §. 2. & *num.* 95. *& ſeqq.*

§. IX. Si Hoſtia ante Conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis Hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur. Quòdſi illius Hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòdſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit. *Rubrica.*

300. Unum ex hac Rubrica advertendum eſt, quòd verba, *eam poſt ablutionem ſumat*, non cadant ſub præcepto. Unde quamvis optimum conſilium ſit, ut Celebrans talem Hoſtiam juxta præſcriptum Rubricæ ipſe ſumat, nihilominus poterit eam, tanquam panem benedictum, alteri

tradere reverenter & cum devotione ſumendam; dummodo non proiiciatur, nec ad uſus omnino profanos applicetur.

§. X. Si propter frigus, vel negligentiam Hoſtia conſecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil eſt reiterandum, ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendô cæremonias, & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta Sanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat omittendô ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem, ſignans ſe cum Calice, & dicens: *Corpus, & Sanguis Domini noſtri JESU Chriſti &c.* Rubrica.

301. Quæritur, utrùm Sacerdos graviter peccet, ſi per ejus negligentiam Hoſtia dilabatur in Calicem? ℟. det Quarti hìc, affirmativè, ſi tamen negligentia gravis ſit, & cum ſufficienti advertentia, totáque Hoſtia madefiat. Ratio eſt: quia eſt cauſa omiſſionis rituum gravium, ma-

gnis

gnique myſterii, puta, fractionis Hoſtiæ, immiſſionis Particulæ in Calicem, de quibus dictum eſt in *Prænot. num.* 16.

§. XI. Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannîs calefactîs: ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat. *Rubrica.*

302. Proponuntur in hac Rubrica media, quibûs utendum eſt Sacerdoti in caſu, quo Sanguis in Calice congelatur. Sed quid faciendum, ſi Sanguis congelatus etiam adhibito igne, ſeu prunîs liquefieri nequeat? vel quid, ſi ne ignis quidem haberi poſſit, vel, quæ diſponit Rubrica, cum notabili offenſione populi fieri deberent? ℟. det Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 9. dicens: Suarez *de Sacram. diſp.* 85. *ſec.* 1. §. 3. rectè ſimili in caſu monet, ut digitô reverenter comminuatur: nam ſic in particulas redactus aſſumi poterit. Si pars Sanguinis congelata, pars verò liquefacta ſit, ſufficiet, hanc liquefactam partem ſumere, illam verò, ùt poteſt, deglutire. Quòd ſi petas, an non liceat ſpecies San-

guinis congelatas oris halitu ſolvere ? ℟.det Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 3. *n.* 159. dicens: Hunc ruſticiſmum, poſt Suarez & alios meritò reprobat, & diſſuadet Gobat *num.* 55. idque maximè in propoſito, poſt Conſecrationem, dicens: *Sanè mallem glaciatum, digitô tamen reverenter comminutum* (Sanguinem) *ſumere, quàm halitu ſolutum.* Hæc ille. Quoniam verò Rubrica hoc loco nihil dicit de vino congelato conſecrando, hinc

303. Quæritur, utrùm vinum congelatum validè, vel etiàm licitè conſecrari valeat ? ℟. 1. Vinum congelatum poſſe validè conſecrari, affirmant communiùs DD. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 3. *n.* 25. Sporer cit. Herincx, Boſco, la Croix, Suarez, Coninch, aliique apud & cum Tambur. cit. *n.* 11. contra Henriq. Ledeſm. Alan. & alios. Ratio negantium eſt: quia putant, vinum per congelationem ſemper, vel ferè ſemper ſubſtantialiter corrumpi. Ratio affirmantium eſt: quia vinum congelatum adhuc eſt verum vinum ſubſtantialiter; non enim per congelationem corrumpitur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter tantùm mutatur, quandoquidem poſtea liquefactum retinet eundem colorem, odorem, ſaporem, etſi virtute nonnihil diminutâ.

Et

Digitized by Google

Et certè, ſi vinum per congelationem ſubſtantialiter corrumperetur, hoc ipſo poſt factam liquefactionem non ampliùs eſſet vinum, ſed vel acetum, vel alius liquor validè non conſecrabilis, ùt *tit.* 4. *§.* 1. dictum eſt: atqui hoc probari non poteſt; ergo. Nec obſtat, quòd vinum congelatum non ſit actu & proximè potabile; quia actualis potatio non eſt de eſſentia hujus Sacramenti, ſicuti tamen actualis affuſio aquæ, ſeu ablutio eſt de eſſentia Baptiſmi. Sufficit ergo, ſi vinum ſimpliciter per ſe, & ex natura ſua ſit potabile. Tambur. cit. *num.* 12. Sporer *ubi ſuprà.*

304. ℞. 2. Utrùm vinum congelatum licitè conſecrari valeat, duplex eſt DD. ſententia. *Prima* negat, poſſe licitè conſecrari, ſed fore peccatum mortale; quia fieret contra Eccleſiæ conſuetudinem, quam communiter DD. exiſtimant habere vim legis &c. Ità Quarti hìc *dub. un.* Sporer cit. Coninch *de Euch. q.* 74. *a.* 5. *n.* 127. apud Tambur. cit. *n.* 14. *Secunda* ſententia docet, non eſſe peccatum in vino congelato conſecrare, quamvìs ſit contra conſuetudinem Eccleſiæ. Ità Vaſquez allatus & approbatus ab Hurtado *de Sacram. diſp.* 2. *de Euch. Diffic.* 9. *in fine.* apud Tambur. cit. Paſqual. *tr.* 1. *de ſupplend. Defect. &c. in Sacrif.*

Digitized by Google

q. 309. *n.* 5. Pro quo, ùt notat Paſq. cit. advertendum eſt, quòd aliud ſit, quòd accipiatur, ſeu in Calice ponatur vinum congelatum, ut conſecretur; & aliud, quòd, ſi congeletur in Calice, poſſit conſecrari. Hoc ſecundum eſt, quod aſſeritur, nimirum vinum, ſi congeletur in Calice, poſſe licitè conſecrari: nam primum non careret peccatô veniali, ſecluſa neceſſitate; quia non adhiberetur tota illa diligentia, quæ eſſet neceſſaria pro reverentia tanti Sacrificii in præparanda materia. Ratio autem ſecundi, ſeu licitæ Conſecrationis in dicto caſu eſt; quia fieri poteſt Conſecratio in omni materia, quæ eſt ſecundùm inſtitutionem Chriſti & Eccleſiæ, niſi obſtet aliqua prohibitio, aut irreverentia; atqui de prohibitione non conſtat: conſuetudo enim Eccleſiæ non habet vim legis, vel ſaltem non conſtat ſervari, vel ſervandam eſſe ùt neceſſariam & obligatoriam. Nec locum habet irreverentia; quia congelatio non reddit materiam deteriorem, ſicut contingit, quando vinum incipit aceſcere; nec ſordentem, ſicut ſi vinum eſſet ſpillum, quale eſt, quod è fundo dolii hauritur &c. ergo. Vid. etiam Tambur. cit.

§. XII.

§. XII. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſiquidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, linguâ lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatìs eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò ſuper lapidem Altaris ceciderit, ſorbeat Sacerdos ſtillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proiiciatur. Si ſuper linteum Altaris, & ad aliud linteum ſtilla pervenit, ſi usque ad tertium; linteamina ter abluantur, ubi ſtilla ceciderit, Calice ſuppoſito, & aqua ablutionis in Sacrarium proiiciatur. Quòdſi in ipſo ſolùm Corporali, aut ſi in veſtibus ipſis Sacerdotalibus ceciderit, debent ſimiliter ablui, & ablutio in Sacrarium proiici, ſi in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ùt ſuprà. *Rubrica.*

305. Id, quod diſponitur in hac Rubrica in caſu effuſionis Sanguinis Chriſti

è Calice, Decretum eſt Pii Papæ I. *c. Si per negligentiam. de Conſecr. diſt.* 2. ſed adde, *Primò*, à Sacerdote tantùm ea fieri debere, quæ Rubrica hæc jubet, Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. quamvìs Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 8. *num.* 2. putet, lotionem à Diacono fieri poſſe, ſi Sacerdos fortè non poſſit. *Secundò*, multa eſſe antiquata per hanc Rubricam ex iis, quæ Pius hac de re ſtatuerat; cujuſmodi ſunt abſciſſio veſtium, & combuſtio, intrà Altare combuſtorum repoſitio, ſumptio lotionis. Unde hodie nulla eſt obligatio talia faciendi. Pœnæ quoque non ſunt in uſu, & ideò in Miſſali omittuntur, ùt notat Suarez *ibid.* quæ erunt deinceps imponendæ arbitriô Superioris: nec ullam tenetur Sacerdos ſubire, niſi impoſitam; Deo tamen ſatisfaciat. *Tertiò*, aliqua adduntur in Rubrica ſatis ſimilia prædictis, de quibus non meminit Pius, ùt quando cadit ſuper veſtes Sacerdotis, pannum, & tapete ſubſtratum. Hæc Gavant. hìc. Quibûs notatîs, ſequitur ex Rubrica

306. *Primò*: Si aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit ſuper terram, vel ſuper tabulam, debet priùs Sanguis à Sacerdote linguâ diligenter lambi, ſi ibi ſit ſtilla, quæ ſorberi poteſt; terra autem ipſa, vel tabu-

la

la non eſt ſub præcepto, ut lambatur, ſi ibi ſtilla Sanguinis non extat, quæ ſorberi poteſt. Hoc, ex ſuppoſito, facto, locus ipſe radendus eſt, & abraſio comburenda (quando videlicet exſiccata eſt, ità, ut non perſeverent ſpecies vini, nec ibi ſit ampliùs Sanguis Chriſti) & tandem cinis in Sacrarium recondendus. Dictum eſt autem, *debet Sanguis à Sacerdote lambi*; quia nulli alteri licet Sanguinem Domini proximè attingere, ùt notat Suarez; qui etiam advertit, accuratè obſervandum eſſe, ne locus ille conculcetur, priusquam bene corradatur, ùt in textu Rubricæ præcipitur.

307. *Secundò*: Si ceciderit Sanguis ſuper lapidem Altaris, id eſt, ſuper aram conſecratam, ſorbeat eum Sacerdos, ùt ſuprà, & locus bene abluatur, atque ablutio in Sacrarium reponatur. In quo caſu non præcipitur, ut radatur Altare, id eſt, ipſa Ara conſecrata; cùm ſit locus ſacer, nec expoſitus periculo conculcationis, vel ſimilis injuriæ, & ideo radi non debet. At verò, ſi cadat Sanguis in reliquam partem materialem Altaris non conſecratam, ea debet radi, ſicut dictum eſt, quando cadit in terram, ùt bene notat Suarez *to. 3. in. 3.*

p. diſp.

p. diſp. 85. *ſec.* 1. *§.* 6. apud & cum Quart. *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 12. in *Expoſit. lit.*

308. *Tertiò* : Si ceciderit Sanguis ſuper linteamina Altaris, ſingula, ad quæ pervenerit aliqua ſtilla, ter ablui debent ſuppoſito Galice, & aqua ablutionis in Sacrarium proiicienda eſt. Itaque ſi primum tantùm linteum appareat Sanguine madefactum, hoc ſolum, & non alia, trina illa ablutione purificari debet : quòd ſi ulterius penetraverit ad ſecundum, vel uſque ad tertium, omnia & ſingula ter ablui debent, ùt conſtat *c. cit. Si per negligentiam.* & docent DD. communiter.

309. *Quartò* : Si Sanguis in ipſo ſolùm Corporali, aut in veſtibus ipſis Sacerdotalibus, aut in ſubſtrato pedibus panno, vel tapeto ceciderit, debent ſimiliter ter ablui, & ablutio in Sacrarium proiici. Quòd ſi Sanguis defluat in barbam Sacerdotis, ſatìs eſt, ſi trina lotione barbam purget, & lotionem in Sacrarium proiiciat. Bonac. Quarti hic *dub.* 4. Gavant. Porrò, hactenus dicta etiam obſervanda ſunt omnia, ſi citra negligentiam, abſque culpa, & omnino caſualiter, vel invincibili inadvertentia contingat Sanguinis Chriſti effuſio ; ea quippe adhibentur propter reverentiam SS. Sacramenti.

310.

310. Quæres autem, utrùm hæc Rubrica cadat ſub præcepto? ℟. affirmativè. Unde, ſi nulla adhibeatur diligentia, vel omittatur ea, quæ Jure præſcribitur quoad partem notabilem, grave peccatum committitur, e.g. ſi non radatur terra, vel tabula, ſuper quam cecidit Sanguis Chriſti, vel ſi nullo modo lavetur linteum &c. Ità DD. apud & cum Quarti hìc *dub.* 1. Ratio eſt: tum, quia talis omiſſio eſt transgreſſio rigoroſi præcepti Juris communis in materia gravi; tum, quia ex eadem omiſſione ſequitur notabilis irreverentia contra Sacramentum. Quòdſi verò omiſſio diligentiæ debitæ & Jure præceptæ ſit quoad partem modicam, eſt peccatum veniale. *Ibid.*

311. Quæres denuo, quid agendum Sacerdoti, ſi effundatur vinum Purificationis, poſt ſumptum Sanguinem in Calice poſitum? ℟. Tametſi non videatur neceſſaria ex præcepto eadem diligentia, quæ Jure Canonico præcipitur adhibenda in caſu effuſionis Sanguinis; nihilominus tenetur Sacerdos, ſaltem jure naturali, adhibere aliquam diligentiam, qualem recta ratio dictat eſſe neceſſariam ad obviandum irreverentiæ ſpecierum conſecratarum, quæ cum vino Purificationis ſunt admixtæ.

Ra-

Ratio eſt : quia jus naturale, imò & poſitivum, dictat, ſpecies conſecratas ſummâ reverentiâ tractari debere, & vitandam omnino eſſe omnem irreverentiam contra illas. Quòd autem tanta diligentia non ſit neceſſaria, quanta in facta effuſione Sanguinis, ratio eſt: quia in hoc caſu certum eſt, eſſe Chriſti Sanguinem; in priori autem caſu incertum eſt, an etiam modiciſſimæ Sanguinis in Calice relictæ ſpecies ſimul cum vino ſint effuſæ. Unde ſufficit, ſi ſaltem talis diligentia adhibeatur, qualem recta ratio ſufficere dictaverit. Ergo pro praxi

312. Collige *primò*: Si Purificatio cadat ſuper terram, vel tabulam, eſt neceſſaria abraſio, & eadem ferè diligentia, quæ præcipitur in caſu effuſionis Sanguinis, ne, ſi fortè ſint ibi ſpecies conſecratæ, conculcentur cum gravi irreverentia. Collige 2.*dò*: Si ceciderit Purificatio ſuper Corporale, vel ſuper linteum, diſtinguendum eſt; nam ſi, antequam exſiccentur ſpecies, ſit abſolutum Sacrum, videtur neceſſaria ſaltem unica lotio, quæ in Sacrarium proiicienda eſt: ſi verò exſiccatæ ſint, non videtur neceſſaria alia diligentia; quia nullum ſequitur inconveniens, & potiùs

mu-

mutari debent linteamina propter munditiem Altaris.

§. XIII. At ſi contingat totum Sanguinem poſt Conſecrationem effundi, ſi quidem aliquid vel parùm remanſit, illud ſumatur, & de effuſo reliquo Sanguine fiat, ùt dictum eſt (§. *præc.*) Si verò nihil omnino remanſit, ponat iterum vinum & aquam, & conſecret ab eo loco, *Simili modo, poſtquam &c.* factâ priùs tamen Calicis Oblatione, ùt ſuprà. *Rubrica.*

313. Si totus Sanguis effundatur, diſtinguendum eſt, ùt hæc ipſa Rubrica habet, videlicet: Si aliquid, vel parùm Sanguinis remanſit in Calice (adde, vel extra Calicem, ità, ut ſorberi poſſit, Quarti hìc) illud ſumatur, nec opus erit nova Conſecratione; quia talis ſumptio etiam minimæ partis ſpecierum Sacramentalium ſufficit ad perfectionem Sacrificii, cùm ſub qualibet ſtilla ſit totus Chriſtus, prout fides Catholica docet, Gavant. &c. Si verò nihil omnino remanſit, quod ſumi vel ſor-

beri

beri poſſet, iteranda eſt Conſecratio Calicis tantùm, juxta modum tum in hac Rubrica, tum *tit.* 4. §. 4. & *num.* 65. notatum. Dato autem caſu, ſi haberi non poſſit aliud vinum, procedendum erit conſormiter dictis *tit.* 4. §. 8. & *num.* 71.

§. XIV. Si Sacerdos evomat Evchariſtiam, ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, niſi nauſea fiat: tunc enim ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in Sacrarium proiiciantur. Quòdſi ſpecies non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur. *Rubrica.*

314. In caſu vomitûs hac Rubrica præſcribitur, ut, ſi ſpecies integræ appareant, reverenter ſumantur, id eſt, vel ab eodem Sacerdote, etiam non jejuno, intrà tempus, quo moraliter durat Sacrificium; quia pertinent ad ejusdem Sacrificii integritatẽ: vel ſumatur ab alio jejuno, modò neutri fiat nauſea; quia non debet Sacramentum exponi novo periculo vomitûs. Quarti

in

in *Explic. lit.* hìc. Quòdſi nauſea fiat, vel ſpecies non appareant, faciendum eſt, quod hæc Rubrica præſcribit.

315. Dubitabis autem, utrùm, ſi ſpecies conſecratæ non appareant, vomitus ſtatim comburi debeat, vel ſit aliquamdiu expectandum? ℟. Tunc eſſe comburendum vomitum, quando prudenter judicatur, ſpecies conſecratas jam eſſe corruptas; non verò antè, quando putatur, ibî adeſſe ſpecies integras, ſeu non corruptas. Ità Bonac. *de Sacram. diſp.* 4. *q. ult. punc.* 10. *num.* 9. Tambur. cit. *num.* 4. & alii. Ratio eſt: quia ſacrilegium foret, comburere ſpecies conſecratas, ſi ſub illis, quamvis non apparentibus, adhuc perſeverat Chriſtus. Palud. Sylveſt. Tambur. cit. & alii. Unde in hoc caſu expectandum, vomitúſque conſervandus erit, donec prudenter judicatum fuerit, ſpecies eſſe corruptas, tunc enim comburendus, & cineres in Sacrarium mittendi ſunt. Porrò, ſi vomitus poſt ſumptam Eucharíſtiam ſequatur tantò temporis ſpatiô interjectô, ut moraliter certum ſit, ſpecies jam eſſe corruptas, tunc de vomitu nihil curandum erit.

316. Petes, utrùm, ſi Celebrans evomat ſpecies conſecratas ſtatim poſt ſumptionem, poſſit vel debeat iterum conſe-

crare ad iterum ſumendum, ſuppoſitô, quòd ſpecies ejectas ob nauſeam denuo ſumere nequeat? ℞. nec debere, nec poſſe iterum conſecrare ad iterum ſumendum. Ità Quarti cit. *dub.* 3. Quòd non teneatur, ratio eſt: quia Sacrificium integraliter completur, & perficitur per ſpecierum ſumptionem, non verò per earundem retentionem & digeſtionem; ſicut ille rectè dicitur manducâſſe, vel bibiſſe, qui cibum vel potum per guttur in ſtomachum trajecit quidem, attamen per vomitum mox iterum ejecit. Accedit, quòd Evchariſtia ex opere operato conferat effectum gratiæ ſanctificantis, quando ſpecies deglutiuntur, ac ex ore in ſtomachum trajiciuntur, utì cum communi docet Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 4. *q.* 7. *n.* 61. vel, uti Coninch, & plures alii probabiliùs (inquit Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 4. *ſect.* 1. *n.* 213.) cenſent, tunc primùm conferri gratiam, quando Hoſtia, vel pars illius (adeóque ipſe Chriſtus) primò in ſtomachum recepta eſt: tunc enim quis eſt perfectè manducans, & eò usque cibus Corporalis non habet ſe per modum nutrimenti. Cùm igitur vomitus non tollat veram ſumptionem præfatam, ſed eam ſupponat, ergo non obſtat perfectioni Sacrificii ejectio ſpecierum per vo-

vomitum, & conſequenter nec debet Celebrans de novo conſecrare. Secus foret, ſi quis per vomitum ſpecies iterum eiiceret, priusquam ſtomachum attingerent; ſiquidem, ùt inquit Sporer cit. cenſeretur jejunus, qui cibum eiiceret, priusquam ſtomachum attingeret; ergo etiam in hoc caſu deberet, per ſe loquendô, de novo conſecrare aliam materiam, & ſumere; quia ſpecies conſecratas, tanquam cibum ſpiritualem verè & legitimè non ſumpſit, nec Sacrificium integrè perfecit.

317. Dictum eſt autem, *per ſe loquendô*, id eſt, ſi non ſit periculum, ſecundas quoque conſecratas ſpecies per vomitum eiiciendi; ſi enim vomitus hujusmodi contigit, dum Sacerdos adhuc (ùt ſupponitur) erat in Altari, ſtatim poſt ſumptionem, & non poteſt moraliter iterum ſumere novam conſecratam materiam absque ſimili periculo vomitûs, quia perſeverat moraliter eadem indiſpoſitio, non poteſt iterum conſecrare ad ſumendum. Praxin in hoc puncto quod attinet, ordinariè præſumendum eſt, ſpecies per vomitum iterum ejectas ſtomachum attigiſſe, & conſequenter Sacerdotem (niſi de contrario moraliter certò conſtet) de novo conſecrare non debere.

Digitized by Google

318. Quòd autem Celebrans, in caſu ad initium *num.* 316. poſitô, de novo celebrare non poſſit, ratio eſt : quia Sacrificium & ſubſtantialiter, & integraliter jam eſt completum. Quòd ſit ſubſtantialiter completum, ſupponitur ex dictis in *Præ-not. num.* 2. Quòd autem integraliter quoque ſit perfectum, patet ex mox dictis. Nec urget defectus accidentalis; quia propter hunc nihil repetendum eſſe, certum eſt; conſtátque ex eo, quòd Sacerdos, qui vinum aquâ non mixtum conſecravit, & hujus defectus accidentalis poſt peractam conſecrationem memor factus, nec aquam SS. Sanguini affundere, nec quoad hoc quidquam ſupplere, vel addere habeat. Vid. dicta *tit.* 4. §. 7. & *n.* 70. Aliud de vomitu vid. *ſuprà num.* 297.

§. XV. Si Hoſtia conſecrata, vel aliqua ejus Particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus, ubi cecidit, mundetur, & aliquantulùm abradatur, & pulvis, ſeu abraſio hujuſmodi in Sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, ſeu alio quovis modo in ali-

quod

Digitized by Google

quod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipſa in Sacrarium effundatur. *Rubrica.*

319. Sicut in priori Rubrica *ſ.* 12. *& ſeq.* actum eſt de effuſione S. Sanguinis, ità in hac docentur Sacerdotes, quid faciendum ſit, ſi S. Hoſtia, vel aliqua ejus Particula in terram &c. deciderit. Quamvìs autem *loc. cit.* præſcribatur, ut Sanguis, qui ſuper terram, vel tabulam decidit, linguâ lambatur; hoc tamen, ſi Hoſtia, vel Particula ejus conſecrata in terram ceciderit, non eſt neceſſe, ſed ſufficit, ſi reverenter tollatur, & cætera fiant, ùt in Rubrica hac præſcribuntur. Hanc autem Rubricam Caſtald. in *Praxi Cærem. l.* 2. *ſect.* 14. *c.* 7, *num.* 11. explicat hîs ferè verbîs: Si, dum fit Communio, aliqua Hoſtia excidat in terram, reverenter eam Sacerdos accipiat, locúsque, in quem ceciderit, ſignetur, atque aliquid interim ſuperimponatur, ne à tranſeuntibus fortè conculcetur; poſtmodum opportuno tempore abradatur, & pulvis ſeu abraſſio in Sacrarium proiiciatur. Si ceciderit ſupra mappam, vel velum, hujusmodi mappa vel velum ſignetur,

ac poſtmodum diligenter lavetur; ipſa verò lotio in Sacrarii piſcinam proiiciatur. Si ſupra veſtes communicantium ceciderit, locus ſignetur, ac poſtea lavetur; quòd ſi commodè, vel decenter fieri non poterit, ſi fortè aliquam mulierem tetigerit, eidem, ut veſtem, vel locum à Sacramento tactum lavet, Miniſter committat, & lotionem, ùt ſuprà, in Sacrarium proiiciat. Hæc ille. Quòd ſi quæras, à quonam hujusmodi res ordinariè in hoc caſu lavari debeant? ℞.det Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. *§.* 8. *n.* 2. eoſdem poſſe lavare, qui lavare poſſunt Corporalia & Purificatoria.

320. Nota tamen, hæc dicta quoad lotionem veſtium in praxi vix ſtabilem locum habere poſſe, præſertim ſi communicans pretioſis indutus eſt veſtibûs; unde ſi timetur, ne veſtis ex lotione maculetur, non videtur Rubrica ad hanc ſub peccato obligare; ſicut etiam, ſi Hoſtia delapſa manum mulieris tetigerit, videtur ſufficere, ſi ipſamet vinô, quod communicantibus porrigitur, locum abluat, & lotionem linteolô abſtergat; quia tali modo prorſus nihil contra reverentiam Sacramento debitam committitur. Deinde longè alia ratio urget, ut, ſi Sanguis effunditur, locus diligenter radatur & abluatur; Hoſtia enim

nec

nec penetrat, nec madefacit rem illam, ſuper quam ceciderit, ſicut eam penetrat, vel ſaltem madefacit Sanguis; & idcirco faciliùs accipi poſſunt Hoſtiæ, & earum fragmenta, ideóque non videtur Rubrica ablutionem à ſe præſcriptam tam ſtrictè, & pro omni caſu præcipere; quamvìs utique omnino rectè fiat, ſi, quoad fieri poteſt, ſemper juxta ipſius præſcriptum procedatur. Porrò, quia occaſione hujus Rubricæ aliqua quæri poſſunt, hinc

321. Quæritur *primò*, quid faciendum, ſi decideret Hoſtia, vel fragmentum intrà pectus mulieris, vel in partes interiores ejuſdẽ tunicæ? Ante ℟. nota regulam generalem, quam D. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 6. *ad* 2. apud Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 15. *dub.* 1. tradit, & agens de defectibus occurrentibus circa celebrationem, & adminiſtrationem hujus Sacramenti, ſic ait: Ubi difficultas occurrit, ſemper eſt accipiendum illud, quod habet minus de periculo. H. N. ℟. det Quarti cit. dicens: In caſu prædicto, quando Sacramentum cadit intrà pectus mulieris, ipſa, & non Sacerdos debet accipere Hoſtiam vel fragmentum, & in Pyxidem immittere, & demum lavare digitos, lotionémque porrigere Sacriſtæ proiiciendam in Sacrarium. Quòdſi major hac diligen-

Digitized by Google

tia requiratur, quam non decet fieri in Eccleſia (quia e. g. debet deponere veſtem &c.) ſtatim mulier illa (ſi in Eccleſia commodus locus non ſit e. g. Sacriſtia &c.) ſe recipiat vel in propriam domum, vel in domum alicujus vicinæ, & inventum fragmentum, vel Hoſtiam reverenter ſervet, ut à Sacerdote ſecretè ad Eccleſiam deportetur. Ità ferè Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 3. ubi addit: Si Sacerdos ſolus vidit parvi fragmenti caſum, & probabiliter advertit, fore notabilem mulieris turbationem, vel aſtantium offenſionem (id, quod certè regulariter adeſt) ſi de tali caſu mulier moneatur, nihil dicat Sacerdos, ſed totum committens Deo, progrediatur in ſuo miniſterio; hoc enim nunc requirit ipſa reverentia, & cultus Sacer. Quod etiam admitti poſſe videtur, ſaltem ad vitandum ſcandalum, & offenſionem multorum. Ità ille. Intellige tamen hoc, ſi parvum fragmentum cecidit intrà pectus mulieris, vel in partes interiores tunicæ. Ratio dictorum eſt: quia videtur minus habere de periculo, & minus malum eſſe, ſi mulier accipiat ſuìs manibûs Hoſtiam conſecratam; item, videtur minus malum eſſe, permittere, ut deperdatur modicum fragmentum, forſan colligendum ab Angelis,

gelis,

Digitized by Google

gelis, quàm à Sacerdote perquiri cum indecentia, vel aliquo detrimento honeſtatis; cùm hoc facilè poſſit præbere occaſionem ſcandali, & anſam detrahendi his Sacris myſteriis in majorem injuriam Dei, & odium Sacramenti.

322. Quæritur *ſecundò*, quid faciendum, ſi, dum fit Communio Monialium, caſu aliquo Hoſtia conſecrata decidat intrà Clauſuram earum? ℞. det Caſtald. cit. *num.* 15. dicens: Si, dum Monialium Communio fit, caſu Hoſtia intrà Clauſuram earum ceciderit, tunc præcipiat Sacerdos alicui ex iis, quæ intus ſunt, ut illam (non tamen manu nuda tangendô) reverenter, atque omni adhibitâ diligentiâ (ne aliquod fragmentum pereat, vel decidat) Patenâ, vel Pallâ, aut etiam Paginâ albâ ac mundâ accipiat, &, ſi aliter fieri non poteſt, manibûs reverenter per eandem feneſtrellam ei porrigat; locus autem ſignetur, &, ne pedibus conteratur, cooperiatur, finitáque Communione ab iisdem Monialibus terra radatur, ipsáque raſura in Sacrarium proiiciatur. Rationem hujus aſſignat Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 3. *dub.* 3. *diffic.* 4. quia in his caſibus eligendum eſt, quod minùs irreverentiæ continet, & abſque turbatione, & Clauſuræ violatione fieri decentiùs po-

Digitized by Google

teſt, ùt ſit modô prædictô. Nec obſtat prohibitio tangendi Sacramentum; quia in caſu neceſſitatis, & ne Sacramentum ſit in loco indecenti, non ſolùm permittitur, ſed etiam præcipitur; ſive, ùt inquit Caſtald. cit. ſi Sacramentum in limum incidat, ne irreverenter ibi ſit, à quolibet, ùt DD. dicunt, elevari ac decenter in aliquo loco reponi poteſt, ac debet: ita à ſimili &c.

323. Cæterùm, ex eod. Caſtaldo cit. *num.* 16. *& ſeqq.* etiam ſequentia notentur. *Primò*: Si in Altari, in quo celebratum eſt, peracta Communione, vel in gradu, ſeu etiam in plano inveniatur aliqua Hoſtia, ſeu pars Hoſtiæ, de qua eſt dubium, an poſt Conſecrationem ceciderit, tunc in loco decenti abſque ulla ſolemnitate reponatur, & in ſequenti Miſſa à Celebrante poſt Sanguinis ſumptionem immediatè ante Purificationem aſſumatur; quòd ſi ampliùs eo die non ſit celebrandum, pro ſequenti die intrà Tabernaculum (in quo SS. Sacramentum aſſervatur) à Sacerdote abſque Stola & luminibus cuſtodienda deferatur; at ubi SS. Sacramentum non aſſervatur, intrà Corporale loco decenti uſque ad craſtinum cuſtodiatur, & proximo ſequenti die à Celebrante jejuno poſt Sangui-

guinis ſumptionem ante Purificationem, ut ſuprà, aſſumatur. *Secundò*: Idem ſervetur, ſi caſu accidat, ut pœnitens Confeſſario commiſſum ſacrilegium detegens, Hoſtiam conſecratam ſecretò reſtituat; nam tunc ipſam reverenter acceptam ſecretò aſportabit, aſſumendam modô, quo ſuprà; non enim aliis tradi debet, cùm non deceat, neque certò conſtet de ejus Conſecratione. *Tertiò*: Si fortè Hoſtia, quam pœnitens reſtituit, fuerit madefacta ac deturpata; ſi animus ferat, & nauſea non fiat, gratum Deo Sacrificium erit, ſi eodem modo, quo ſuprà, Sacerdos ipſam aſſumat: ſin minùs, in Tabernaculo cuſtodiat, donec ſpecies corrumpantur, & corruptæ deinde in Sacrarium mittantur, prout in ſimili *ſuprà* §. 7. dictum eſt. *Quartò*: Si intrà Pyxidem, vel Ciborium aliquis vermiculus ex Speciebus Sacramentalibus genitus fuerit repertus, vel ſordes ibi contractæ, comburantur, & cineres in Sacrarium projiciantur. Ità Caſtald. Vid. de hoc ultimo *infrà num.* 332.

§. XVI.

§. XVI. Poſſunt etiam defectus in Miniſterio ipſo occurrere, ſi Sacerdos ignoret ritus & Cæremonias ipſas in eo ſervandas: de quibus omnibus in ſuperioribus Rubricis copiosè dictum eſt. *Rubrica.*

324. Veriſſimum eſt, potiſſimam cauſam defectuum, qui poſſunt occurrere tum in Celebratione Miſſarum, tum in aliis ſacris Miniſteriis, eſſe ignorantiam Sacerdotum; nemo enim poteſt rectè & competenter exequi munus, cujus modum & requiſita ignorat: & ſicut cæcus, vel ambulans in tenebris eſt expoſitus periculo ſæpius cadendi, ità exercens quodcunque munus Sacerdotale absque ſufficienti lumine ſcientiæ, ſeu notitiæ proportionatæ de requiſitis ad illud, eſt expoſitus periculo ſæpius errandi; quia cæcô modô operatur, & ùt Chriſtus ait, *Cæci ſunt, & duces cæcorum: cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. v. 14. Meritò igitur in his Rubricis *de Defectibus*, ſic tandem concluditur: *Poſſunt etiam defectus in Miniſterio ipſo occurrere, ſi Sacerdos ignoret ritus & Cæremonias ipſas in eo ſervandas.* Unde

325.

325. Quæritur *primò*, quo Jure Sacerdos teneatur habere ſcientiam ſuo muneri proportionatam? ℞, teneri tum Jure humano, tum Divino, tum denique naturali. Ità Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 16. *dub.* 1. Et quidem *Jure humano* tenetur ex *c. Præcipimus. diſt.* 34. *c. Illiteratos. diſt.* 36. *cap. fin. de Temp. ordin. in* 6. & aliis textibus. *Jure Divino* tenetur; nam *Oſee* 4. *v.* 6. dicitur: *Quia ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne Sacerdotiô fungaris mihi.* Quod à fortiori intelligitur de Sacerdotibus novi Teſtamenti, qui nobiliori munere funguntur; unde hic locus Oſee in *c. Omnes. diſt.* 38. pro Sacerdotibus novæ legis citatur. *Jure naturali* tenetur; quia ratio, & jus naturale dictat, neminem poſſe licitè aſſumere, vel exercere munus, præſertim grave & conſcientioſum abſque ſufficienti notitia de eo, aliàs exponitur manifeſto periculo errandi. Quare non abs re ignorantia in Sacerdotibus valde deteſtabilis eſt; quia, ſicut ſcientia eſt mater virtutum, ità ignorantia eſt mater cunctorum errorum. *c. Ignorantia. diſt.* 38.

326. Quæritur *ſecundò*, quænam Sacerdos ſcire teneatur in ordine ad Sacrificium Miſſæ, & qualiter oppoſita ignorantia ei ad culpam imputetur? ℞. 1. Quilibet Sacerdos tenetur ſub peccato mortali

ſcire

ſcire ea, quæ ſpectant ad eſſentiam Sacrificii, & SS. Eucharistiæ Sacramenti, & ea, quibûs deficientibûs non conficitur Sacramentum, nec Sacrificium; hujusmodi ſunt Materia, nempe panis & vinum: Forma, id eſt, verba Conſecrationis: Intentio Miniſtri, de quibus in præcedentibus dictum eſt. Sanchez *Opuſc. l. 7. c. 1. dub. 45.* apud & cum Quarti cit. *dub. 3.* ℞. 2. Sacerdos tenetur etiam ſub peccato mortali ſcire ea, quæ ex præcepto requiruntur ad Celebrationem, tum ex parte Miniſtri quoad diſpoſitionem animæ & corporis; tum ex parte loci & Altaris; tum quoad veſtes & vaſa ſacra, quæ omnia diſtinctè habentur in Rubricis hactenus explicatis. Ratio eſt: quia tenetur Sacerdos ea ſervare ſub peccato mortali; poſitâ materiâ gravi. Quomodo autem ſervabit ea, quæ ignorat? & quomodo ignorantia vincibilis, ſupina, craſſa, vel omnino affectata à peccato excuſabit errantem? ℞. 3. Tenetur Sacerdos ſcire ritus omnes & Cæremonias in actu Celebrationis exercendas, tam eas, quæ in verbis, quàm eas, quæ in actu conſiſtunt, conformiter Bullæ S. Pii V. *Quo primùm tempore.* de qua dictum eſt in *Prænot. n. 4.* ℣. *Colligit primò.* Videant ergo Sacerdotes *neſcientes officium Sacerdotum* 1. Reg. 1. videant, in-

quam,

quam, quid quondam ſint reſponſuri Summo Sacerdoti Chriſto JEſu, & rationem villicationis ſuæ, id eſt, omnium & ſingulorum actuum Sacerdotalium rationem reddituri. Timeant, ne & ipſi audire habeant: *Quia ſcientiam repuliſti, ego te repellam, ne Sacerdotiô fungaris mihi.* Oſee 4. &c. &c. Atque hæc *de Defectibus Miſſæ* dicta ſufficiant.

MANTISSA, Pro Feria VI. Paraſceves.

317. QUia caſus contingere poteſt, quòd Sacerdos Feriâ V. Cœnæ Domini præter ſuam Hoſtiam majorem oblitus ſit conſecrare etiam alias duas majores, quarum una pro Actu ſolemni ſequentis diei ſervanda, & altera juxta receptum, longáque conſuetudine continuatum Patriæ morem in S. Sepulchro exponenda eſſet; ideo ſubjungitur hæc Mantiſſa, ut Sacerdos ſciat, quidnam in caſûs emergentia practicè fieri poſſit. Supponitur ùt certum autem, Feriâ VI. Paraſceves tam Officium, ſeu Actum ſolemnem, quàm Expoſitionem SS. Sacramenti in

in Sepulchro ſinè gravi ſcandalo, & obmurmuratione populi intermitti non poſſe. H. S. ſequitur.

328. *Primò* : Si Sacerdos Feriâ V. Cœnæ Domini præter ſuam tunc ſumendam, unam tantùm aliam conſecravit Hoſtiam majorem in craſtinum reſervandam, eam Feriâ VI. Paraſceves ſub Actu ſolemni juxta præſcriptum Rubricæ Miſſalis, de more elevet quidem, ſed demiſſam ſuper Corporale iterum deponat, & hujus locò unam parvam Hoſtiam conſecratam, & tempeſtivè appoſitam ſuper Calicem frangat, particulam ejusdem in Calicem immittat, de more ſumat, cæteráque proſequatur, & illam majorem integram in Sepulchro exponat. Ratio eſt : quia, ſi Sacerdos e. g. pro Comprecatione XL. Horarum, unicam tantùm majorem conſecravit Hoſtiam, & hanc ipſam pro publica in Monſtrantia Expoſitione ſervare, aliámque minorem in eodem Sacrificio à ſe conſecratam ſumere poteſt, uti cum Averſa & Tambur. notat Quarti *p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 1. *dub.* 3. cur idem in noſtro caſu facere non poſſit? Vid. dicta *ſuprà num.* 7. Nec obſtat, quòd ſumat Hoſtiam à ſe pridie non conſecratam; quia neceſſe non eſt, ut idem Sacerdos, qui Feriâ V. Cœnæ Domini celebravit, etiam in

die

die Paraſceves Actum ſolemnem peragat, Hoſtiámque à ſe pridie conſecratam & reſervatam ipſe ſumat, ſed poteſt id pro libitu ſuo alteri committere; quod ipſum ex praxi ſcimus. Unde etiam Cæremoniale Epiſc. *l.* 2. *c.* 25. abſolutè dicit: *Si Epiſcopus velit ipſemet celebrare in die Paraſceves &c.*

329. *Secundò*: Si Sacerdos in Cœna Domini unicam ſuam majorem, nullam autem pro die Paraſceves, & S. Sepulchro conſecravit Hoſtiam; tunc accipiat duas Hoſtias minores pro communicaturis conſecratas, quarum unâ utatur, eámque ſumat ſub Actu ſolemni juxta præſcriptum Miſſalis Romani, & alteram exponat in Sepulchro. Sporer. *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 6. *n.* 452. Aman in Spec. Ordinand. *num.* 673. cum Gobat *Theol. Exper. tr.* 3. *caſu* 7. *n.* 217. Vid. etiam dicta *ſuprà num.* 8. At, ſi nequidem parvæ particulæ conſecratæ ſuperſint (quod Sporer vocat infandam incuriam meritò graviſſimè plectendam) tunc, ſi e. g. Parochus Capellanum habet, vel alium Sacerdotem habere poteſt, hunc faciat manè privatim celebrare Miſſam de Paſſione, vel de Cruce, & ſimul conſecrare tres Hoſtias majores; unam pro ipſo Sacerdote actu celebrante: alteram pro ſe-

quenti Actu : tertiam pro S. Sepulchro. Si autem ſolus eſt in pago, & alium Sacerdotem habere non poteſt, ipſemet ſimiliter priùs Miſſam privatam, *ùt ſuprà*, de mane celebret, tréſque Hoſtias majores ad præfatam intentionem conſecret, ſumptione tamen purificationis, & ablutionis omiſſâ, prout facere habet in nocte Nativitatis Domini. Nec obſtat, quòd ſic agatur contra duplex præceptum Eccleſiæ poſitivum; unum, de non communicando bis; alterum, de non celebrando in Paraſceve: Hoc enim utrumque cedere debebit legi naturali & Divino de non dando gravi ſcandalo proximo, præſertim integræ communitati. Vid. Gobat cit. *caſu* 7. *n.* 217. *&* 218. Sporer, & Aman. citt.

330. Dices, tali modô per Hoſtias minores conſecratas, & populo (ùt dictum eſt) exhibitas ſcandalum non tolli; ergo. ℞. Si ſcandalum talî modô non tollitur, ergo tu, qui per tuam vix excuſabilem negligentiam, incuriam &c. hujus ſcandali cauſa fuiſti, tolle informandô (prout opus fuerit) populum modô congruô. Si autem hoc congruè, & ùt oportet, facere non potes, perge; quia (uti ſupponitur) majus eſſet ſcandalum utrumque, id eſt, & Actum ſolemnem, & Expoſitionem SS.

Sa-

Sacramenti in S. Sepulchro omittere, quàm duas Hoſtias minores juxta dicta, cum quadam populi admiratione adhibere. Vel dic, quid facturus ſis; celebrare in Paraſceve certè non potes, ſi Hoſtiæ minores conſecratæ in promptu ſunt: ſcandalum prædictô modô, ſi volueris & ſtudueris, impedire potes: modicam populi admirationem cum notabili tuo incommodo curare non habes; ergo. Et quæſo, ſi Sacerdos die, tametſi feriâ, & ex ſola devotione celebraturus, poteſt (deficiente Hoſtia majore) parvam conſecrare, uti caſum practicum referens expreſsè docet Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 8. *§.* 8. *n.* 16. cur in noſtro caſu duæ Hoſtiæ minores conſecratæ, modô memoratô, adhiberi nequeant? Vid. dicta *ſuprà num.* 6.

331. *Tertiò*: Si Sacerdos in die Paraſceves invenit unam ex duabus in Calice reſervatis majoribus Hoſtiis per medium fractam, idem reſpectivè faciat, quod *ſuprà n.* 328. dictum eſt, ità, ut integram Hoſtiam elevet quidem, non tamen ſuper Calicem frangat, ſed pro Expoſitione reſervet. Cætera autem, adhibitâ unâ Hoſtiæ fractæ medietate, perficiat, uti de Hoſtia parva inſinuatum eſt; ſic tamen, ut

etiam alteram medietatem ante particulæ in Calicem immiſſæ ſumptionem abſumat.

332. *Quartò*: Si mus in Tabernaculum, vel locum, ubi Hoſtiæ majores pro Feria VI. Paraſceves, & S. Sepulchro ſervabantur, penetraverit, & unam, vel utramque majorem Hoſtiam devoraverit (ecce! caſum non fictum) tunc, ſi unam tantùm devoravit, Sacerdos faciat id, quòd *ſuprà num.* 328. dictum eſt. Si autem utramque devoravit, faciat, quod *num.* 329. notatum habet. Quòdſi quasdam ex dictis Hoſtiis reliquias invenerit, eas ſimul cum Particula & vino ſumat; ſi verò ipſi nauſea fiat, faciat conformiter illi, quòd *ſuprà* §. 14. præſcriptum habet, ſcilicet: Si nauſea fiat, *tunc ſpecies conſecratæ cautè ſeparentur, & in aliquo loco ſacro reponantur, donec corrumpantur, & poſtea in Sacrarium projiciantur.* Item, ſi invenerit excrementa à muribus relicta, ſeparet particulas S. Hoſtiæ forſan eisdem adhærentes diligenter, ipsáque excrementa comburat, & cineres in Sacrarium mittat, ùt *ſuprà* §. 14. *de vomitu*, dictum eſt. Petes autem, quid Sacerdos faciat, ſi in Ciborio cum Hoſtiis vel fragmentis conſecratis vermiculum, vel aliud quoddam animal inveniat? ℟. Si particulæ

vel

vel ſragmenta eidem adhæreant, cautè ea ſeparet, & ſumat; vel ſi nauſea fiat, faciat, quod mox dictum eſt: ipſum autem animal (absque eo, ut illud aperiat, & Sacramentum, quod fortè comedit, extrahat) interficiat, comburat, & cineres ejus in Sacrarium proiiciat. Suarez *diſp.* 85. *ſect.* 1. *ỿ. Sextò.* & alii. Quòdſi muſca, vel animal ſimile Hoſtiam conſecratam e. g. ſub elevatione, tetigerit, nihil curandum eſt de eo. Quarti *p.* 3. *tit.* 10. *n.* 5. *dub.* 2.

Digitized by Google

APPENDIX
DE APPLICATIONE, ET STIPENDIO MISSÆ.

RUbrica equidem non agit de Applicatione & Stipendio Miſſæ; quia verò Sacerdotis celebrantis non ſolùm eſt conſecrare, ſed etiam applicare Miſſam, & conſequenter Conſecratio & Applicatio Miſſæ magnam habent ad invicem relationem, operæ pretium viſum eſt, de Applicatione Miſſæ &c. hoc loco per modum Appendicis paucula annectere. Ut autem præſens materia rite & utiliter proponatur, ea in duos ſſ. dividitur agendô in I. *De Applicatione Miſſa.* In II. *De Stipendio Miſſa.* Sequitur ergo

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De Applicatione Miſſæ.

Quæſtio I. Quid ſit Applicatio Miſſæ?

333. APplicatio Miſſæ eſt actus voluntatis, quo Celebrans intendit Sacrificium Deo offerre in ſpirituale commodum ſuum, vel alterius. Ita Aquilin. Aman in *Spec. Ordinan. num.* 638. vel clariùs: Applicatio Miſſæ eſt actus voluntatis, quo Celebrans intendit Sacrificium Deo offerre, fructúſque Sacrificii applicare ſibi & aliis, quibus & ſicut hìc & nunc oportet. Hæc Applicatio eſt ſecuriſſima, includens per ſe omnes alias Miſſæ Applicationes à Sacerdote faciendas. Quia verò dictum eſt, *fructúſque Sacrificii applicare &c.* ſequitur

Quæſt. II. Quotuplex ſit fructus Sacrificii?

334. ℞. Fructum Sacrificii eſſe triplicem, ſcilicet generalem ſive generaliſſi-

mum, ſpecialem, & ſpecialiſſimum. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 7. *n.* 69. Fructus *generalis*, ſive *generaliſſimus* eſt, quem participat exSacrificio tota Eccleſia ejúsque membra. Fructus *ſpecialis* eſt, qui competit illi, ſive illis, pro quo, vel pro quibus determinatè Miſſa applicatur, vel qui rectè diſpoſiti Miſſæ inſerviunt, aut aſſiſtunt; ac iis, pro quibus in Miſſa, in *Memento* ſpecialiter orat Sacerdos celebrans. Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 4. *n.* 250. & *c.* 5. *n.* 326. *& ſeqq.* ubi plura. Fructus *ſpecialiſſimus* eſt, qui ſolùm prodeſt ipſi celebranti Miſſam. Utrùm autem hunc fructum aliis Sacerdos applicare poſſit, mox infrà videbimus.

Quæſt. III. Utrùm prædicti tres fructus neceſſariò à Sacerdotis applicatione dependeant?

335. ℞. Neceſſariam eſſe propriam Sacerdotis celebrantis applicationem ad hoc, ut Sacrificium Miſſæ *ſpecialiter* proſit iis, pro quibus offertur, id eſt, ut Sacrificium habeat ſuum effectum ex opere operato pro iis pro quibus offertur. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. ℣. *Hac quæſtio.* Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 7. *n.* 70. cum aliis. Ratio eſt: quia

quia in voluntate Celebrantis, tanquam diſpenſatoris pendet collatio fructûs. Unde infert Reiffenſt. *num.* 71. Sacrificium Miſſæ nemini applicatum, quoad fructum ſuum ſpecialem nemini profuturum ex opere operato, ſed fructum ipſius in Theſauro Eccleſiæ remanſurum; intellige, ſi Sacerdos eundem ex certa ſcientia nolit neque ſibi, neque alteri applicare: ſi verò hoc accidat ex inadvertentia, videtur ex parte Celebrantis adeſſe tacita & habitualis intentio applicandi ſibi, aut certè aliis, pro quibus tenetur. Hæc ille. Unde etiam Suarez cit. ℣. *Tertiò requiri poteſt*. ait, rariſſimè accidere poſſe caſum, in quo Sacerdos nulli applicet hunc fructum; nam ad hoc ſufficit intentio formalis, vel virtualis: hæc autem virtualis intentio vix deeſſe poteſt; omnis enim Sacerdos, quando alteri non applicat Sacrificium, ſaltem habet virtualem intentionem fruendi fructu illius. Applicat ergo ſibi ipſi, vel, ſi aliquo titulo obligatus ſit ad offerendum pro alio, etiam habet unusquisque intentionem virtualem implendi obligationem ſuam. Dictum eſt autem, *quoad fructum ſuum ſpecialem*; nam, ut conferatur Fidelibus fructus *generaliſſimus*, nulla requiritur Sacerdotis applicatio; quia ipſummet Sacrificium ex in-

ſtitutione Divina & intentione Eccleſiæ inclusa determinatur ad talem fructum conferendum, quam intentionem Eccleſiæ nequit mutare Sacerdos. Communis cum Scoto, Laym. & aliis. Idcirco etiam Sporer cit. *c.* 4. *num.* 248. ait, fructum hunc generalem, ſive generaliſſimum totius Eccleſiæ non poſſe Sacerdotem aliter applicare, immutare, aut pro libitu diſponere, ſuſpendere, uni vel aliquibus tantùm applicare, aliquem vel aliquos ab eo excludere, ſaltem licitè ſecundùm communem DD. & ſecundùm multos neque validè; Sacerdos enim ſemper tenetur Sacrificium offerre, prout Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit, nimirum tanquam Miniſter publicus Chriſti, & Eccleſiæ totius. Quapropter Sacerdos ab hoc generali Eccleſiæ fructu aliquem poſitivè excludens peccaret graviſſimè & dupliciter, videlicet contra obedientiam & inſtructionem Eccleſiæ, & contra charitatem, dum utique aliquo odio vel inimicitia gravi ſtimulatus proximum attentat excludere ab eo, & à communibus Eccleſiæ Suffragiis.

336. Idem, quod de fructu generali, ſeu generaliſſimo, dicendum eſt de fructu *ſpecialiſſimo*, qui ſolùm prodeſt ipſi celebranti Miſſam. Si enim aliis ſuus fructus &

por-

portio *ſpecialis* reſpondet, cur non & ipſi Sacerdoti in propria perſona, & propriè ſacrificanti ſuus fructus, meritò dicendus *ſpecialiſſimus*, reſpondeat? Omnino; & quidem reſpondet ipſi etiam major, quàm aliis, etiam curantibus pro ſe celebrari. Imò, & ſinè dubio etiam major & major juxta diſpoſitionem & capacitatem ſuam; idque ſemper, etiamſi ipſe de hoc fructu non cogitet, aut expreſsè ſibi acquirere intendat: atque etiam, quando acceptô ſtipendiô pro aliis celebrat; juxta communem DD. & certum dicit Gavant. *p.* 2. *tit.* 8. *n.* 3. Quòdſi petas, an hunc fructum ſatisfactorium ſpecialiſſimum Sacerdos poſſit aliis applicare, vel donare? ℟. Non poſſe applicare aliis, ſicut nec poteſt effectum Sacramentorum perceptorum, aut ſatisfactionem Sacramentalem, contra aliquos probabiliùs docent Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. Lugo *diſp.* 21. *ſect.* 2. Thom. Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 71. negans contrariam ſententiam, utpote ſatis dubiam & incertam, eſſe probabilem: & ſinè dubio falſam eſſe, ſi intelligatur de applicatione facta ad ſatisfaciendum obligationi juſtitiæ, ait Sporer *num.* 255. Cùm igitur res tota incerta ſit, in hac ſententiarũ incertitudine (inquit Kreſslinger *in Declarat. Propoſit. damnat.*

ſtitutione Divina & intentione Eccleſiæ incluſa determinatur ad talem fructum conferendum, quam intentionem Eccleſiæ nequit mutare Sacerdos. Communis cum Scoto, Laym. & aliis. Idcirco etiam Sporer cit. *c.* 4. *num.* 248. ait, fructum hunc generalem, ſive generaliſſimum totius Eccleſiæ non poſſe Sacerdotem aliter applicare, immutare, aut pro libitu diſponere, ſuſpendere, uni vel aliquibus tantùm applicare, aliquem vel aliquos ab eo excludere, ſaltem licitè ſecundùm communem DD. & ſecundùm multos neque validè; Sacerdos enim ſemper tenetur Sacrificium offerre, prout Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit, nimirum tanquam Miniſter publicus Chriſti, & Eccleſiæ totius. Quapropter Sacerdos ab hoc generali Eccleſiæ fructu aliquem poſitivè excludens peccaret graviſſimè & dupliciter, videlicet contra obedientiam & inſtructionem Eccleſiæ, & contra charitatem, dum utique aliquo odio vel inimicitia gravi ſtimulatus proximum attentat excludere ab eo, & à communibus Eccleſiæ Suffragiis.

336. Idem, quod de fructu generali, ſeu generaliſſimo, dicendum eſt de fructu *ſpecialiſſimo*, qui ſolùm prodeſt ipſi celebranti Miſſam. Si enim aliis ſuus fructus & por-

portio *ſpecialis* reſpondet, cur non & ipſi Sacerdoti in propria perſona, & propriè ſacrificanti ſuus fructus, meritò dicendus *ſpecialiſſimus*, reſpondeat? Omnino; & quidem reſpondet ipſi etiam major, quàm aliis, etiam curantibus pro ſe celebrari. Imò, & ſinè dubio etiam major & major juxta diſpoſitionem & capacitatem ſuam; idque ſemper, etiamſi ipſe de hoc fructu non cogitet, aut expreſsè ſibi acquirere intendat: atque etiam, quando acceptô ſtipendiô pro aliis celebrat; juxta communem DD. & certum dicit Gavant. *p.* 2. *tit.* 8. *n.* 3. Quòdſi petas, an hunc fructum ſatisfactorium ſpecialiſſimum Sacerdos poſſit aliis applicare, vel donare? ℟. Non poſſe applicare aliis, ſicut nec poteſt effectum Sacramentorum perceptorum, aut ſatisfactionem Sacramentalem, contra aliquos probabiliùs docent Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. Lugo *diſp.* 21. *ſect.* 2. Thom. Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 71. negans contrariam ſententiam, utpote ſatis dubiam & incertam, eſſe probabilem: & ſinè dubio falſam eſſe, ſi intelligatur de applicatione facta ad ſatisfaciendum obligationi juſtitiæ, ait Sporer *num.* 255. Cùm igitur res tota incerta ſit, in hac ſententiarũ incertitudine (inquit Kreſslinger *in Declarat. Propoſit. damnat.*

nat. p. 2. c. 4. Propoſit. VIII.) meritò damnata fuit opinio eorum, qui in non leve præjudicium certas Miſſas pro ſtipendiis petentium putârunt, poſſe pro una Miſſa duplicatum recipi ſtipendium, unum pro medio, & alterum pro fructu ſpecialiſſimo.

Quæſt. IV. Qualis Intentio ex parte Sacerdotis fructus Sacrificii applicantis requiratur?

237. ℞. Applicationem Sacrificii Miſſæ, ſive intentionem applicandi, non neceſſariò debere eſſe actualem, aut virtualem, ſed ſufficere habitualem, id eſt, actualem quondam habitam, & nondum retractatam. Ità DD. communiter apud & cum Reiffenſt. cit. *num.* 73. paucîs exceptîs. Ratio eſt: quia Sacerdos applicans fructus Sacrificii habet ſe ſolummodo per modum dantis, ſeu diſpenſantis: ad valorem autem donationis ſeu diſpenſationis ſufficit voluntas actualis aliquando habita, & nondum retractata, ſed habitualiter adhuc, etſi nec actualiter, nec virtualiter perſeverans, ergo. Secus eſt de intentione conſecrandi; à Sacer-

Sacerdos enim conſecrandô habet ſe per modum agentis & conficientis SS. Sacramentum, ùt ex Theologia notum eſt. Atque per hoc patet diſparitas inter conſecrantem, & fructus Sacrificii applicantem. Vid. Kreſsling. in *Supplem. Addit. in Reiffenſt. cit.* Hac ſententiâ ſuppoſitâ :

338. Pro Praxi, & diſſolvendis innumeris anxietatibus & ſcrupulis, nota ex Sporer cit. *c. 5. n.* 345. ſequentia. Omnium conſenſu, valida eſt applicatio, 1.*mò* : Si Sacrum cras celebrandum, hodie intendas offerre pro anima Petri. 2*dò* : Si Veſperi videas intentionem tibi aſſignatam in tabula, tuque voluntatem tuam conformes; etſi poſtea altero die nullum intentionis (id eſt, applicationis) actum renoves, neque de hoc cogites. 3*tiò* : Si Sacra facienda per integram ſeptimanam, menſem, annum totum, intendas offerre ad certam intentionem vel à te ipſo electam; vel aliunde præſcriptam. 4.*tò* : Si ſolùm intendas celebrare certîs anni diebûs, e. g. ſingulîs Feriîs ſecundîs pro omnibus fidelibus defunctis; vel, ſi Beneficiatus habeat obligationem certîs per hebdomadam diebûs celebrandi ad intentionem vi Beneficii ſibi præſcriptam, e. g. Feriâ II. pro Fundatoribus: Feriâ IV. pro Fidelibus defunctis: die

die Sabbati in hon. B V. Mariæ &c. etſi hic intentionem ſemel factam nunquam actu repetat, attamen etiam nunquam revocet, validè fructus ſingulorum Sacrificiorum applicati manebunt per totam hebdomadam, menſem, annum, quidni etiam per totam vitam? Ratio eſt: quia hoc Sacrificium inſtitutum eſt, ut offeratur & applicetur humanô modô; quare ſicut homines ſolent diſponere de rebus futuris, quæ erunt in ſua poteſtate, ſic & Sacerdos poteſt diſponere de ſuis Sacrificiis futuris, cujus arbitriò & diſpenſationi Deus commiſit fructum Sacrificii applicandum. Et hæc quidem pro praxi, ùt dictum eſt, & ſuppoſitô, quòd in Celebrante *Applicatio habitualis tantùm* adfuerit. Hanc autem *tantùm* adfuiſſe, de Sacerdotibus, ſaltem ex obedientia, vel pro ſtipendio, aut vi Beneficii celebrantibus vix ſentiendum videtur, bene verò, quòd habuerint intentionem fructus debitè applicandi, ſi non formalem explicitam, ſaltem virtualem & exercitam, ſeu in actu exercito demonſtratam, hoc ipſo, quòd deliberatè acceſſerint ad Altare, & celebraverint, Religioſus ſecundùm præſcriptum ſui Superioris, alius ad intentionem petentis, tertius ſecundùm deſignationem ſui Beneficii, & conſequenter

ter hoc ipſo quilibet eorum cum animo, ſaltem virtualiter & in actu exercito demonſtrato, fructus Sacrificii, ùt oportet, applicandi, ſuæque obligationi ſatisfaciendi. Hanc autem applicationem ſufficere, extra dubium eſt: ſi enim intentio virtualis, & exercita, ſeu in actu demonſtrata ad validam Sacramenti adminiſtrationem ſufficit (utì docet Elbel de *Conſcien. ſcrupul. conſer.* 8. *§.*2. *caſu* 1. *num.* 222.) quare ad fructuum Sacrificii applicationem non ſufficiat? Cæterùm, quamvìs Applicatio habitualis juxta dicta ſufficiat, ſuadendum nihilominus Sacerdotibus eſt, ut ſaltem virtualem, utpote tutiorem habere ſtudeant, ſequantúrque monitum Gobat *n.* 167. rectè dicentis: *Renovationem hujus oblationis, oro, ne omittas; quia ipſa renovatio auget fervorem ſupplicantis.*

Quæſt. V. Quando Applicatio fructuum Sacrificii fieri poſſit, ac debeat?

339. ℞. Intentionem applicandi fructum Sacrificii neceſſariò debere fieri ante Conſecrationem utriusque ſpeciei finitam & completam. Communis DD. Ratio

eſt:

eſt : quia Sacramenta, quæ *in fieri* conſiſtunt, operantur ſuum effectum tunc ſolùm, quando perficiuntur ; ergo etiam, quia Sacrificium Miſſæ pariter *in fieri* conſiſtit, ſcilicet in ſola Conſecratione utriuſque ſpeciei (juxta probabiliorem, & communiorem ſententiam Theologorum in omni ſchola) effectum ſeu fructum ſuum cauſabit, dum fit : fit autem in Conſecratione, conſequenter, ut alicui conferat fructum ſpecialem, debet ad hoc ante, vel in ipſo actu Conſecrationis, vel ſaltem ante utriuſque ſpeciei finitam Conſecrationem applicatio fieri. Dictum eſt autem, *utriusque ſpeciei ;* quia etiam poſt Conſecrationem Corporis, & ante Conſecrationem Calicis, adhuc Sacerdos poteſt applicare fructum Sacrificii, ſecundùm omnes. Ratio eſt : quia Conſecratione Calicis demum perficitur Sacrificium, & tunc primùm dicitur Sacerdos integre ſacrificare & offerre Sacrificium, & conſequenter ejus fructum conferre ; ergo ante iſtam Calicis Conſecrationem finitam Sacerdos ſemper poterit applicare fructum ; idque non tantùm tunc, quando ante Conſecrationem panis nulli applicâſſet, verùm etiam tunc, quando jam applicârat alteri, eâ voluntate revocatâ, adhuc poterit applicare alicui alteri,

teri,

Digitized by Google

teri, cujus proinde erit fructus, non prioris; quia Conſecratione Calicis finitâ primùm confertur fructus. Tambur. *de Sacrif. l. 2. t. 2. §. 10. n. 5.* &, ùt ait Suarez *diſp. 75. ſect. 6. ℣. Atque hinc.* proprius effectus hujus Sacrificii ùt ſic, non datur conſecrata una ſpecie, donec utriusque Conſecratio conſumetur. Hinc etiam in caſu, quo unus Sacerdos ſolo pane conſecrato ſubitò deficeret, & alius Sacerdos ſupplens conſecrat Sanguinem, hujus ſecundi erit applicare fructum Sacrificii; quia hic ſolus eſſentialiter & completè offert Sacrificium, ejúsque fructum confert: nec tenetur hic ſe intentioni prioris Sacerdotis conformare, quantùm eſt ex ratione Sacrificii, niſi aliunde eſſet obligatio applicandi hoc Sacrificium pro certis perſonis e. g. pro Conventu, pro defunctis &c. tunc enim poſterior Sacerdos tenebitur ſe conformare prioris intentioni, non ratione Sacrificii, ſed ratione alterius obligationis. At, inquies, cujus erit in hoc caſu ſtipendium pro Miſſa datum, ſi ego ad eandem intentionem, ad quam prior cœperat, Sacrificium conſecrandô Calicem &c. complevi? ℟. Tuum eſſe. Inſuper, ſi habes aliam obligationem, Miſſam pro ſtipendio celebrandi, poteris, per ſe loquendô, hac Miſ-

ſa ſatisfacere. Ratio patet ex dictis. Nota autem ly *per ſe loquendô*; ſecus enim foret, ſi tu haberes Miſſam celebrandam e. g. in Altari privilegiato, tu autem ſupples Miſſam ab alio deficiente cœptam in Altari non privilegiato &c. Vid. etiam dicta *ſuprà num.* 287. *& ſeq.*

340. Ex dictis facilè eſt, reſolvere ſequentem caſum, qui talis eſt. Petrus Sacerdos in Feſto Immacul. Concept. B. V. Mariæ celebrat pro ſua devotione, vel etiam pro ſtipendio dato. Factâ autem Conſecratione Hoſtiæ tantùm, accurrit Sacriſta, rogátque, ut mutata ſua intentione, celebret pro actualiter parturiente, & periculoſiſſimè laborante; quid faciat Petrus? ℞. Mutet illico priorem ſuam intentionem, & conſecret Calicem, Miſſámque abſolvat pro parturiente, nec dubitet, quin quoad ſubſtantiam petentis intentioni, ſuæque obligationi ſatisfecerit. Ratio liquet ex prædictis. Eſt autem dictum, *quoad ſubſtantiam*; quia, ùt inquit Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 7. *n.* 74. debet Sacerdos, præſertim quando acceptô ſtipendiô pro aliis celebrat, formare intentionem ante initium Miſſæ, ut etiam fructus precum, nomine Eccleſiæ peractarum, obveniat illis, pro quibus celebrat; quod etiam de prædictis

hujus

hujus *Quæſt.* intellige; quamvis ſine cauſa ſecus faciens graviter non peccaret, materiæ parvitate excuſante. Imò, ùt notat Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 2. §. 10. *n.* 4. poſſe intentionem applicandi elici in ipſa Miſſa ante Conſecrationem, & aptum eſſe tempus in primo *Memento*, non eſt dubium.

Dices, hæc *quoad Miſſam pro ſtipendio dato* contradicere dictis *num.* 287. *& ſeq.* cùm æquè in hoc caſu dans ſtipendium jam acquiſiverit jus, ut hæc Miſſa ad ſuam intentionem cæpta ab eodem Sacerdote ad eandem intentionem compleatur, non autem intentio mutetur. ℟. negandô paritatem; in priori enim caſu ſupponitur, Sacerdotem ſupplentem non habere Miſſam pro cauſa graviſſima, moram nullam patiente celebrandam; hac enim exiſtente, etiam ille, qui Sacerdoti deficienti ſtipendium dedit, lege charitatis cedere, & modicam dilationem ſibi non præjudicantem admittere deberet. In hoc autem caſu apertè eſt cauſa graviſſima moram nullam patiens, cui dans ſtipendium, & cauſam graviſſimam (ùt ſupponitur) non habens, eadem lege charitatis cedere, & modicam dilationem admittere debet.

Eſt autem occaſione hujus caſûs notandum, in occurentia variarum cauſarum

Digitized by Google

prudenter diſtinguendum eſſe inter cauſam ordinariam, communem, ſeu devotionis: inter cauſam gravem, modicam (e. g. in ſequentem diem) dilationem admittentem: & inter cauſam graviſſimam nullam dilationem permittentem. Si cauſa eſt graviſſima, ùt in noſtro caſu, dilationem non permittens, hæc eſt præferenda; ſicut etiam Miſſæ pro defunctis aliis, cæteris paribus, ſunt præferendæ: nec poſſunt alii, licèt priores petentes, rationabiliter eſſe inviti, lege charitatis ſic dictante. Si cauſa ſolummodo gravis eſt, hæc præferenda eſt cauſæ ordinariæ, communi, ſeu devotionis. Quòdſi verò ſimul concurrant duæ cauſæ graviſſimæ ſimiles (idem reſpectivè dic de ſimilibus duabus cauſis gravibus, ac de duabus communibus) tunc prior petita præferenda eſt; quia, qui prior tempore, potior eſt jure. Hoc tamen non ità intelligas, velim, ac ſi Sacerdos duas Miſſas pro graviſſimis cauſis concurrentes, & dilationem nullam admittentes, poſſit nihilominus liberè acceptare, & alteram ſeu poſteriorem ſequenti die, quo cauſa in actum jam abiit, celebrare; minimè: priorem ergo acceptare poteſt, alteram verò dimittere debet, niſi de expreſſa petentis voluntate aliter conſtet. Unde cautiſſimè

mè curandum eſt Sacerdotibus, ne (præſertim intuitu perſonarum, aut inordinata ſtipendii cupiditate allecti) Miſſas pro graviſſimis, vel ſaltem gravibus cauſis petitas differant, & turpis lucri, vel humani favoris captandi gratiâ, communes præferant. Cæterùm, notanda hic eſt Propoſitio ab Alexandro VII. *die* 24. *Sept.* 1665. damnata, quæ ordine 10. ſic habet : *Non eſt contra juſtitiam, pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre.* Vid. etiam *ſuprà num.* 336.

Quæſtio VI. Quanta ſit obligatio Sacrificii fructus applicandi?

341. Ante ℞. nota, obligationem Sacrificii fructus applicandi naſci ex triplici capite, videlicet, ex juſtitia, ex fidelitate, ex obedientia. Ex *juſtitia* tenentur fructus applicare, quicunque redditus Beneficii, vel ſtipendium ſive fundatum, ſive manuale accipiunt cum intentione obligatoria datum. Ex *fidelitate* tenetur applicare, quicunque ſeriò, & animô ſe obligandi promiſit pro altero offerre Sacrificium, promiſſione ab altero ſimiliter cum intentio-

ne obligandi acceptatâ, nullo pacto ſtipendio. Ex *obedientia* tenetur applicare omnis Religioſus Sacerdos ſubditus, ità ſeriò & cum intentione obligandi præcipiente Superiore. H. N.

342. R. 1. Obligationem *juſtitiæ* eſſe ſub mortali, ex genere ſuo; adeóque, qui ratione Beneficii, vel ratione ſtipendii acçepti tenetur facere Sacrum, mortaliter delinquit, ſi culpabiliter omittat. Ità omnes, teſte Layman apud & cum Sporer *c.* 5. *n.* 353. Ratio eſt: quia obligatio juſtitiæ ex genere ſuo eſt ſub mortali in re gravi; atqui talis eſt in propoſito, ergo. Dictum eſt autem, *ex genere ſuo*; quia etiam hic admittenda eſt parvitas materiæ à mortali excuſans, puta, ſi ſtipendium tenue accepiſti. Audi, quid dicat Gobat *num.* 489. Si ſtipendium parvum, e. g. tres, vel quatuor baceos accepiſti, non delinquis niſi venialiter; quia gravitas tuæ culpæ eſt deſumenda à gravitate ſeu quantitate ſtipendii, Fagund. *de Præcept. Eccl. Præcepto I. l.* 3. *c.* 8. *n.* 11. ſecus, ſi accepiſſes à divite mercatore, vel Nobili imperialem. Dicaſtill. *diſp.* 4. *dub.* 22. Ità Gobat. Conſentiunt Herincx, Sannig, Sanchez *l.* 1. *de Matr. diſp.* 5. *num.* 25. & alii quidam apud Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *ſ.* 8. *n.* 103. quia cenſent eſſe parvitatem

ma-

materiæ in una duntaxat Miſſâ omiſſâ : neque enim hic attendendum, ajunt, ad damnum ſpirituale, ſed gravitas materiæ menſuranda eſt juxta gravitatem, ſeu quantitatem ſtipendii ; quale pro unica Miſſa datum, communiter non attingit quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale, ùt patet in furto.

343. ℟. 2. Obligationem *fidelitatis* regulariter ſolùm eſſe ſub veniali : adeóque qui alteri liberaliter ſeu gratuitò promiſit facere Sacrum unum, vel etiam plura, & omittit (niſi expreſsè intenderit ſe obligare graviter) ſolùm peccat venialiter. Ratio eſt : quia promiſſio liberalis, etiam de re gravi, non adfert obligationem gravem, per ſe loquendô. Gobat *caſu* 16. *num.* 488. citans Cajet. 2. 2. *q.* 113. Molin. *tr.* 2. *diſp.* 262. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 4. contra Leſſ. & alios ; etenim actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipſorum. Unde ait *num.* 489. puto, hanc ſententiam eſſe tutam in praxi, & eſſe paucos, qui ſive unum, ſive plura liberaliter polliciti, non ſtent promiſsîs, delinquant mortaliter, quia ſcilicet noluerunt obligare ſe graviter. Quod maximè verum eſt in illo, qui e. g. Petro Natalizanti unum, vel tria Sacra, ſolummodo reverentiæ cau-

Digitized by Google

ſâ, & ſinè animo ſe obligandi liberaliter obtulit. Nec obſtat, ſi acceptans dicat: Omne promiſſum cadit in debitum; ergo legat &c. R. enim negandô quòd ſit promiſſum propriè dictum. Deinde acceptans offerentem liberaliter, aliter obligare nequit, quàm hic ſeipſum obligare intendit. Porrò, notandum etiam eſt, quod habet Tambur. *de Sacrif. l. 3. c. 1. §. 9. n. 18.* dicens: Ex opinione ſatis probabili ſequitur, nunquam eſſe mortale, nec ſubjacere reſtitutioni, Miſſas quamvis plures ſinè ſtipendio promiſſas (etiamſi promiſiſſes dicere in Altari privilegiato, vel cum alia indulgentia) denegare, quia jam tunc non fit, niſi contra Fidelitatem. Hinc ſi reciperes ab aliquo ſtipendium pro Miſſis, & liberaliter promitteres eas celebrare cum indulgentia, ſed deinde celebrares quidem Miſſam pro illo, ſed ſinè indulgentia, venialiter tantùm peccares; quia non peccares contra Juſtitiam, ſed ſolùm contra Fidelitatem. Hæc ille.

344. Dices: ergo non peccat graviter, qui Miſſam Deo liberaliter votô promiſſam ſinè cauſa omittit. Item, non peccat graviter Paulus, ſi Petro Sacerdoti liberaliter promiſit tres Miſſas, & Petrus pro ſtipendio tres Miſſas acceptas promittenti

tra-

tradit legendas, reſervatô ſibi ſtipendiô; attamen Paulus eas omittit. ℟. ad *primum*, negandô illatum; quia obligatio Voti eſt gravis ex genere ſuo, & conſequenter etiam transgreſſio Voti eſt ex genere ſuo peccatum mortale, uti cum communi docet Reiffenſt. *tr.* 6. *diſt.* 3. *q.* 2. *n.* 12. Ratio eſt: quia Votum tendit ad Fidelitatem Deo ex virtute Religionis præſtandam. Cùm igitur omiſſio unius etiam Miſſæ votô promiſſæ res gravis ſit, hoc ipſo etiam culpa gravis erit. Si enim omiſſio Miſſæ, quam quis audire vovit, mortalis eſt, ut cum DD. notat Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 6. *diſt.* 3. *q.* 2. *n.* 14. *Addit.* I. cur omiſſio Miſſæ ex Voto celebrandæ à mortali excuſari poſſit? Dictum eſt autem, *eſt gravis ex genere ſuo*; ſi enim materia levis eſt, aut ſi quis etiam in gravi materia voluiſſet *expreſſè* ſe tantùm ſub levi obligare, omiſſio ſeu transgreſſio levis foret. Reiffenſt. cit. *num.* 13. Kreſsling. cit. cum communi. Imò in votis privatis (non item in ſolemnibus) poteſt vovens in quacunque & quantumvis gravi materia ſe (intentione reſtrictâ) obligare, & reſtringere ſuam obligationem non ſolùm ad veniale tantùm, ſed etiam poteſt in quacunque materia (intentione ſimiliter re-

ſtricta) ſe obligare ad pœnam, vel pœnitentiam aliquam tantùm, ſi prævaricetur, ſubeundam, non autem ad ullam culpam: uti defactò ſunt totæ Regulæ Tertiariorum, & conduntur Leges & Statuta Religioſorum. Sporer *tr.* 3. *in* 2. *Præcept. Decal. c.* 2. *ſect.* 3. *n.* 87. Ratio eſt; quia votum eſt lex privata ex intentione & arbitrio voventis ſibi impoſita; ideóque nunquam poteſt excedere intentionem voventis, & nemo ſe obligat, qui non habet intentionem ſe obligandi. *arg. c. Literaturam. de voto & voti redemptione.* ℟. ad *Secundum* cum diſtinctione: non peccat graviter Paulus, reſpectu Petri, conceditur; reſpectu dantis ſtipendium à Petro reſervatum, negatur illatum. Ratio eſt; quia hoc ipſo, quòd ſuſceperit tres Miſſas ex juſtitia obligatorias, ſuſcepit etiam celebrandi obligationem, non quidem nomine proprio, ſed nomine Petri. Quare aut Miſſas dictas celebrare debet, aut Petrum de intentione & voluntate ſua legitimè informare, ne hic retineat, quod ſuum non eſt, & petens, ſeu dans ſtipendium ipſe trium Sacrificiorum fructu, ex juſtitia ſibi debito, fruſtretur.

345. ℟. 3. Obligationem *Obedientiæ* in Sacerdote Religioſo, per ſe loquendô, eſſe ſub mortali, ſi ità ſeriò præcepit Superior

cum

eum intentione obligandi graviter, præſertim per obedientiam formaliter. Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 4. n. 287.* & patet de ſe. Secus eſt, ſi Superior ſolùm ordinario regimine ità ordinavit, & ùt fieri ſolet, in Tabula diſpoſuit; tunc enim (ait Sporer) veniale non excedet; ſubintellige, niſi ex circumſtantiis aliter judicandum erit, præſertim ſi Miſſa à Superiore præſcripta, alteri ex juſtitia eſt debita, utputa ex fundatione, ex pacto, ex ſtipendio, vel eleemoſynâ acceptâ. Imò, ùt notat Aman. *num.* 645. contingere poteſt, quòd Sacerdos Religioſus, contra intentionem Superioris celebrans, tripliciter peccet; videlicet contra Obedientiam Superiori debitam: contra juſtitiam, ſi Miſſa ſit debita ex ſtipendio &c. contra charitatem erga proximum, dum ad ſubveniendum ejus gravi neceſſitati Miſſa fuiſſet legenda. Quòdſi autem quæras, utrùm Sacerdos Religioſus contra Superioris voluntatem Miſſam alteri applicans, hoc non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè faciat? ℞. negativè. Ità Suarez *diſp. 79. ſect. 9.* ℣. *Alii nihilominus.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 2. n.* 11. Coninch, & cum DD. communiter Reiffenſt. *tr. 14. diſt. 5. q. 7. n.* 72. Ratio eſt; tum quia Sacerdos offerendô vel applicandô alicui Sacrificium operatur tanquam

quam

quam is, qui Chriſti vices gerit, cujúsque intentio cum intentione Chriſti una eſſe cenſetur, & conſequenter quoad hoc non ſubditur intentioni Eccleſiæ, vel alterius hominis, quantumvìs Superioris, ità ut per hanc irritari poſſit; tum, quia applicare Miſſam convenit Sacerdoti ex vi poteſtatis & characteris Sacerdotalis, ùt patet ex forma Ordinationis ejus; tum, quia hic actus non requirit juriſdictionem, ſed ſolam Ordinationem, ùt per ſe conſtat; ergo non poteſt irritari per ſolam prohibitionem Superioris: hoc enim (ait Suarez cit.), generatim verum eſt in omnibus aliis actibus alicujus Ordinis, qui juriſdictionem non requirunt. Unde infert Reiffenſtuel: Etſi Sacerdos ex Voto, Juſtitia, Charitate, vel Obedientia obligetur, Miſſam applicare certis perſonis; validè tamen poteſt Miſſam applicare aliis (etſi illicitè) quantumvìs intentio & applicatio Superiorum, vel Eccleſiæ ſit in contrarium.

Quæ-

Quæſtio VII. Quomodo Sacerdos Religioſus Miſſæ Sacrificium ex Obedientia præſcriptum practicè & ſecurè applicare poſſit, ac debeat? Quod idem & de aliis reſpectivè quæritur.

346. Ante ℟. nota, Applicationem fructûs Sacrificii fieri poſſe dupliciter; videlicet primò *expreſſè*, ſeu nominatim exprimendô perſonam, e. g. Offero tibi, Domine Deus, hoc Sacrificium pro Petro infirmo, pro Paulo defuncto, pro felici morte Joannis, pro felici partu Annæ &c. Secundò *implicitè*, & generalî terminô, attamen intentione tangendô perſonam, vel perſonas in particulari, e. g. Offero hoc Sacrificium pro illa anima, quam Deus nôſti maximè indigere: pro anima in purgatorio miſerrima: pro omnium diutiſſimè & graviſſimè crucianda; pro vivo, vel defuncto, cui Deus ſcit me maximè obligatum, aut nunc debere pro eo offerre: aut pro ea anima, pro qua defacto Deus vult me offerre &c. Non autem ſic: Offe-

Offero hoc Sacrificium, ut Deus ipſe applicet, vel applicare velit; quia ex inſtitutione Chriſti, Sacerdotis eſt, & non Dei, Sacrificium applicare, & determinare; ſive, ùt inquit Suarez *diſp. 79. ſect. 9.* Sicut in Sacramentis requiritur intentio Miniſtri, ut Sacramentum fiat ab homine humanô modô; ità in Sacrificio requiritur intentio Sacerdotis applicantis fructum Sacrificii, ut ſic oblatio pro uno homine fiat per alium hominem humanô modô. H. N.

347. ℞. 1. Validam eſſe applicationem fructuum Sacrificii, ſive fiat *expreſsè*, ſive *implicitè*, & generali terminô &c. prout *num. præc.* explicatum eſt. Ratio eſt: quia utrovis hoc modo directè, determinatè, & hoc ipſo ſufficienter fructus Sacrificii applicantur juxta Chriſti inſtitutionem, & Ritum S. Eccleſiæ, ùt conſideranti patet.

348. ℞. 2. Validam etiam eſſe applicationem factam ſub conditione de præſenti ſubſiſtente, vel de præterito jam impleta, e. g. Offero hoc Sacrificium pro hac anima, ſi capax eſt, ſi indiget &c. vel pro Petro, ſi, ùt audio, infirmus vel mortuus eſt. Invalida autem eſt applicatio facta ſub conditione de futuro contingente, e. g. Offero pro Petro nunc, ſi intrà

hunc

hunc annum morietur, ſi ægrotabit, ſi ſtipendium bonum offeret, ſi Religionem ingredietur &c. Item, invalida eſt omnis applicatio in eventum futurum, e. g. Offero hoc Sacrificium pro illo, quem ego poſtea deſignavero, vel quem Superior deſignabit, vel, qui mihi prior ſtipendium offeret &c. Ità Suarez loc. cit. Vid. etiam Tambur. *de Sacrif. l. 2. c. 2. §. 8. n. 4. &c.* Ratio *primi* eſt: quia applicatio facta ſub conditione impleta, vel de præſenti ſubſiſtente tranſit in abſolutam, eique æquivalet. Ratio *ſecundi* eſt: quia juxta communiſſimam DD. ſententiam ad effectum, non ſolùm Sacramentorum, ſed etiam Sacrificii requiritur intentio abſoluta & independens ab eventu contingente in futurum; cujus ratio petenda eſt ex inſtitutione Chriſti, quam communis ſententia DD. & Eccleſiæ praxis ſatis declarant. Unde Suarez cit. ait: Sacrificium eſt ſub poteſtate & intentione Miniſtri, quamdiu offertur, & tunc debet applicari, & habere effectum, qui non debet ſuſpendi arbitriô, vel incuriâ Miniſtri; & ideo ſi hac de cauſa ſemel careat effectu, jam non eſt in poteſtate Miniſtri, applicare illud; quia non eſt inſtitutum, ut operetur, niſi dum fit, ſeu exiſtit ſuo modo, & ideo Sacerdos nul-

lum

lum acquiſivit jus, ut applicet ad operandum Sacrificium jam præteritum. Vel dic, amabò! quandò offers hodie Sacrificium pro Petro ſub conditione de futuro, e. g. ſi tibi cras, vel perendie ſtipendium dederit &c. in hoc caſu, vel proveniret Petro fructus Sacrificii hodie ſtatim, quando pro ipſo Sacrificium ſub conditione offertur; vel poſtea primùm, cùm eventus conditionis poſitus fuerit, ità, ut interim fructus, ſeu effectus Sacrificii manſerit ſuſpenſus? neutrum dici poteſt; ergo. Non *primum*; quia conditio nondum poſita eſt, & manet in libera Petri poteſtate, ſtipendium poſtridie vel perendie tibi dandi, & Sacrificium acceptandi, vel non. Nec *ſecundum*; quia Sacrificium & Sacramenta conſiſtentia *in fieri* cauſant effectum ſeu fructum in ultimo inſtanti, quo eſſentialiter perfecta fuerint; nec eſt in poteſtate Sacerdotis fructum hujuſmodi ſuſpendendi: aliàs enim poſſet applicare fructum Miſſæ ſatisfactorium pro nunc actu peccatore, ut ipſi proveniat, quando per pœnitentiam à peccato juſtificatus erit; item, poſſet applicare infanti, vel alteri homini nondum indigenti, ut ipſi proveniat, poſteaquam in peccata lapſus fuerit &c. qualia utique abſurda ſunt, & contra omnem Eccleſiæ ſen-

ſum

ſum ac praxin; ergo. Ratio *tertii* eadem eſt, quæ *ſecundi*. Quapropter etiam Sacerdos Franciſcanus non ſatisfacit offerens Sacrificia pro Fratribus proximè morituris, & promulgandis; ſatisfaceret autem offerens pro jam proximè mortuis, etſi nondum promulgatis, nec ſibi adhuc cognitis.

349. Ex dictis patet, ſimpliciter reprobandam eſſe praxin illorum Sacerdotum, qui, cùm non habeant intentiones & ſtipendium pro Sacrificiis, celebrant Sacrificia ſinè applicatione præſenti, poſteà primùm applicaturi, & velut è marſupio erogaturi illis, qui petent, & ſtipendia offerent: non eſt enim in poteſtate illorum, ità fructum Sacrificii ſuſpendere; cùm Sacrificium conferat effectum ſuum, quando actu offertur. Quin & communis DD. meritò reprobat praxin illorum, qui per modum anticipatæ ſolutionis offerunt, & tunc applicant fructum Sacrificii illis, qui poſtea petent, & offerent ſtipendium. Nam licèt poſſit contingere, ut tali cras petituro tuum Sacrificium jam hodie proſit, puta, quia jam capax eſt, ejúsque intentionem & cauſam tu tetigiſti; ſemper tamen periculum eſt, ne futuræ petentium intentioni non ſatisfiat: utpote quia hodie adhuc

 vivit.

vivit, pro quo cras defuncto Miſſa petetur; aut quia huic, e. g. Titio (pro quo modò celebras) totus fructus Sacrificii hodie non prodeſt, cras autem jam confeſſo & diſpoſito profuturus eſſet. Et ideo praxis iſta anticipatæ celebrationis pro incerto eleemoſynam oblaturo, tanquam periculoſa, ſcandaloſa, & communi vetuſtiſſimo Eccleſiæ mori contraria reprobata & prohibita eſt à Clem. VIII. & Paulo V. uti teſtantur Gavant. in *Manual. Epiſcop.* ℣. *Miſſa. n.* 33. Diana, Thom. Tambur. atque etiam à Congreg. Concil. 15. *Nov.* 1605. Vid. Barboſ. in *Concil. Trid. ad Seſſ.* 22. *in principio.*

350. Quia verò apud Sacerdotes Religioſos varia occurrere poſſunt dubia, utrùm nimirum celebrandô ſuæ obligationi, petentium intentioni, & Superiorum voluntati hic & nunc ſatisfecerint, hinc quilibet præprimis & per ſe præ oculis habeat Regulam, quæ ſic ſonat: *Religioſus ſubditus ſatisfacit, ſimpliciter legendô ad intentionem Superioris.* Hac Regula præ oculis habitâ, pro praxi, & tollendis innumeris ſcrupulis notet etiam ſequentia. *Primò*. Si eſt Feſtum duplex, aut occurrit talis dies, vel Feſtum, aut locus, in quibus non poſſunt celebrari Miſſæ *de Requiem*, vel *Votiva priva-*

ta,

ta, idque ſive in propria, ſive in aliena, ubi celebrare debet, Eccleſiâ, tunc ſolùm attendat, an Miſſa celebranda ſit in Altari privilegiato, vel alio ſpecialiter determinato; de reliquo celebret ſimpliciter ad mentem & intentionem Superioris; ſive, applicet fructus Miſſæ juxta voluntatem Superioris & intentionem petentis, eique modò, quò debet ac poteſt, meliorî prodeſſe intendat; interim tamen & ſibi ipſi, & toti Eccleſiæ prodeſſe velit ea ratione, qua poteſt meliori abſque præjudicio tamen dantis ſtipendium. Atque hujusmodi intentio (teſte Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 7. *n.* 77.) eſt optima, atque in praxi conſultiſſima; cùm hoc modo fiat perfectiſſima applicatio Miſſæ, abſque ullo cujusque præjudicio.

351. *Secundò*: Quòdſi celebrare debeat tali die, vel in tali loco, ubi Miſſæ *de Requiem* privatæ dici poſſunt, tunc iterum ſpecialiter attendat, an non ſit Miſſa celebranda in Altari privilegiato, vel aliàs determinato; ad hoc enim, ut animæ privilegium Altaris ſuffragetur, neceſſariò Miſſa celebrari debet *de Requiem*; niſi ſit tale Feſtum, vel talis dies, aut talis locus, in quibus Miſſæ *de Requiem*, & *Votivæ privatæ* prohibentur. Vide utiliter *Rit. Exact. in Append. tit.* 2. §. 1. *n.* 8. *& ſeqq.* Quibus adde,

quod notat Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 101. *Addit.* dicens: Si Feſtum quidem apud Regulares fuerit Semiduplex, cæteroquin tamen in Diœceſi Feſtum Fori de præcepto, tunc ipſis, uti in Dominicis interdictæ ſunt Miſſæ privatæ *de Requiem*. Item, ſi in Semiduplici publicè eſt expoſitum SS. Sacramentum (ſubintellige pro Comprecatione XL. vel X. horarum) ubi pariter non permittitur Miſſa privata *de Requiem*, juxta Decretum Clem. XI. editum 20. *Jan.* 1705. Aliîs autem diebûs, quibûs Miſſa privata *de Requiem* eſt licita, eadem, datô propterea ſtipendiô, ſub peccato celebrari debebit, nec aliàs obtinentur indulgentiæ, ſi in Altari privilegiato petatur. Hæc ille. Quod idem reſpectivè de Miſſis Votivis privatis intellige.

352. *Tertiò*: Suadendum eſt Sacerdotibus, ne ſe ad intentionem ſive à Superiore præceptam, ſive ab alio ejus juſſu præſcriptam, *grammaticaliter* alligent, ſed ſemper ad mentem petentis, vel præcipientis, vel præſcribentis per ſe, ſimpliciter, ac directè reſpiciant. e. g. Superior præcipit, vel alius ab eo determinatus præſcribit tibi Miſſam *pro una defuncta* per errorem grammaticalem, dum tamen intentionis & volun-

luntatis ejus determinatè erat, & adhuc eſt, ut *pro uno defuncto* celebres; item, præſeribit tibi Miſſam *pro uno defuncto*, locò *pro omnibus fidelibus defunctis*, vel vice verſa &c. in hujusmodi caſibus, ſi tu ſecundùm mentem petentis, vel præcipientis, vel præſcribentis directè legiſti, ſatisfeciſti. Nec obſtat, quòd Orationem I.mam inconvenientem dixeris: tota enim ſubſtantia, ſeu eſſentia Sacrificii in ſola utriusque ſpeciei Conſecratione conſiſtit; ſi ergo hanc (quidquid ſit de accidentalibus) rectè perfeciſti, & Sacrificium ad mentem petentis, præcipientis, vel præſcribentis directè applicâſti, iterum dico tibi: ſatisfeciſti. Item, Petrus petit à te, ut legas Miſſam in honorem S. Antonii votô promiſſam; ſub actuali autem Miſſa recordatur Petrus, ſe Miſſam, quæ modò à te legitur, votô promiſiſſe in honorem S. Leonardi; quia verò te Sacerdotem monere non poteſt, convenit te finitâ Miſſâ, & manifeſtat tibi errorem ſuum, quid reſpondebis illi? ecce! ſi tu directè ad mentem ipſius celebrâſti, & ipſe perſtitit in intentione, voto ſuo in honorem S. Leonardi facto per hanc tuam Miſſam ſatisfaciendi, tunc ipſe ſatisfecit, & tu ſatisfeciſti. Nec obſtat, quòd Miſſam de S. Antonio votivam legeris, de S. Leonar-

do prorſus nihil cogitans; tota enim Sacrificii ſubſtantia (ùt mox dictum eſt) in ſola utriusque ſpeciei Conſecratione conſiſtit. Et nunquid, ſi in Feſto duplici, aut aliîs diebûs Miſſam privatam votivam, vel *de Requiem* non admittentibus, Miſſam de Feſto, vel die currente celebrâſti, nunquid, inquam, ſatisfeciſti? ergo etiam in hoc caſu. Atque ex hoc etiam deſumitur, quàm facile ſit, obligationi cuicunque per Miſſam de duplici, vel die currente (Miſsîs Votivîs, & *de Requiem* privatîs prohibitîs) ſatisfacere; celebra de Feſto &c. directè ad mentem, ſeu intentionem petentis, præcipientis, vel præſcribentis, & applica ſecundùm dicta *n.* 350. & ſatisfeciſti.

353. Excipe tamen per omnem modum *Altare privilegiatum*; quidcunque enim feceris, & ubicunque celebraveris, Privilegium Altaris animæ non ſuffragabitur, niſi Miſſam in Altari privilegiato legeris. Vid. etiam Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *n.* 11. *& ſeq.* Ergo (ais) in tali caſu reſtitutioni, vel ſaltem ſatisfactioni obnoxius ſum? ℟. Si tibi in tabula nihil aſſignatum, nec aliquid de Altari privilegiato intimatum fuit, liber es. Si autem tibi deſignatum ex negligentia non aſpexiſti, vel intimanti

cul-

culpabiliter non attendiſti, audi, quid Theologi ſentiant. Sacerdos ex ſtipendio obligatus celebrare in Altari privilegiato, tenetur Miſſam in eodem tali Altari recompenſare, ſi alibi legerit. Ità Azor. Riccius, Fagundez, Caſtropal. apud & cum Aman *num.* 722. qui etiam *num.* 698. dicit, non eſſe inconveniens dicere, illum, qui ex pura negligentia, & contra expreſſam voluntatem, & intentionem Benefactoris omittit legere Miſſam in Altari privilegiato, peccare mortaliter: niſi intendat eam in eodem Altari recompenſare, & actu, cùm poteſt, recompenſet; quia privat animam defuncti notabili commodo, & fructu Sacrificii, ut propterea Benefactor cenſeatur graviter invitus. Sed hæc Azorii &c. ſententia Tamburino *de Sacrif. l.* 3. *c.* 2. *§.* 1. *n.* 10. non placet; eò quòd talî modô Sacerdos cogeretur multò plus reddere, quàm deberet, ad quod certè nemo ex juſtitia cogendus eſt; ſi enim nunc obligaretur iterum applicare Miſſam in Altari privilegiato, redderet applicationem duarum Miſſarum, nempe redderet Miſſam jam lectam in Altari non privilegiato, & hanc præſentem in privilegiato. Deinde eſto, quòd anima privilegiô Altaris fraudata ſit; attamen ex Miſſa in Altari non privilegia-

to celebratâ (quantum ex parte Sacerdotis erat) eadem ſaltem ex opere operato, nimirum ex ipſo Miſſæ Sacrificio notabiles fructus percepit, puta, ſatisfactorium & probabiliter etiam impetratorium.

354. Ut igitur in caſûs emergentia ſcias, quid facias, vel ſaltem facere poſſis, ecce tibi doctrinam ex Matth. Stoz *lib.* 1. *p.* 3. *q.* 3. *art.* 3. *n.* 277. ubi ſic ait: Qui in diverſo loco celebrat, peccat quidem, ſed ad reſtitutionem ſtipendii non tenetur, niſi ratione minoris frequentiæ ſubtrahat defuncto aliquod Suffragium, quod tenetur aliîs precibûs compenſare. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *R.* 29. Hæc ille. Quia verò quantitatem, vel qualitatem aliarum precum non determinat, determina tu, & ſemel, ac (pro majori ſecuritate) iterum Indulgentiam plenariam, defunctis per modum Suffragii applicabilem lucrari pro poſſibili ſtude, eamque animæ, quam defraudâſti, applica; vel (quod tibi etiam ſuadeo) inſpice, lege, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 94. *Addit.* 1. monſtrat, dicens: Credo, alicui ſimili injungi poſſe, ut in ſupplementum conetur pro illis defunctis (quos, non celebrandô in privilegiato Altari, privilegiô frau-

fraudavit) devotè lucrari aliquoties Indulgentias plenarias, puta, per Viam Crucis, generalem Communionem &c. Nec dicas, incertum eſſe, utrùm talis Indulgentia animæ fraudatæ obventura ſit. ℞. enim, æquè incertum eſſe, utrùm Privilegium Altaris animæ, pro qua Miſſa legitur, obventurum ſit. Quis enim ſcit, utrùm anima illa, pro qua tu in Altari privilegiato celebras, vel celebrari facis, in purgatorio, in cælo, vel in inferno exiſtat? vel, etiamſi in purgatorio exiſtat, quis ſcit, an non juſtô Dei judiciô Privilegium Altaris ei denegetur? Si ergo iſthæc tibi non arrident, elige (per me licet) ſententiam Azorii &c. & lege in Altari privilegiato aliam Miſſam. Cæterùm (ſi de una Miſſa ſermo eſt) negatur, peccare Sacerdotem mortaliter, ſi ex pura negligentia Miſſam non legit in Altari privilegiato. Rationem vide *ſuprà num.* 342. Hoc tamen verum eſt, quod docet Tambur. *lib.* 3. *de Sacrif. c.* 2. *§.* 1. *n.* 2. dicens: Obligatum celebrare in Altari privilegiato, ſi alibi celebret, faciliùs attingere poſſe gravitatem materiæ, quàm obligatum in communibus Altaribus, ipſa naturalis ratio dictat: Celebrans enim (e. g. in Altari S. Annæ) Miſſam, quæ in Altari S. Sebaſtiani non privilegiato petita eſt,

Digitized by Google

nullo Sacrificii fructu fraudat petentem, vel eum, pro quo Miſſa legenda fuit; at verò celebrans in Altari non privilegiato fraudat animam toto fructu Privilegii huic, juxta petentis intentionem applicandi.

Quæſt. VIII. Quid ſentiendum de intentionibus ſeu applicationibus ſecundariis?

355. Ante ℞, nota, *applicationem ſecundariam* dici illam, quæ à Celebrante ſubſtituitur primariæ, in caſu, ſi fortè applicatio primaria ex quacunque cauſa non ſit habitura ſuum effectum. e. g. Titius petit à Cajo Sacerdote, ut legat pro competenti ſtipendio Miſſam pro defuncta Catharina. Quia verò neſcitur, an Catharina hac Miſſa indigeat; vel, an capax ſit, vel non, ideo Cajus format intentionem ſeu applicationem ſecundariam ſimilî ferè modò: Domine Deus, ſi Catharina hac mea Miſſa non ampliùs indiget, vel incapax eſt, applico eam mihi, meis defunctis parentibus &c. Et de hac ſecundaria applicatione quæritur, an licita ſit? ℞. negativè, abſolutè

Digitized by Google

lutè loquendò. Ità Sporer *c.* 4. *n.* 284. dicens, id non eſſe ſecurum in Miſſis obligatoriis ex pacto, ſtipendio, fundatione, offerendis. Ratio eſt: quia probabiliſſimum eſt, quòd ſi Miſſa ex obligatione debita alicui non proſit ob incapacitatem, tunc cedere fructum alteri perſonæ vivæ vel defunctæ, vel ipſi petenti proximè conjunctæ, vel cui in judicio Dei alter maximè eſt obligatus: talis enim videtur eſſe omnium fundantium, vel conducentium Miſſas implicita intentio, ut ſi ipſiſmet non proſit, proſit aliis modò memoratis, uti notat noſter Marchant. *Trib. p.* 2. *tr.* 2. *q.* 2. *dub.* 2.

356. Dictum eſt autem primò, *abſolutè loquendò;* nam poſitîs certîs conditionibûs, & ne fructus ſpecialis in Theſaurum Eccleſiæ redeat, rectè poſſunt fieri applicationes ſecundariæ conditionatæ, atque ad evitandum, ne fructus ſpecialis Miſſæ in Theſaurum Eccleſiæ redeat, optimè conſulunt Doctores (ait Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 7. *n.* 78. *& ſeq.*) ut fiat aliqua ſecunda intentio ſeu applicatio, per quam, ſi fructu Miſſæ non egeat, vel ejus incapax ſit ille, pro quo applicatur, mox alii ſubſtituantur, quibus in tali caſu fructus Miſſæ applicatus obveniat. Sed quoniam nobis non certò con-

conſtat, quibus in tali caſu optimè poſſit, vel etiam debeat fructus Miſſæ applicari: hinc conſultum erit, ut generaliter eliciatur talis intentio, qua quis in ejusmodi caſibus ſemper velit tali ſecunda intentione fructum Sacrificii Miſſæ illi, vel illis applicare, cui, vel quibus Deus novit, hic & nunc præ cæteris magis deberi illum applicari, ac, ut applicetur, Deo gratius fore. Hæc ille. Poterit autem à Sacerdote Religioſo forma applicationis ſecundariæ fieri ſequentî, vel ſimilî modô. *Offero tibi, Domine Deus, & applico hoc Sacrificium ſecundùm intentionem petentis à Superiore meo mihi deſignatam, cum intentionibus ſecundariis, prout noſti, me poſſe ac teneri applicare, ità ut perfectè, & per omnia ſatisfaciam petentium intentioni, ſanctæ obedientiæ, & meæ obligationi; cedátque hoc Sacrificium ad laudem & gloriam Nominis tui, ad utilitatem quoque noſtram, totiúsque Eccleſiæ tuæ ſanctæ. Amen.*

357. Dictum eſt ſecundò, *in Miſſis obligatoriis ex pacto, ſtipendio, fundatione offerendis;* ſecus enim eſt in Miſſis liberaliter oblatis; c. g. promiſiſti liberaliter Petro, Miſſam celebrare pro ejus defuncto Patre: in hoc & ſimili caſu potes liberè facere applicationem ſecundariam, dicendô: *Si Pater Petri capax non eſt, vel non indiget, offero*

pro

pro meis parentibus &c. Ratio eſt: quia, niſi aliter expreſſum, vel petitum, & à te acceptatum fuerit, non videris te obligare voluiſſe, niſi ad hoc & in tantum, quod & in quantum expreſsè & liberaliter promiſiſti, ipsáque verba ſonant. Interea tamen judica te ex temetipſo, & vide, qualem liberaliter promittendô voluntatem faciendi & applicandi habueris. Si nihil cogitâſti de ſecundariâ (in hoc caſu) applicatione, vel ſi dubius hæres, facere potes, quod mox dictum eſt; quia in dubio liberalis promiſſionis ſtat pro te poſſeſſio, & aliunde odia reſtringi, ſavores autem convenit ampliari. Excipiendum tamen eſt, ſi abſolutè & liberaliter promiſiſti Petro facere unum Sacrum ad illius intentionem: ſi enim hic (maximè, ſi rerum intelligens eſt) dicat: *celebret Miſſam ad meam intentionem;* non poteris illico pro tuo libitu præfatam ſecundariam applicationem facere abſolutè, bene tamen conditionatè. Quod etiam faciendum ſuadetur illis, qui vel ſunt anxiæ conſcientiæ, vel ſe, qualemnam promittendô animum habuerint, determinare, & reſolvere neſciunt.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio IX. An fructus Sacrificii quandoque dividere liceat?

358. ℞. 1. Quotiescunque Sacerdoti cuicunque non incumbit obligatio offerendi Sacrificium ad certam aliquam intentionem, toties certò poteſt ità ſeparare fructus omnes miniſteriales, ſeu ſpeciales, ſatisfactorios, propitiatorios, impetratorios &c. reſervandô ſibi vel ullum, vel alterum, vel nullum, & reliquos dividendô in alios, unum, plures, vivos vel defunctos. Sporer *c.* 4. *n.* 295. Ratio eſt: quia juxta Jura, *conceſſum intelligitur, quidquid expreſsè prohibitum non reperitur.* Atqui in his nihil ex ullo capite reperitur prohibitum; ergo.

359. ℞. 2. Quando Sacerdos obligatur facere Sacrum ex juſtitia pro ſtipendio accepto, vel accipiendo &c. ad aliquam intentionem, non poteſt licitè ità dividere fructus Sacrificii, ſed totum fructum hujus Sacrificii illi ſtipendium danti, & ad hujus intentionem applicare debet. Ità communis DD. Vaſq. Bonac. Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 1. *§.* 3. *n.* 46. Gobat *Theol.*

Ex-

Exper. tr. 3. *caſu* 5. *n.* 153. alii. Ratio deſumitur ex ſenſu & intentione omnium fidelium pro Miſſis ſtipendium dantium, qui, ſi contrarium fieri intelligerent, ægerrimè procul dubio ferrent, ac iniquum judicarent. Sive, ùt ait Tambur. cit. communis ſenſus hominum petentium, vel injungentium, vel voventium Miſſam, eſt de toto valore ejusdem, ſinè ulla diſtinctione; qualis nimirum poteſt haberi à tali Sacerdote, qui celebrare debebit. Et hæc etiam locum habere debent in Miſſis pro defunctis ſtipendiô conductis, ut nimirum eis totus fructus tam ſatisfactorius, quàm impetratorius applicari debeat. Ità poſt alios Gobat, apud & cum Aman *num.* 655. Ratio præter alias, eſt: quia, etſi animæ defunctorum dicantur directè fructûs ſatisfactorii tantùm capaces eſſe, verè tamen probabile etiam eſt, eas fructu impetratorio Miſſæ ſaltem indirectè multùm juvari poſſe, ſicut aliis Suffragiis: poſſumus enim illis impetrare gratiam, ut Deus excitet multos, qui pro ipſis precentur, Miſſas & alia opera ſatisfactoria offerant: ut Deus ipſis applicet Miſſas & Suffragia oblata pro aliis non indigentibus, incapacibus, indignis &c. Et revera, in re incerta animas defunctorum directè excludere,

opus

Digitized by Google

opus charitatis non eſt. Datô autem, quòd animæ defunctorum non niſi ſolius fructus ſatisfactorii capaces ſint, adhuc tamen non licet tibi fructus reliquos pro libitu tuo applicare, ſed teneris applicare juxta mentem dantis ſtipendium, faciendô ſecundùm ea, quæ *ſuprà num.* 355. dicta ſunt.

360. Quare (inquit Sporer cit. *num.* 302.) non placet, & in praxi omnimodè diſſuadenda eſt opinio oppoſita Rubei, cúmque ſecuti Dianæ *p.* 9. *tr.* 2. *reſol.* 8. nempe, Sacerdotem teneri defunctis applicare ſolum fructum ſatisfactorium, reliquos fructus poſſe pro libitu diſpenſare ſibi, aliis : ideóque Miſſas pro defunctis plùs prodeſſe Sacerdoti, quàm Miſſas pro vivis. Non placet etiam placitum cujusdam Viri docti dicentis, ſe libentiùs celebrare pro defunctis, quàm pro vivis Miſſam ſtipendiô conductam, eò quòd in primo caſu, non item in ſecundo ; poſſit transferre vim impetrandi, in quemcunque voluerit. Placet autem P. Gobat reprobans praxin cujusdam Capellani, qui obligatus ex fundatione aliquoties in ſeptimana celebrare pro defunctis, applicabat ipſis Sacrificium quoad vim ſatisfaciendi tantùm, at ſibi quoad vim impetrandi. Hæc Sporer; cujus ratio patet ex dictis.

361.

361. ℞. 3. Quando liberaliter promittendô te obligâſti pluribus, Sacrificium petentibus in diverſos fines, ùt uni pro redemptione defuncti, alteri in honorem alicujus Sancti, tertio ad impetrandam ſanitatem; poteris unicam legendô Miſſam ſatisfacere, pro ſingulis applicandô fructum ſuæ neceſſitati correſpondentem, ùt cum Tambur. *num.* 47. & Gobat *n.* 158. tradit Sporer *num.* 296. dicens, te poſſe ſic omnibus vel unâ Miſſâ ſatisfacere applicandô ſingulis fructum intentum; vel in diverſis Miſſis ſolum fructum petitum ſingulis applicare, reliquos tibi, vel aliis reſervandô. Ratio eſt: quia liberalis promiſſio eſt ità interpretanda, ut promittenti ſit quàm minimè oneroſa. *l. Quidquid adſtringendæ. ff. de verb. obligat.* idque maxime verum eſſe debet, quando verba promiſſionis ex mente petentis ſignificant limitationem. Sed hanc doctrinam (inquit Aman *num.* 656.) non cenſeo practicè veram eſſe, niſi in caſu, ubi vel promittens, vel promiſſarius hanc limitationem ad unum duntaxat Sacrificii fructum expreſſiſſent: ſecus enim acceptabit quis totum Sacrificium à te promiſſum ſecundùm omnes illius fructus, ac ſi dediſſet ſtipendium, & ità acceptabit, atque obligabit Deus. *arg. can.* 9. *cauſ.*

22. q. 5. ibi; *Quacunque arte verborum quiſque juret, Deus ita hoc accipit, ſicut iſte, cui juratur, intelligit.* Deinde ex hac doctrina ſequeretur, quòd unicô Sacrificiô ſatisfieri poſſet triplici voto; ùt ſi quilibet ex his promiſſariis forſan antea voviſſet Miſſam ad eam intentionem, quam tu hic & nunc exequi liberaliter promittis: quod tamen falſum eſt. Hæc Aman. Sed judicium ſit penès DD.

302. Dictum eſt autem, *pluribus Sacrificium petentibus in diverſos fines*; etenim ſi unus ſolus petat Sacra ad diverſos fines, omnino intelligit totidem Sacra, & non ejuſdem Sacri diverſas applicationes: niſi vel ipſe petens, vel tu promittens, aliter expreſſeritis. Sporer *ibid.* Sed ex hoc ipſo eruitur, quòd, ſicut unus ſolus petens tria Sacra ad diverſos fines intelligit totidem Sacra, & non ejuſdem Sacri diverſas applicationes, ità etiam tres perſonæ petentes Sacrum ad diverſos fines, intelligant ſingulæ ſingulare & totum Sacrum, non autem unum tantùm fructum Sacrificii, niſi ſecus à petente, vel promittente (ùt dictum eſt) exprimatur. Sicut enim unus ſolus eſt una perſona, ſic etiam, ſi ponuntur tres, quilibet eorum eſt una perſona; ergo etiam, ſicut unus petit tria integra Sacra, ſingu-

Digitized by Google

ſingula ad diverſos fines, ſic etiam tres, id eſt. ſinguli eorum petentes Sacrum ad diverſos fines, intelligunt totum Sacrum, & non ejuſdem Sacri diverſas applicationes; ſubintellige iterum, niſi à petente, vel promittente aliter expreſſum fuerit. Unde videtur contrarium non facilè practicandum.

363. ℟. 4. Quando ex ſola obedientia, ſeu præcepto Superioris, vel Statuto Ordinis, teneris facere Sacrum ad aliquem unum certum finem, e. g. pro aliquo defuncto, aut in gratiarum actionem &c. potes reliquos fructus, qui non tendunt directè ad illum finem præſcriptum, applicare alteri, vel tibi ipſi. Gobat *num.* 155. Ratio eſt: quia obligatio legis, vel præcepti non eſt extendenda ultra finem legis vel præcepti, juxta communem DD. ex *cap. Intelligentia. de V. S.* Quare (exemplificat Sporer) ſi jubearis à Superiore offerre Sacrificium in gratiarum actionem pro aliquo beneficio à Deo obtento, potes idem Sacrificium, quoad fructum ſaltem ſatisfactorium, offerre pro aliis vivis vel defunctis. Idem dicendum, ſi Superior jubeat te offerre Sacrificium præcisè ad impetrandum aliquod à DEO beneficium v. g. ſerenam auram &c. tunc enim fructum ſatisfactorium adhuc applicare potes tibi, vel aliis vivis

Digitized by Google

vel defunctis. Similiter, ſi jubeat te Superior offerre Miſſam pro defunctis, nihil obſtat, quin eandem Miſſam pro alio quoad finem Eucharíſticum in gratiarum actionem offeras. Ex quibus patet, quid poſſint Sacerdotes Provinciæ noſtræ Antoniano-Bavaricæ, quando ipſis vi Conſtitutionum ſuarum municipalium præſcribuntur pro fratribus defunctis Miſſæ legendæ. Nota autem notantiſſimè, hæc intelligenda eſſe, *ſalva alia Superioris diſpoſitione*; Si enim Superior (ſaltem in Provincia noſtrâ Bavarica) quoad reliquos fructus aliter diſpoſuit, non potes eos tibi, vel alteri applicare, ſed teneris juxta Superioris voluntatem humiliter obedire. Unde etiam Aman cit. rectè & providè monet, dicens: In his, & ſimilibus ſatius eſt pro tranquillitate animi, ut Celebrans talem fructum non abſolutè ſibi reſervet, vel aliis applicet, ſed conditionatè, ſi videlicet coram Deo non fuerit illicitum, aut Superioris diſpoſitioni contrarium.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſt. X. Pro quibus Sacrificium Miſſæ licitè offerri poſſit?

364. ℞. 1. Pro damnatis, & notoriè, id eſt, evidenter in ſtatu peccati mortalis defunctis nec validè, nec licitè offerri Sacrificium Miſſæ. Ità Sporer *Theol. Sacram. p.* 2. *c.* 4. *n.* 269. Aman *num.* 660. Ratio prioris eſt: quia pro illis invalidè applicatur Sacrificium, qui ſunt ſimpliciter, ac æternùm incapaces fructum ex eo recipiendi: atqui tales ſunt damnati, & notoriè, id eſt, evidenter in ſtatu peccati mortalis defuncti; ergo. Quòd autem nec licitè; ratio eſt: quia dæmones, aliique damnati ſunt abjuratiſſimi hoſtes Dei, in ſua malitia obfirmati, & cum Dei Majeſtate læſa nunquam ampliùs reconciliabiles. Aman cit. Unde *c. Placuit.* 23. *q.* 5. habetur, *ut, qui ſibi ipſis voluntariè quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorſus pro illis in oblatione commemoratio fiat.* Quod tamen poſt alios Gobat *num.* 170. rectè intelligit de *commemoratione publica*, v. g. per collectam nomine Eccleſiæ faciendâ: nihil enim obſtat, quin in tuo *Memento mortuorum* ex privata devotione dicas: *Domine, commendo tibi etiam*

animam illius, qui ſe nuper ſuſpendit, vel ſubmerſit, ſi fortè ex inculpata amentia fecit; aut ſi ante mortem verè pœnituit. Sporer. Dictum eſt autem, *notoriè, id eſt, evidenter,* hoc eſt (ùt loquitur Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 6. *n.* 61. cum Gloſſa communiter receptâ) quando evidens eſt, aliquem deceſſiſſe in peccato mortali; utputa, cùm quis ſe ipſum ſuſpendit, præcipitat, vel alio modo occidit: ſecus enim eſt dicendum, ſi de hoc ſit dubium; quia tunc, id eſt, ſtante dubio oportet meliora de proximo ſperare. Attamen cauſâ à legitimo Judice ritè examinatâ, & contra defunctum declaratâ, Judicis judicio ſtandum, & à celebranda pro defuncto Miſſâ abſtinendum eſt.

365. R. 2. Sacerdotem, ùt publicum Miniſtrum Eccleſiæ, atque in perſona & nomine Eccleſiæ offerentem & orantem, non poſſe, nec validè, nec licitè, offerre Sacrificium pro excommunicatis, ſaltem non toleratis & vitandis, quales ſunt ſolùm nominatim denuntiati, & notorii percuſſores Clericorum. Ità omnes apud Sporer *num.* 276. Ratio eſt: quia id Eccleſia expreſſè prohibet, *c. Sacris. de ſent. excomm.* privans excommunicatum omnibus communibus Eccleſiæ Suffragiis, inter quæ præcipuum eſt Sacrificium nomine Eccleſiæ

ob-

oblatum, nec omnio vult peo talibus orari in publicis ſuis precibus. Dictum eſt autem, *ſaltem non toleratis;* quia, utrùm pro excommunicato tolerato, ſeu non vitando Sacrificium offerri poſſit, duplex eſt DD. ſententia. *Prima* plurium DD. ſententia negat, Sacrificium pro iis ſimpliciter offerri poſſe. *Secunda* ſententia concedit, docétque Eccleſiæ prohibitionem (ne Sacrificium offeratur pro excommunicatis) non comprehendere toleratos, ſeu non vitandos. Ità cum Navar. Henriq. Tanner, Herincx, Fraſſen, Reiffenſt. Sporer cit. & alii; atque ità (inquit Aman *num.* 663.) licitè pro illis applicatur Miſſa etiam directè. Eruitur hoc ex Concil. Baſileenſi, *Seſſ.* 2. ac *Extrav. Ad evitanda.* Martini V. Ratio eſt: quia excommunicatis toleratis communicamus defacto etiam in aliis Officiis Divinis publicis, eiſque præſentibus precamur: *Miſereatur veſtri &c.* ùt monet Herincx; ergo videtur etiam licitum pro ipſis offerre Sacrificium: licèt aliqui velint, hanc oblationem ſolùm valere, & fieri oportere in Perſona Chriſti, non autem Eccleſiæ; & ità quidem docet Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 6. *n.* 65. dicens: quamvis tale Sacrificium prodeſſe valeat excommunicatis toleratis, quatenus offertur in Perſo-

Digitized by Google

na Chriſti, non tamen ipſis proderit, quatenus offertur in perſona Eccleſiæ; cùm Pontifex in Bulla expreſsè proteſtetur, quòd *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.*

366. Porrò, Sacerdos, quatenus ut privata perſona Sacrificium offert & orat, omnino poteſt illud offerre, & fructum tam ſatisfactionis, quàm impetrationis ex opere operantis, ſecundùm privatam ſuam diſpoſitionem proventurum applicare cuicunque homini capaci, quamvìs excommunicatus non toleratus ſit. Communis DD. Sylveſt. Navar. Suarez, Coninch, Avila, apud & cum Laym. *l. 5. tr. 5. c. 2. n.* 17. Ratio eſt; quia Eccleſia ſolùm privat ſuffragiîs Eccleſiæ communibûs ſeu publicîs, adeóque etiam Sacrificiô, quatenus offertur nomine Eccleſiæ: atqui iſta privata oblatio & oratio non fit nomine Eccleſiæ, ſed eſt propria Sacerdotis, quà perſonæ privatæ; ergo. Atque ideo meritò hæc ejus arbitrio permittitur, nec ab Eccleſia prohibetur, *& fortaſſe prohiberi non poteſt, quò minùs ex motivo charitatis communicetur cuicunque homini ſpiritualium bonorum, & ſalutis capaci*, ait Layman cit. Cæterùm (per Parentheſin) pro beſtiis non poſſe offerri Sacrificium directè, ut ipſis in ſe, &

pro-

propter ſe proſit, extra dubium eſt: poteſt tamen offerri indirectè, quatenus nimirum directè offertur pro ipſis hominibus ad conſervanda ipſis ſua bona temporalia, inter quæ non infimum locum tenent etiam beſtiæ, præſertim utiles, boves, oves, equi &c.

367. ℞. 3. Poſſe quidem pro Paganis & infidelibus (imò & excommunicatis) Sacrificium Miſſæ offerri indirectè, non autem directè. Ità Maſtrius *diſp.* 19. *Theol. Moral. n.* 62. citans communiorem & probabiliorem DD. apud Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 6. *n.* 67. Ratio *primi* eſt; quia licet offerre Sacrum pro exaltatione S. Eccleſiæ; ergo hoc ipſo indirectè etiam oratur & celebratur pro converſione quorumcunque Infidelium; cùm ipſa exaltatio S. Eccleſiæ vel maximè fiat & accreſcat ex Infidelium converſione. Et de hoc nullum eſt dubium. Quòd autem *directè* pro Infidelibus Sacrificium Miſſæ offerri nequeat, ratio eſt: quia Pagani & Infideles necdum ſunt effecti membra Chriſti per Baptiſmum in re, vel ſaltem in voto ſuſceptum: atqui Sacrificium Miſſæ non poteſt directè applicari, niſi pro membris Chriſti; quia, ùt inquit D. Auguſtinus *lib.* 1. *de anima*, *& ejus orig. c.* 9. relatus à D.

Thoma 3. *p. q.* 79. *art.* 7. *ad* 2. *Quis offerat Corpus Chriſti, niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti?* ergo.

368. Hîs tamen non obſtantibûs, licitum eſt pro iisdem Paganis, Judæis, & Catechumenis etiam directè offerre Sacrificium ſaltem quoad vim impetrandi ex opere operantis. Ità Bellarm. *l.* 2. *de Miſſa. c.* 6. Suarez, Conincb, Laym. Bonac, Herincx, Sannig, Henno, & alii apud & cum Aman *num.* 665. Ratio eſt: quia ex una parte non conſtat, id ullibi ab Eccleſia expreſſe prohibitum eſſe; ex altera verò parte infideles ſunt capaces fructûs Sacrificii, eò quòd ſint capaces bonorum ſpiritualium; alioquin enim Sacrificium nec indirectè pro iis offerri poſſet. Quòd verò Sacrificium nequeat infidelibus prodeſſe ex opere operato, ratio eſt: quia pro illis tantùm inſtitutum eſſe creditur, pro quibus inſtitutum eſt in ratione Sacramenti, ut ex opere operato fructificet; quia ergo in ratione Sacramenti quoad effectum ex opere operato, inſtitutum non eſt pro infidelibus, ideóque neque in ratione Sacrificii. Docet tamen Sporer *num.* 274. infideles capaces eſſe alicujus fructus Sacrificii, non quidem quoad meritum & ſatisfactionem, bene tamen quoad impetrationem, etiam ex ope-

re

re operato; quatenus intuitu Sacrificii eis impetrari poſſunt aliqua bona tam ſpiritualia, ùt gratiæ actuales, auxilia Divina, bonæ inſpirationes, & lumina in ordine ad converſionem, pœnitentiam &c. quàm temporalia, ùt ſanitas corporis, libertas, ſerenitas aëris &c. Unde ſic volente infideli Turcâ, Judæô, pro eo non tantùm Sacrificium offerri ad ejuſmodi fines, ſed etiam pro oblato ſtipendium exigi, & recipi poterit. Hæc ille. Quidquid autem ſit; optimum erit, ſi Sacerdos in caſûs emergentia intendat Infidelibus Sacrificium prodeſſe omni meliori modo, quo hìc & nunc poteſt, aut etiam debet: ſic enim res ſalva, & ipſe ſecurus erit.

369. R. 4. Licitum eſſe Sacrificium Miſſæ in Perſona Chriſti, & nomine Eccleſiæ directè offerre non ſolùm pro quibuſcunque fidelibus vivis, etiam maximis peccatoribus (ab Eccleſia non præciſis, ſeu excommunicatis, ùt *ſuprà n.* 365.) ſed etiam pro defunctis in Chriſto nondum planè purgatis, ſeu in Purgatorio exiſtentibus. Eſt certa; & patet tum ex Forma Presbyteratûs: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſáſque celebrandi, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* tum ex Concilio Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 2. ibi: Sa-

cri-

Digitized by Google

Sacrificium *non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolorum traditionem, offertur.* Tum ex continua praxi S. Romanæ Eccleſiæ.

370. Dictum eſt, *etiam pro maximis peccatoribus;* certum quippe eſt, Miſſæ Sacrificium licitè offerri pro fidelibus, etiam peccatoribus non excommunicatis; illud tamen exiſtentibus in peccato mortali non prodeſt quoad effectum ſatisfactorium, ſed ſolùm, quatenus Sacrificium hoc eſt propitiatorium (in quantum nimirum virtute ejuſdem Deus ipſis ſit placatus & propitius) & impetratorium. Reiffenſt. cit. *num.* 63. Ratio eſt: quia remiſſio pœnæ temporalis (qualis fit per fructum Miſſæ ſatisfactorium) non poteſt fieri, niſi priùs pœna æterna peccato mortali debita remiſſa, & in pœnam temporalem commutata ſit, atque hoc ipſo peccatum mortale per juſtificationem (quæ fit mediante contritione, vel Sacramentali abſolutione) remiſſum, homóque ipſe jam juſtus, & in gratia Dei conſtitutus ſit; ergo quoad fructum ſatisfactorium exiſtentibus in peccato mortali, pœnæque æternæ in hoc ſtatu reis prodeſſe non poteſt. Imò nota, quòd, ſi alicui pro-

propter obicem peccati mortalis non profuit fructus ſatisfactorius Miſſæ à ſe, vel pro ſe celebratæ, etiam poſtea ablato obice non ampliùs profuturus ſit; quia neque Sacrificium oblatum à juſto, vel pro juſto, ſatisfactione tunc nulla indigente, ſuſpenditur, uſque dum rurſus, novô aliquô peccatô veniali commiſſô, indiguerit; ergo multò minùs ſuſpenditur pro peccatore, uſquedum pœnituerit. Vid. Tambur. l. 2. c. 2. §. 8. n. 4. de Sacrif. Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. ℣. *Tertiò inquiri poteſt*. Ex quo colligitur, quàm zelosè & ſedulò fideles ab animarum Paſtoribus animari, admoneri, & erudiri deberent, ut Miſſam audituri, vel (ut pro ipſis celebretur) petituri, priùs ſemper per veram contritionem ſe diſponant, &, ſi fortè in ſtatu peccati mortalis exiſtant, in gratiam Dei redire efficaciter ſatagant, quatenus ſic in Dei gratia conſtituti, à Deô citiùs exaudiri, nova vitæ æternæ præmia de condigno promereri, ac fructuum Sacrificii pro poſſibili participes fieri mereantur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Stipendio Miſſæ.

371. PLurima ſunt equidem, quæ de hac materia recenſeri poſſent. Cùm verò eadem ad longum pertractent Gobat *Alphab. Sacrif. Caſu* 16. 17. *& ſeqq.* & Tambur. *de Sacrif. l.* 3. benignus Lector in caſûs occurrentia ad eos remittitur. In hoc autem *ſ.* aliquot ſolùmmodo Quæſtiones proponuntur. Unde ſit

Quæſtio I. Quid ſit ſtipendium, an licitum, & quo jure debeatur?

372. ℞. 1. Stipendium ad noſtrum propoſitum eſt quoddam Salarium, vel (ùt à Trident. *ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de Reform.* vocatur) eleemoſyna à fidelibus oblata Sacerdoti intuitu ſui ſpiritualis Miniſterii præſtiti, vel præſtandi. Aman *num.* 694. Dictum eſt, *intuitu ſui ſpiritualis Miniſterii*; etenim, Stipendium non eſt merces Sacrificii ac fructûs, quem fideles ex Sacrificio percipiunt, ſed eſt Sacerdotis pro exercitio

ſeu

ſeu Sacrificio, cui vacat, juſta ſuſtentatio, ſeu alimentum. Et hinc neque eſt pura eleemoſyna data ad ſublevandam inopiam, ſed eſt juſtum ac debitum ſtipendium ratione operæ exhibitæ. Excipe tamen Fratres Minores; hi enim ejuſmodi ſtipendia pecuniaria recipiunt ſolummodo per modum puræ eleemoſynæ.

373. R. 2. Sacerdotem pro Sacrificio celebrato, ejúſque fructu miniſteriali ritè applicato, licitè recipere, ac juſtè exigere ſalarium ſeu ſtipendium competens: non tanquam pretium Sacrificii ſeu fructûs applicati, ſed tanquam ſtipendium ad ſui ſuſtentationem; ità videlicet, ut ſtipendium Sacerdoti datum non afficiat Sacrificium, vel fructum Sacrificii, ſed ipſius Sacerdotis celebrantis (rationc ſuæ operæ in alterius gratiam navatæ) congruam ſuſtentationem. Ità omnes apud Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 5. ſect. 4. n.* 356. Ratio *ex parte Sacerdotis* eſt: quia *dignus eſt operarius mercede ſua.* 1. Tim. 5. Item, ùt ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 9. *Neſcitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt; & qui Altari ſerviunt, cum Altari participant: ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ratio *ex parte Sacrificii* eſt: quia hoc, & fructus ejus res planè ſpiritua-

tualis eſt, & Divina, ideóque nullo pretio æſtimabilis : ac proinde, ſi paciſcentibus de ſalario, ipſum Sacrificium, vel fructus Sacrificii in contractum & commutationem veniret, ſic ut ſtipendium daretur, & acceptaretur pro ipſo Sacrificio, vel ejus fructu, tanquam pretium illius, committeretur graviſſimum peccatum mortale, nempe ſimonia juris Divini, quæ eſt malitia graviſſima contra Religionem, ùt de ſe patet. Idem contingeret, ſi quis in Altari privilegiato celebrare juſſus, intuitu Privilegii, quod eſt planè quid ſpirituale, pinguius ſtipendium peteret. Vid. dicta *num.* 384. Secus eſt, ſi Sacerdos aliquid temporale per modum pretii exigat & recipiat pro labore Miſſæ, non quidem intrinſeco, qui neceſſariò connectitur cum celebratione Sacrificii, ùt eſt ſe veſtire, genuflectere, legere Orationes &c. ſed pro labore & incomodo extrinſeco, quod per accidens connectitur cum Miſſa, v. g. longum iter conficere ad celebrandum, ſummo manè ſurgere, multum temporis inſumere exſpectandô conſtituentes & audientes Miſſam &c. Aman *num.* 696. Ratio eſt : quia hic labor ſpiritualis non eſt, neque ſpirituali annexus, ſimúlque eſt pretiô æſtimabilis, utpote quo Sacerdos ſe privat

ſua

Digitized by Google

ſua commoditate, ſubit difficultates, & aliis temporalem utilitatem confert ad Miſſam ſine moleſtia longi itineris audiendam. Porrò, Sacerdotem cantantem Miſſam poſſe aliquid per modum pretii accipere pro cantu, vel mora, qua Miſſa diutiùs duret, approbat Lugo *d.* 21. *n.* 11. apud & cum Aman cit. nam & hic cantus (ait) cùm per accidens connectatur cum Sacrificio, ſicut cantus Muſicorum, labor temporalis, adeóque pretiô æſtimabilis haberi debet. Conſentit Sporer *num.* 359. dicens, id apud omnes in confeſſo eſſe, æquitatem poſtulare, & praxin obtinere. Item & ratione moræ; ſiquidem quò diutiùs eſt aliquis in officio alterius, perferendò v. g. moleſtias frigoris, aut impedimentum aliarum actionum, eò plus meretur de ſalario. Aman *ibid.*

374. ℞. 3. Sicut Sacerdos accipiens ſtipendium intuitu Miſſæ tenetur ex juſtitia Miſſam celebrare, ſic & promittentes ſtipendium tenentur ex juſtitia iſtud dare, & ex eodem titulo à Sacerdote tam divite, quàm paupere poteſt exigi. Ita Aman *num.* 696. & patet ex ſe. Ratio eſt: quia ſtipendium eſt in materia juſtitiæ, naſciturque ex contractu, *do, ut facias*, & *facio, ut des.* Dictum eſt autem, *à Sacerdote tam*

divite &c. etenim Sacerdos etiam dives, & aliunde habens, quo vivat, licitè petit & accipit pro Miſſa ſtipendium. Ratio eſt: quia nemo militat ſuîs ſtipendiîs, & Sacerdos etiam dives, dum in officio alterius exiſtit, meretur ab eo ali, & ſuſtentari; ſicut Clerici tutò recipiunt ex fundatione ſtipendium ob recitatas Horas Canonicas, licèt ex ſuo patrimonio ſufficiens habeant vitæ ſubſidium. Ità communis.

Quæſt. II. Quantum Stipendium liceat Sacerdoti celebranti accipere, & exigere?

375. ℞. Sacerdotem pro unaquaque Miſſa recipere poſſe ſtipendium tantum, quantum, etiam utcunque magnum liberalitas fidelium liberaliter, & ſpontaneè offert: at verò *juſtè* tanquam ex juſtitià debitum non poteſt exigere, & recipere, niſi juſtum. Ità omnes apud & cum Sporer *num.* 357. Ratio *prioris* eſt: quia ex parte dantis liberaliter ſupponitur libera & inimpedita de rebus ſuis diſponendi facultas; adeóque ſicut iſte dandô non peccat, ità nec ille accipiendô. Ratio *poſterioris* eſt: quia juſtè ſeu obligatoriè nullus petere & exi-

exigere poteſt id, quod ex juſtitia debitum non eſt; ergo. Unde agit contra juſtitiam, peccátque pro ratione materiæ, qui vi, dolo, alióve illicito modo exigit, vel extorquet pro uno Sacrificio plus, quàm taxa, vel rationabilis conſuetudo permittit. Nec dicas: indigus ſum, & modò omnia neceſſaria ad victum & veſtitum cariùs venduntur; nonne ergo etiam creſcere debet ſtipendium Miſſarum? Non debet creſcere, etiamſi ſtipendium conſuetum ſit exiguum: nam in tali caſu etiam pecunia apud alios carior, & quaſi pretioſior fit. Sic cum aliis Vaſq. *diſp.* 234. *c.* 3. *n.* 21. apud & cum Sporer *num.* 359. non contradicente la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 128. quamvis quoad hoc ultimum Aquilino Aman *num.* 702. oppoſitum videatur probabilius. Ratio ipſius eſt: quia celebranti ad intentionem petentis debetur ſuſtentatio; ſive ergo dicatur, ſtipendium unius Miſſæ debere ſufficere ad Sacerdotis ſuſtentationem integræ diei, ſive ad dimidiam illius partem, poterit ſemper exigi tantum ſtipendium, quod perſpecta caritate victualium ad dictum finem (id eſt, ad ſuſtentationem Sacerdotis) requiritur, niſi pauperies, & inopia petentis contrarium ſuadeat. Ità ille.

376. Petes autem, quodnam ſit juſtum Miſſæ ſtipendium? ℟. Juſtum Miſſæ ſtipendium eſſe, quod Epiſcopali lege, vel loci conſuetudine taxatum eſt, aut communi piorum ac prudentum virorum conſuetudine dari, & recipi ſolet. Ità omnes. Et quidem Cajetan. Navar. aliique apud Layman *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 13. cenſent, non eſſe juſtum ſtipendium, niſi detur tantum, quantum ſufficit ad ſuſtentationem ac victum frugalem unius diei honeſti hominis; id verò (ait Layman) non immeritò reprobant Rodriq. Suarez *diſp.* 86. *ſ.* 2. Corduba *l.* 1. *Quæſtionar. q.* 4. quandoquidem Sacerdos non niſi unicam diei horam ſacrificandô inſumere ſolet; reliquum verò diei tempus aliis officiis impendere poteſt. Sufficit igitur media, vel etiam tertia pars ſuſtentationis: quamvis plus liberaliter offerri poſſit, & interdum etiam oporteat propter Sacerdotum inopiam, ſi nullum Eccleſiaſticum Beneficium obtineant. Hæc Layman. Sporer tamen *num.* 357. diſtinguit, dicens, ſententiam Cajetani &c. veram eſſe, loquendô de Beneficiis Miſſarum ſtatarum ac quotidianarum; ſiquidem ipſa conſuetudo & ratio convincit, debere Sacerdoti toto anno celebranti e. g. pro certa perſona, pendi ab illa totam annuam ſuſten-

ſtentationem. At verò, loquendô de ſtipendio manuali, ſeu pro Miſſis non ſtatis, oppoſitam ſententiam negativam tenent Suarez, Vaſquez, Dicaſtil. aliique cum Laym. cit. Gobat *Alphab. Sacrif. caſu* 17. *n.* 563. Ratio eſt: quia & conſuetudo & æquitas repugnat: non enim eſt æquum, ut pro labore unius horæ, vel ſemihorulæ exigatur victus integri diei; cùm etiam dans ſtipendium non teneatur dare, niſi quod dignum & juſtum eſt: non enim ad dantem ſtipendium ſpectat, abſolutè pro illa die Sacerdotem alere, ſed dare, quantum Epiſcopali lege, vel loci conſuetudine &c. taxatum eſt.

377. Porrò, quamvìs in Italia pro Miſſa privata ordinarium ſtipendium ſit unus Julius, in Hiſpania unus Regalis (qui, ùt fertur, faciunt 10. circiter noſtrates crucigeros) apud Germanos tamen majori victu egentes ordinariè ſolet eſſe duplum, 20. circiter crucigerorum; & ſpectata praxi moderna Germaniæ, meô judiciô (inquit Sporer *num.* 358.) ſummum juſtum Miſſæ ſtipendium certè debet eſſe ſex baciorum, ſeu 24. crucigerorum, ſic ut plus exigi juſtè non poſſit, nec dari debeat: quamvìs alicubi ordinarium, ſed ſanè liberale ſatis ſit ſtipendium medius florenus.

Digitized by Google

Quidquid autem ſit; ſtandum interim quidem eſt Epiſcopali lege, vel loci conſuetudine &c. ùt initiô *num. præc.* dictum jam eſt: attamen charitas in proximum egentem, periculum ſcandali &c. forſan non rarò mitigare deberent rigorem juſtitiæ, dum vel taxa irremiſſibiliter prætenditur, & conſequenter hanc non dantes, vel dare non potentes deſolati dimittuntur: vel pauperes totum quaſi victum ſuum, & ferè plus dare coguntur. Et certè, ſi juxta Layman *num. præc.* citatum plus liberaliter offerri interdum (ex charitate) oporteat propter Sacerdotum inopiam, ſi nullum Eccleſiaſticum Beneficium obtineant; cur non oporteat, ut Sacerdotes quoque divites, vel bene proviſi, minorî pauperum ſtipendiô interdum contenti ſint? Cæterùm cavendum eſt, ne pro applicato fructu ſpecialiſſimo plus ſtipendii exigatur; cùm hic, quà talis pro aliis vel applicari nequeat, vel ſaltem omnino incertum ſit, an applicari valeat. Stante igitur tali incertitudine à petitione & acceptione augmentati ſtipendii abſtinendum eſſe, palàm eſt. Vid. dicta *ſuprà num.* 336.

Quæ-

Quæſtio III. An Sacerdos pro eadem Miſſa plura ſtipendia accipere, aut unâ Miſſâ pro pluribus ſtipendiis ſatisfacere poſſit?

378. Ante ℟. notandum eſt Decretum Urbani VIII. vel potiùs ejus authoritate confirmatum à Congregatione Cardinalium annô 1625. ibi: *Ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, ſtipendia, quantumcunque incongrua & exigua, ſive ab una, ſive à pluribus perſonis, collata fuerunt, aut conferentur in futurum, Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscunque, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemoſyna præſcripta fuerint, ità ut alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Item, notandæ ſunt duæ Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. 24. *Sept.* 1665. quarum *prima*, ordine 8. ſic habet: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos*

pro eadem Miſſa licitè accipere, applicandô petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructûs ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII. *Secunda,* ordine 10. ſic ſonat: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramentô firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.* H. N.

379. ℞. 1. Ipſo jure naturali nunquam licitum eſſe, accipere plura ſtipendia juſta ac competentia pro eadem Miſſa citra grave injuſtitiæ peccatum. Eſt jam communis ſententia, & omnino certa, patétque ex Decreto Urbani VIII. & Propoſitionibus damnatis *num. præc.* citt. Ratio eſt; quia pugnat expreſsè contra legitimum contractum, *Do, ut facias,* &, *Facio, ut des;* vi cujus, ſicut Sacerdos petit juſtum ac competens ſtipendium, ità etiam dans ſtipendium exigit legitimum, id eſt, integrum Sacrificium.

380. ℞. 2. Neque etiam plura ſtipendia minuta pro eadem Miſſa ſimpliciter promiſſa à diverſis ignorantibus, accipere licitum eſſe; e. g. ſi Sacerdos ſponte accipiat ab uno ſtipendium minus juſtô pro Miſſa celebranda promiſſa, non poteſt ab aliis ſimpliciter Miſſam petentibus accep-

tare

gare alia minora ſtipendia, uſque ad modum juſti ordinarii ſtipendii v. g. 24. crucigerorum, & ſic omnibus unâ Miſſâ ſatisfacere; aut ſi defacto ſimpliciter promiſit, aut ex fundatione ſeu Beneficio obligatur facere plura Sacra pro minutis ſtipendiis (e. g. pro octo, vel decem nummis nigris) non poteſt ſimili ſupputatione uſque ad conſuetum ſtipendium unâ Miſſâ pro pluribus ſatisfacere. Sporer *num.* 362. & patet tum ex Decreto Urbani VIII. *num.* 387. cit. dicente, *plura ſtipendia quantumcunque incongrua, & exigua &c.* tum ex Declaratione S. Congreg. Cardin. Concil. Trident. Interpretum apud Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 1. §. 1. *n.* 17. & 32. ubi ad Quæſtionem, *An, cùm Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minùs congruum, teneantur Miſſas ab offerente præſcriptas celebrare?* reſpondit: *Teneri.* Ratio autem eſt: quia talis non ſtat promiſſis: promittit enim, ùt ſupponitur, & primo, & ſecundo, & reliquis ſingulis Miſſam ſimpliciter, velut ſoli, & non ſolvit ſoli; ergo. Certè vix ullum (inquit Sporer) imò nullum reperies, qui non diceret, ſe iniquè deceptum, ſi reſciret, ità ſecum actum fuiſſe. Dictum eſt autem à

plura ſtipendia minuta pro eadem Miſſa ſimpliciter promiſſa &c. ſecus enim eſt, ſi plures præſertim pauperes, conſpirent, ſingulique partem ſuam contribuant, ut ſic pro una eadémque Miſſa congruum ſtipendium conflent; in hoc enim caſu per unum Miſſæ Sacrificium (quod unicum intendebatur) eorum intentioni, & Sacerdotis obligationi ſatisfieri, extra dubium eſt. Ratio eſt: quia hi non ſinguli & ſimpliciter, ſed omnes ſimul & conjunctim unicam, eandémque, ad ſuam intentionem celebrandam Miſſam petunt. Secus eſt in priori caſu.

381. Dices autem: Ubi non eſt congruum ſtipendium, non eſt obligatio integram Miſſam, eámque uni ſoli, qui ſcilicet ſtipendium non congruum dedit, applicandi; ergo. ℞. diſtinguendô Antecedens: Ubi non eſt congruum ſtipendium, & hoc ipſo à te non acceptatum, conceditur; ubi non eſt congruum, à te tamen liberè acceptatum, negatur Antecedens, & Conſequentia. Unde vel Miſſam acceptô ſtipendiô non congruô celebrare, aut ſtipendium, negatâ Miſſâ, reddere debes. Nec excuſat te æquivocatio; quia in contractibus hujuſmodi ad intentionem ſtipendium dantis principaliter reſpiciendum eſt. Aſt in-

inquies : Ego ſum pauper Sacerdos, & paupertas excitat artes ; ergo. ℞. Excitat artes quidem, *at illicitè fraudulentas, qualis eſt hac,* ait Gobat *num.* 568. Eſto autem, quòd ſis pauper ; attamen neque Decretum Urbani VIII. neque Alexandri VII. prohibitio pauperes Sacerdotes excipit. Monet ergo Declaratio S. Cardinal. Congregat. 1625. apud Boſco, Fraſſen, Aman *num.* 694. ſcilicet, non poſſe unicâ Miſſâ, quam quis pluribus promiſit, ſatisfieri duplicatis ſtipendiis minutis, unicum juſtum ſtipendium integrantibus.

382. ℞. 3. Neque ratione diverſorum fructuum Miſſæ Sacerdotem plura à diverſis ſtipendia accipere poſſe, ſed cuicunque ſimpliciter petenti Miſſam, ſive juſtô, ſive minùs juſtô, ſeu non congruô ſtipendiô datô, & acceptatô, teneri totum Sacrificii fructum miniſterialem ſeu ſpecialem applicare ; hanc enim omnium (niſi ſecus exprimant) conducentium Miſſam intentionem eſſe, dictum eſt *num.* 380. Cogitas fortè de fructu ſpecialiſſimo dantibus ſtipendium applicando? ſed reſpice ad Propoſitionem 8. ab Alexandro VII. damnatam, ac *num.* 378. citatam, & ſcito, incertiſſimum eſſe, an fructus ſpecialiſſimus Sacerdotis ſit aliis applicabilis ; fidèles autem,

cùm

cùm offerunt ſtipendium, non ſunt ſatisfaciendi fructu incerto. Vid. *ſuprà num.* 377.

383. Dices: Si petentes Miſſæ Sacrificium pro ſtipendio unum ſolum fructum exprimunt, hoc ipſo hunc ſolum petere cenſendi ſunt; ergo. ℞. negandô Antecedens & ſuppoſitum: hoc enim ipſo, quòd nullum fructum excipiant, omnes fructus Sacrificii, implicitè ſaltem, ſibi vel aliis (ùt *ſuprà num.* 359. dictum eſt) modo omni meliori applicari volunt: generatim enim Miſſam petens, hanc integram, ſeu omnes ejus fructus velle cenſendus eſt. Vel dic, amabò; ſi tu ipſe Sacerdos infirmus datô ſtîpendiô, petis ab alio Sacerdote, ut pro te ad recuperandam ſanitatem celebret, nonne contentus es, ſi tibi ſolum fructum impetratorium applicet? certè non; eſto autem, quòd tu contentus ſis, ex millibus tamen aliis (præſertim perſonis Laicis) forſan vix unum tibi ſimilem contentum reperies, maximè ſi reſciat, vel reſciret, quantos vel ex uno Sacrificio fructus obtinere poſſit. Quidquid dicas; ſtante tamen dubio, fructus Sacrificii à dante ſtipendium expreſsè non excluſos aliis pro libitu tuo applicare te non poſſe, certum eſt. Sed

384. Quid in hoc caſu? Cajus Sacer-

cerdos accepit quidem ſtipendium ordinarium pro Miſſa funebri, in Altari ad libitum eligendo, celebranda; ipſe autem celebrat in Altari privilegiato, applicátque Indulgentiam plenariam illi animæ, pro qua accepit eleemoſynam ordinariam: poteſtne aliquid ultrà exigere ob talem applicationem, ad quam non tenebatur? ℟. negativè. Ità Tambur. *de Sacrif. l.* 3 *c.* 1. §. 3. *n.* 48. Gobat *caſu* 16. *tr.* 3. *num.* 511. Ratio eſt: tum, quia exigit mercedem pro præſtito opere, de quo præſtando cum ipſo conventum non eſt: tum, & maximè, quia hoc ſapit valde palliatam ſimoniam; cùm illæ Altaris privilegiati Indulgentiæ (utpote res ſpiritualiſſima) nullo modo ſint pretiô æſtimabiles; niſi fortè alia opera pretiô æſtimabilis accederet, v. g. longum iter &c. quod tamen de itinere ex condicto Miſſam petentis intellige; ſi enim propria ſponte longum iter elegeris, & perfeceris, de jure propterea tibi nihil debetur; eò quòd de hoc præſtando cum dante ſtipendium conventum non fuerit. Porrò, ex hac ipſa ratione ſequitur, Sacerdotem in Altari privilegiato, ad inſtantiam ſtipendium dantis, celebrantem propterea non poſſe aliquid ultra ſtipendium datum exigere. Vid. dicta *num.* 373.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſt. IV. An Sacerdos plures habens obligationes, Miſſas ob non congruum ſtipendium ad minorem numerum reducere poſſit?

385. ℟. Ipſummet Beneficiatum non poſſe tales reductiones facere, uti omnes notant cum Caſtropal. *tr.* 13. *d.* 1. *pu.* 6. *n.* 26. & Gobat *à num.* 592. Ità la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 117. Kreſslinger in *Supplem. ad Theol. Moral. Reiffenſt. tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 91. *Addit.* ubi ſic habet: Notant DD. Capellanum Beneficiatum, vel etiam alium annuîs oneribûs Miſſarum, v. g. ex Legato ſemel acceptato gravatum non poſſe ex eo, quòd redditus annui ſint multùm diminuti, propria Authoritate imminuere onera Miſſarum; quinimo, ſtabiliter loquendô, neque idem defacto poſſunt ſpectato jure ſcripto ipſimet Epiſcopi; cùm per Decreta emanata tempore Urbani VIII. ab Innocentio XII. in Bulla: *Nuper à Congregatione &c.* annô 1697. die 23. Decembris noviſſimè confirmata, atque per extenſum videnda in Jure Canonico apud Reiffenſt. *lib.* 5. *Tit.* 3. §. 10. ipſis fuerit interdictum. Quare at-

attento Jure ſcripto pro reductione in eo caſu recurrendum foret Romam, quando ſtabilis fieret reductio. Quòdſi autem uno tantùm, vel altero anno fructus alias ratione Miſſarum obventuri notabiliter minuerentur, poſſe pro tunc adhuc Epiſcopos, non obſtantibûs Decretîs Urbani VIII. & Innocentii XII. pro rata damni imminuere onera Miſſarum, tenet la Croix *lib.* 4. *n.* 855. rationem hanc ſubjungens; quia allegata Decreta Pontificum prohibitoria videntur tantùm loqui de reductione ſtabili, & ſemper duratura, non autem pro brevi tempore. Quinimo de conſuetudine, quam ſpectandam eſſe, ait la Croix *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 117. dicuntur ſaltem aliqui Germaniæ Epiſcopatus defacto adhuc prætendere jus faciendi ſimiles moderationes, & reductiones Miſſarum etiam perpetuas, prout teſtes ſunt Gobat, & Tamburinus apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 117. ac de Germania inferiore Kerkhove in ſuis Commentariis *cap.* 3. *§.* 6. *num.* 15. *& ſeqq.* ac *cap.* 8. *§.* 2. *num.* 20. *& ſeqq.* Conceſſit equidem Concilium Trident. *Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 4. eandem reducendi Miſſas facultatem Abbatibus, & Generalibus Ordinum; verùm etiam hæc poteſtas per dictos Pontifices Urban. VIII. ac Innocent. XII. ſublata

fuit,

ſuit, prout rectè notant noſtra Statuta Generalia Victorienſia apud Kerkhove *loc. cit.* licèt cæteroquin ad inſtantiam Generalium ſoleant ſubinde hiſce de novo ſimiles gratiæ tribui, prout Benedictus XIII. menſe Julio, anno 1724. noviſſimè per Breve Apoſtolicum noſtro Generali etiam reſpectu Monialium & Tertiariorum capacium bonorum, ac ſuæ Juriſdictioni ſubjectorum clementiſſimè conceſſit ampliſſimam circa eam reductionem facultatem in Italia, ac adjacentibus Inſulis Trienniô, extra verò Sexenniô duraturam. Hæc Kreſsling. multùm notanda. Quòdſi igitur Sacerdos ſæcularis ſis, in caſûs emergentia ad Epiſcopum tuum recurras, & quod ille tibi dixerit, facias; ipſiùs enim eſt ſcire, quidnam facere, & concedere poſſit, quid non. Sacerdotes autèm Regulares Beneficiorum & reddituum capaces, ipſimet noverint, quid facere ipſis licitum ſit.

Quæ-

Digitized by Google

Quæſtio V. An Sacerdos, acceptô pro Miſſa Stipendiô, poſſit alteri Miſſam legendam committere, retentâ ſibi parte Stipendii?

386. Ante ℞. nota *primò* ſententiam ab Alexandro VII. *die* 24. *Sept.* 1665. damnatam, quæ ordine 9. ſic ſonat: *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collatô illi minorî ſtipendiô, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.* Nota *ſecundò*, aliter diſcurrendum eſſe de Miſſis, ſeu ſtipendiis fundatis Beneficiorum, Capellaniarum &c. & aliter de ſtipendio manuali tantùm pro Miſſis non ſtatis, ſed currentibus. H. N.

387. ℞. 1. In ſtipendiis fundatis Beneficiorum, Capellaniarum &c. pro Miſſis ſtatis certum eſſe, Beneficiatum pingue ſtipendium habentem, vel Capellanum (puta, Capellanum ſtabile inſtar Beneficiarii ſalarium, etiam pingue habentem) poſſe Miſſas celebrandas alteri conferre longè minorî, juſtô tamen, & ſecundùm morem patriæ competentî ſtipendiô, v. g. in noſtra Germania circiter ſex baciîs, ſeu 24. cru-

cigerîs; niſi ſecus in Fundatione Beneficii caveatur. Sporer *Theol. Sacram. p. 2. c. 5. n.* 366. Reiffenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 96. Patet ex Declaratione Sac. Congregat. Cardinal. Concil. Trid. Interpretum : nam, dum proponebatur Quæſtio, *An Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem reddituum Beneficii?* reſponſum eſt, *ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem civitatis, vel Provinciæ, niſi* (NB.) *in Fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit*. Ratio autem eſt; quia Beneficiarii habent ſuum ſtipendium non præciſe ratione Miſſarum, ſed etiam propter alia onera Beneficio annexa, cui ſpecialiter obligati ſunt deſervire, atque intuitu ipſius etiam recitare Horas Canonicas. Item, non dant Fundatores ſtipendium præciſe pro ipſis Miſſis, ſed etiam pro honeſta vel commodiore Beneficiarii ſuſtentatione, ut ſic commodiùs & alacriùs Deo ſerviant Beneficiati. Unde non mirum, quòd reſiduum ex redditibus Beneficii ſibi retinere poſſint. Hoc ipſum (inquit Reiffenſt.) dicendum videtur de Capellano, habente ſalarium ſtabile inſtar Beneficiarii: cùm ſimiliter ſit obligatus ad alia onera Capellaniæ.

388,

Digitized by Google

388. Unum notandum hîc eſt, videlicet: Si ſtipendium manuale copioſius, v. g. aureus, vel Thalerus detur Sacerdoti ex affectu ſpeciali & liberalitate erga ipſam perſonam, puta, quia bonus amicus, vel quia egenus eſt, relictâ facultate etiam ſatisfaciendi per alium (quod ſemper ſupponitur, & neceſſariò ſupponendum eſt) ſimiliter poterit, exceſſu retento, & juſtô conſuetô ſtipendiô datô, Miſſam committere alii. Sed cave, ne in ſimili caſu, & expreſſâ, vel ſaltem verè rationabiliter præſumptâ licentiâ non habitâ, auri ſacra fames te decipiat; quia ordinariè ſaltem de talibus ſtipendium copioſius ſponte dantibus, & aliud verbîs, vel ſignîs non exprimentibus, talis facultas certè præſumenda non eſt. Quòdſi verò tale ſtipendium liberalius detur pro ipſa Miſſa præciſè & ſimpliciter, ità ut liberalitas exercita fuerit præciſè in favorem ac honorem Miſſæ, vel ob ſpecialem affectum cultúmque erga Deum, B. V. Mariam, vel aliquem Sanctum, vel ob vehemens deſiderium certum Beneficium impetrandi à Deo &c. nulla habita ratione perſonæ Sacerdotis, tunc Sacerdos accipiens ſtipendium de exceſſu nihil ſibi retinere poterit, ùt mox dicetur. Quare

389. ℞. 2. Tam ipſo jure naturæ, quàm ex Declaratione Eccleſiæ illicitum, injuſtum ac reſtitutioni obnoxium eſſe, ſi Sacerdos Miſſam ſuſcepit celebrandam ſub certo ſtipendio: & eandem Miſſam alteri committit celebrandam, parte illius ſtipendii ſibi retentâ. Ità Sporer *num.* 369. *& ſeq.* Reifſenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 95. Quòd ſit *contra jus naturæ*, eſt communis DD. apud Bonac. Laym. Lugo, Tambur. & ratio clara eſt: quia, qui accipit ſtipendium ſolitô majus (vel etiam ordinarium) pro uno v. g. Sacro celebrando, nihil accipit titulô donationis, aut ullo alio, niſi titulô ſolius ſtipendii pro Miſſa celebranda, ſeu titulô celebrationis debitæ (niſi clarè expreſſum fuiſſet, ut, ſi vellet, curaret per alium celebrari juſtô ſtipendiô, & reliquum ſibi prò cura retineret) ergo dans alteri minus, quantumvìs juſtum vel ſolitum ſtipendium, reliquam partem retinet ſinè titulo & cauſa: ergo ipſius non eſt, ſèd Celebrantis eſt, eique velut injuriam paſſo reſtituenda eſt. Et (quod admodum notandum eſt) quamvis Sacerdos (ſi à principio ſtipendium accipit animô per ſe ipſum celebrandi) illius ſtipendii pinguioris dominium qualecunque ſibi acquiſiverit, eò ipſò tamen, quò poſtea mutatô animô decrevit per alium

cele-

celebrare, jam titulus & cauſa dominii, & conſequenter ipſum dominium corruit, atque, ùt loquuntur Jura, totum negotium ex parte ipſius redit ad non cauſam: & ſic de ſtricto naturæ, communi, & gentium jure reſtituendum eſt.

390. Quòd autem etiam *ex Declaratione Eccleſiæ illicitum &c.* ſit, patet *primò* ex Decreto Urbani VIII. ibi: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte ejusdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.* Ubi nota verba, *omne damnabile lucrum &c. Secundò*, patet ex Declaratione Cardinalium ab eodem Pontifice approbata apud Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi Allegat. 2. Ulterius cenſuit, Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Celebranti, & nullam illius partem retinere poſſe.* NB. *abſolutè* dicit. *Tertiò*, patet ex Propoſitione 9. ab Alexandro VII. damnata, & *num.* 395. allata; ergo. Nec dicas, Decretum Urbani VIII. non eſſe in Germania receptum; R. enim, prorſus declaratum eſſe per Decretum Alexandri VII. quod utique damnans Propoſitionem mox citatam, promulgatum & receptum eſt. Quare meritò

389. ℞. 2. Tam ipſo jure naturæ, quàm ex Declaratione Eccleſiæ illicitum, injuſtum ac reſtitutioni obnoxium eſſe, ſi Sacerdos Miſſam ſuſcepit celebrandam ſub certo ſtipendio: & eandem Miſſam alteri committit celebrandam, parte illius ſtipendii ſibi retentâ. Ità Sporer *num.* 369. *& ſeq.* Reifſenſt. *tr.* 14. *diſt.* 5. *q.* 8. *n.* 95. Quòd ſit *contra jus naturæ*, eſt communis DD. apud Bonac. Laym. Lugo, Tambur. & ratio clara eſt: quia, qui accipit ſtipendium ſolitô majus (vel etiam ordinarium) pro uno v. g. Sacro celebrando, nihil accipit titulô donationis, aut ullo alio, niſi titulô ſolius ſtipendii pro Miſſa celebranda, ſeu titulô celebrationis debitæ (niſi clarè expreſſum fuiſſet, ut, ſi vellet, curaret per alium celebrari juſtô ſtipendiô, & reliquum ſibi prò cura retineret) ergo dans alteri minus, quantumvìs juſtum vel ſolitum ſtipendium, reliquam partem retinet ſinè titulo & cauſa: ergo ipſius non eſt, ſèd Celebrantis eſt, eique velut injuriam paſſo reſtituenda eſt. Et (quod admodum notandum eſt) quamvìs Sacerdos (ſi à principio ſtipendium accipit animô per ſe ipſum celebrandi.) illius ſtipendii pinguioris dominium qualecunque ſibi acquiſiverit, eò ipſò tamen, quò poſtea mutatô animô decrevit per alium cele-

celebrare, jam titulus & cauſa dominii, & conſequenter ipſum dominium corruit, atque, ùt loquuntur Jura, totum negotium ex parte ipſius redit ad non cauſam: & ſic de ſtricto naturæ, communi, & gentium jure reſtituendum eſt.

390. Quòd autem etiam *ex Declaratione Eccleſiæ illicitum &c.* ſit, patet *primò* ex Decreto Urbani VIII. ibi: *Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte ejusdem eleemoſynæ ſibi retentâ, celebrandam committat.* Ubi nota verba, *omne damnabile lucrum &c.* *Secundò*, patet ex Declaratione Cardinalium ab eodem Pontifice approbata apud Barboſ. *de poteſt. Epiſcopi Allegat. 2. Ulteriùs cenſuit, Sacerdotes, quibus aliquandò offertur eleemoſyna major, debere abſolutè integram eleemoſynam, tribuere Celebranti; & nullam illius partem retinere poſſe.* NB. *abſolutè* dicit. *Tertiò*, patet ex Propoſitione 9. ab Alexandro VII. damnata, & *num.* 395. allata; ergo. Nec dicas, Decretum Urbani VIII. non eſſe in Germania receptum; ℞. enim, prorſus declaratum eſſe per Decretum Alexandri VII. quod utique damnans Propoſitionem mox citatam, promulgatum & receptum eſt. Quare meritò

tò concludit P. Gobat *caſu* 17. *n.* 570. Non eſſe jam probabile, abſolvendum eſſe à Confeſſario Sacerdotem, qui acceptô pinguî ſtipendiô pro pluribus Miſſis, reſervat ſibi partem illius.

391. ℞. 3. Si Petrus Sacerdos acceptum pro Miſſa celebranda ſtipendium, e. g. medium florenum, offert Paulo Sacerdoti, & hic plenè, ſponte & liberè Petro condonat tertiam partem, contentus 20. crucigerîs, poteſt Petrus hanc tertiam partem tutò ſibi retinere. Tambur. *de Sacrif. l.* 3. *c.* 1. *ſ.* 5. *n.* 14. Reiffenſt. *num.* 96. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 14. Ratio eſt: quia, ſicut Paulus poſſet in gratiam Petri omnino gratìs Miſſas celebrandas in ſe recipere, toto accepto ſtipendio eidem relicto, ità etiam poſſet partem tantùm accipere, relicta Petro alia parte, quam conſequenter hic licitè retineret. Ratio ulterior eſt: quia Paulus totum ſtipendium (ùt ſupponitur) jam acceptavit, & conſequenter de ſuo, non autem de alieno, tertiam partem Petro condonandô reliquit.

392. Dictum eſt autem, *plenè, ſponte & liberè*; nam ſi Paulus egenus, neceſſitate compulſus aliunde non poſſit habere Miſſas, niſi ſic à Petro diminutô pretiô acceptas, non ſinè involuntario admixto, Petrus

trus non liberabitur à peccato injuſtitiæ, & turpis quæſtûs, ac onere reſtitutionis; ſicut nec in ſimili uſurarius, ſecundùm omnes. Unde (ait Sporer *num.* 371.) *regulariter loquendô* ejusmodi lucrativi practicantes ab injuſtitiæ & reſtitutionis reatu reipſa & in conſcientia non excuſantur ob prætextum liberalis remiſſionis & donationis aliorum Sacerdotum minus ſtipendium ſponte acceptantium: ideo enim, parte tibi relicta, minus acceptant ſtipendium, quia ſciunt, vel experti jam ſunt, te nolle dare totum, & partem retinere velle, non ſinè involuntario admixto, utique & ipſi libentiùs habituri totum. Si ergo tu non vis dare totum, & ſinè omni juſto titulo & cauſa vis retinere partem, ideóque verè non tuum, ſed alienum injuſtè retines, tu aliquando videris. Quòdſi igitur in conſcientia tutus eſſe velis, da & offer alteri Sacerdoti integrum Stipendium, quod accepiſti: & ſiquidem is proprio motu ex gratitudine, vel diſcretione ſponte liberaliter partem remittat, tunc te in conſcientia tutum exiſtima.

393. Sed quid? Paulus Sacerdos ſcit, multas tibi hinc inde offerri à fidelibus Miſſas manuales; quare, ut faciliùs à te hujusmodi Miſſas acquirere poſſit, promit-

Digitized by Google

tit tibi ſe obligandô, quòd toties tibi tertiam ſtipendii partem ſit condonaturus, quoties ei ſtipendium pro Miſſa celebranda dederis; poteríſne hanc condonationem *quà debitam* licitè exigere? ℟. negativè. Ratio eſt: quia hujuſmodi condonatio non fit plenè, ſponte & liberè, ſed ex contractu oneroſo (*do, ut des.*) à te acceptato, éſtque ſimilis huic: Si mihi remiſeris de ſingulis Miſſis partem tertiam, dabo tibi Miſſas, quotcunque volueris. Secus foret, ſi factâ à te contra hujuſmodi promiſſionem obligatoriam ſeria proteſtatione, Paulus nihilominus ex mera liberalitate, gratitudine, aut diſcretione tertiam de ſingulis Miſſis partem tibi remitteret. Nec dicas: Paulus liberè ſe obligavit; ergo. ℟. enim negandô conſequentiam. Ratio eſt: quia, etſi Paulus ſe liberè obligaverit; tu tamen remiſſionem tertiæ partis ex oneroſa promiſſione natam, quà obligatoriam, ſeu debitam exigere non potes. Et certè, quomodo in hoc caſu tertiam partem exigere licitum ſit, ſi in caſu *num. præc.* allato licitum non eſt? Repones: Ego non teneor alteri dare Miſſas; ergo ſi dedero, poſſum aliquid retinere; quia dedi alteri, ad quod dandum non tenebar. ℟. negandô conſequentiam; quia ſi das alte-

alteri ſtipendium pro Miſſa ab alio petita, teneris (ùt dictum eſt) dare totum, & gratis. Accedit, quòd in tali caſu alteri de tuo nihil dederis; ſtipendium enim ante Miſſæ celebrationem nondum erat tuum. Reſpice ergo ad *num.* 389. *& ſeq.* & cape bene.

Quæſtio VI. Quouſque Miſſæ pro ſtipendio acceptæ differri poſſint: & quomodo peccent Miſſas hujuſmodi nimiùm differentes?

394. **Ante u. nota** *primò* **Urbanum VIII.** in Decreto, *de Celebrat. Miſſar.* §. 8. providè ſtatuiſſe, quòd *Eleemoſynas manuales, & quotidianas ità demum Sacerdotes accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ità ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis.* Nota *ſecundò*, diſtinguendum eſſe inter famoſas Peregrinationes, qualis eſt e. g. Veteris Oettingæ in Bavaria: inter cauſas moram ſeu dilationem non admittentes, utì pro agonizante, parturiente, infirmo &c.

inter Miſſas pro defunctis, & inter illas pro vivis. H. N.

395. ℞. 1. Si in locis famoſarum Peregrinationum tot Miſſæ petantur, quibus infra modicum tempus ſatisfieri nequit, poſſunt hujusmodi Miſſæ etiam ad longius tempus differri, ſervato tamen ordine, & niſi cauſa moram ſeu dilationem non admittens occurrat. Paulus Zetl v. *Clericus. num.* 50. & patet ex praxi. Ratio eſt: quia in hujusmodi caſibus hanc eſſe petentium voluntatem, prudenter ſupponitur; niſi hi proteſtentur, quòd, ſi infra tempus ordinarium Miſſæ ipſorum non poſſint legi, eas alibi celebrari facturi ſint: hac enim ſtante proteſtatione, horum Miſſæ acceptari non poſſunt. Nec obſtat, ſi multæ ex his Miſſæ ſunt votô promiſſæ; quia voventes ſtipendium dandô, Miſſásque petendô voto ſuo rite jam ſatisfecerunt, etiamſi Miſſæ ſervatô (ùt dictum eſt) ordine legantur, atque ad longius etiam tempus differantur.

396. ℞. 2. Si petantur Miſſæ legendæ pro neceſſitatibus inſtantibus, vel præſentibus, morámque non admittentibus, iſthæ quantocyus legi debent, peccátque mortaliter, qui hujusmodi Miſſas differt poſt tempus neceſſitatis elapſum. Sporer *num.*

354.

354. Reiffenſt. *num.* 97. Ratio eſt : tum, quia circumſtantia temporis, ut nimirum hoc tempore, urgente neceſſitate, ſtatim fiat, ſpectat ad ſubſtantiam rei petitæ, ùt notat etiam Lugo apud Sporer cit. tum, quia contingere poteſt, ut dans ſtipendium pro celebratione Miſſæ fraudetur fructu ipſius, e. g. ſi agonizans, parturiens, infirmus &c. moriatur, antequam Miſſa dilata legatur. Unde (addunt Doctores) in tali caſu tenetur Sacerdos ad reſtitutionem. Reiffenſt. cit. Si autem quæras, quidnam reſtituere teneatur ? ℞. det Aman *num.* 701. dicens : tenetur ad reſtitutionem ſtipendii accepti, ſi Miſſam debitam celebrare differat usque ad elapſum tempus neceſſitatis; ut ſi Miſſam e. g. pro impetranda ſanitate, aut pro felici itinere, primùm celebret ægrotô valetudini jam reſtitutô, vel itinerante jam reverſô. Ratio eſt : quia, cùm celebraverit contra voluntatem Benefactoris, hoc ipſo tunc non erat in Benefactoris officio ; conſequenter nullus ipſi ſuppetit titulus, quo acceptum ſtipendium retinere poſſit. Quapropter occurrentibûs duabûs, vel pluribûs neceſſitatibûs, moram ſeu dilationem non admittentibûs, Sacerdos non poteſt has Miſſas acceptare, & ſucceſſivè celebrare, ſed tenetur petentes admonere, & ad alios able-

legare, niſi ipſemet alium, vel alios con-ſtituere velit & poſſit.

397. R. 3. Si Sacerdos celebrare habet plures Miſſas pro vivis, & alias pro defun-ctis, minùs (cæterîs paribûs) differendæ ſunt Miſſæ pro defunctis, quàm pro vivis. Ità la Croix *l. 6. p. 2. n.* 155. Aman *num.* 700. Ratio deſumitur ex lege charitatis: quia animæ defunctorum in piacularibus flammis ſatispatientes, & pœnas graviſſi-mas ſuſtinentes ſe ipſas (ſicut viventes, ſi voluerint) juvare non poſſunt, ſed donec ad plenum purgatæ fuerint, viſione & frui-tione beatifica carere debent. Lex igitur charitatis dictat, ut eisdem citiſſimè, quoad fieri poteſt, ſubveniatur. Et nunquid *ſan-cta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exora-re, ut à peccatis ſolvantur*? Nota tamen, quod rectè monet Aman *num.* 701. videlicet: ſi e.g. pro defuncto Petro unica Miſſa ſit conſtitu-ta, plurimæ verò pro mortuo Paulo, clarum eſt, illam unicam Miſſam priùs celebran-dam eſſe, antequam abſolvatur ille totus Miſſarum numerus pro Paulo deputatus. Hujus enim animæ ſatis interea ſuccurri-tur, ubi ſecus illa, nempe anima Petri, omni per id temporis deſtitueretur refrigeriô. Item nota, dicta non ità intelligenda eſſe, quaſi Miſſæ pro vivis tam diu differendæ

ſint,

ſint, donec Miſſæ pro defunctis abſolutæ fuerint; charitas enim debet eſſe ordinata; quapropter dictum eſt, *minùs (cæteris paribûs) differenda ſunt &c.* Porrò, utrùm opus ordinatæ charitatis ſit, ſi (præſertim ex reſpectu humano) pro ſtipendio quaſi continuò pro vivis celebres, Miſſáſque pro defunctis pro libitu tuo differas, ipſe tu judex eſto.

398. ℞. 4. Si Sacerdoti plures offeruntur Miſſæ celebrandæ, poteſt eas acceptare, quando infra modicum tempus poteſt omnibus ſatisfacere. Reiffenſt. *num.* 98. & patet ex Declaratione Cardinalium ad Decret. Urbani VIII. *Reſpondendô ad* 11. ibi: *Etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.* Quòdſi autem petas, quidnam ſub ly *infra modicum tempus* intelligatur? ℞. det Reiffenſt. cit. ex Herincx *num.* 182. Modicum tempus valde credibile cenſetur eſſe tempus unius menſis, aut etiam duorum menſium, imò nonnulli id extendunt ad tres menſes; atque ùt Paſqualig. *q.* 965. apud la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 155. dicit, vix plùs concedi à quoquam, quàm tres menſes: ſi autem ultra terminum conceſſum adderentur duo vel tres dies, ait,

ait, adhuc moraliter pertinere ad hunc terminum. Dicaſtill. apud Gobat *caſu* 17. *n.* 597. Steph. *n.* 69. Paulus Zetl ℣. *Clericus.* *num.* 50. *& ſeq.* cenſent, hic eſſe ſpectandam voluntatem rationabiliter præſumptam offerentium eleemoſynam ſeu ſtipendium pro Sacris; ſive, ùt ait la Croix cit. attendendum eſſe ad circumſtantias, præſertim cauſæ, ob quam Miſſa petitur: & conſultiſſimum eſt (ait Sporer *num.* 354.) offerentes ſtipendium de hoc præmonere, nimirum Sacra petita non poſſe perſolvi, niſi intrà tot dierum ſpatium. Quemadmodum & Parochi, quando ipſis offeruntur ſtipendia pro Miſſis eo die, quo jam obligantur celebrare pro aliis, niſi id petentibus jam notum ſit, eos de hoc monere debent, & ablegare ad alios, niſi ipſi alium conſtituere velint & poſſint, aut ipſi petentes in dilationem ſponte conſentiant. Elige, quod vis, & attende ad dicta *num.* 393. *& ſeqq.*

399. Nota etiam: quamvis Sacerdotes mortaliter peccent, qui ſunt notabiliter & culpabiliter in mora celebrandi Miſſas ex ſtipendio debitas, ùt docent Herincx, Bonac. & alii paſſim apud Reiffenſt. *num.* 97. item illi, qui ſtipendia recipiunt pro nimis multis Sacris, quibus non poterunt,

niſi

niſi poſt valde longum tempus ſatisfacere (& maximè cum periculo nunquam ſatisfaciendi omnibus) quod graviſſimè prohibetur in Decreto Urbani VIII. paſſim extante apud Recentiores; nihilominus licitum eſt differre Miſſas ex ſtipendio, ſi Benefactor ſciat, & conſentiat, illas tunc primùm expediendas eſſe, cùm oneribus antea ſuſceptis ſatisfactum fuerit. Ità Reiffenſt. *num.* 99. & patet ex Declaratione Cardinalium, *Reſpondendô ad* 12. ibi : *Quamvìs onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum Celebratione id ſciat & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minùs eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.* Quòdſi igitur tibi multis Miſſis aliàs jam obligato nonnemo offerat ſtipendium pro aliis Miſſis celebrandis, informa hominem de neceſſaria dilatione; & ſiquidem in dilationem liberè conſentiat, celebra tu : ſi autem diſſentiat, Miſſas ne has accipias, neceſſe eſt; niſi eas accipias animô, aliis, præſertim pauperibus Sacerdotibus diſtribuendi, ut infra modicum, id eſt, debitum tempus ab iis legantur. Sed per parentheſin

400.

Digitized by Google

400. Quid ſentis de hoc caſu? Lætus offert tibi 30. Sacra pro defuncta Uxore ſua Bibiana legenda; tu autem recuſas, negans te tam citò poſſe perſolvere. Poſtea tamen pœnitens recuſationis, adhuc legis ipſe, ignorante Læto, qui interim prædictas Miſſas aliis Sacerdotibus legendas diſtribuit. Completis à te 30. Miſsis, petis quidem à Læto ſtipendium, ſed hoc ipſum Lætus tibi ſolvere recuſat; an licitè? ℞. affirmativè; certum enim eſt (ait Sporer *num.* 286.) eum tibi nihil debere ex contractu, quem recuſaſti, & inſciô Lætô ſolus renovare non potuiſti, niſi is poſtea ratificet ad ſolvendas vel omnes Miſſas, quas tu legiſti; vel ad totidem ſolummodo, quot alii nondum legerunt, prout nempe ipſi placuerit. Dices: Dignus eſt operarius mercede ſua, ſive (quod idem eſt) debetur operario merces ſua; ergo Lætus tenetur mihi dare mercedem meam, ſeu ſtipendium pro tot Miſſis, quot ego legi. ℞. diſtinguendô Antecedens: debetur merces operario ex contractu & pro mercede conducto, conceditur; operario ſpontaneo: ſubdiſtinguo; tali debetur merces de jure civili & vi contractûs, negatur: ex liberalitate dantis, congruitate operæ & æquitate quadam naturali, dummodo tamen

Do-

Dominus operâ ejus ad effectum intentum indigebat, conceditur quidem Antecedens, ſed negatur conſequentia. Et certè, ſi merces ultroneæ vileſcunt, operæ ſpontaneæ quid valebunt? Repones: Ego intuitu ſtipendii ſolvendi Miſſas legi; ergo. ℞. retorquendô argumentum; Operarius ſpontaneus, ſeu mercede non conductus, etiam laborat intuitu mercedis, & tamen de jure ipſi nihil debetur, præſertim ſi hujus operâ Dominus ad effectum intentum non indiget: atqui etiam Lætus operâ tuâ ad effectum intentum non indigebat, utpote per alios Sacerdotes ſatìs proviſus; ergo.

Pro Coronide

Quæſtio VII. Utrùm Miſſæ in Altari privilegiato celebrandæ: & illæ XXX. vulgò Gregorianæ nuncupatæ, quoad Privilegium vivis prodeſſe poſſint?

401. Ante ℞. ſciendum eſt *primò*, quòd *Altare privilegiatum* ſit illud, in quo conceſſæ ſunt Indulgentiæ plenariæ pro mortuis,

quibus per Sacrificantem ſuerint applicatæ, ità, ut mediante hoc Suffragio una anima è purgatorio liberari poſſit. Ità Diana *p.* 9. *tr.* 2. *reſol.* 1. apud & cum Aman *num.* 720. Percipiunt autem animæ purgantes dictas Indulgentias duntaxat per modum Suffragii & ſolutionis; quatenus Summus Pontifex virtute Clavium ſolvit pretium æquivalens ex Theſauro Eccleſiæ pro earum pœnis ex culpa reſtantibus. Ità Lugo *de Pœnit.* *d.* 27. *ſect.* 5. cit. Diana *reſol.* 2. Sciendum eſt *ſecundò*, diſtinguendum eſſe inter Miſſas S. Gregorii *pro vivis, & defunctis*: & inter illas XXX. Miſſas à S. Gregorio inſtitutas, aut approbatas pro defunctis tantùm, quæ vulgò *Miſſa Gregoriana* nuncupantur. Quoad priores (*pro vivis, & defunctis*) certum eſt, quòd prohibitæ ſint; ſecus eſt de *XXX. pro defunctis* tantùm. Audiatur Gavant. *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 3. ibi: *Dubitatum aliquando fuit, editô Decretô S. Congregationis prohibente quaſdam Miſſas S. Gregorii pro vivis & defunctis, an prohibitæ cenſeantur XXX. Miſſæ S. Gregorii? at negavit Sac. Rit. Congregatio die* 28. *Oct.* 1628. *& prælo datum eſt Decretum, petentibus Monachis S. Gregorii de Urbe.* Idem docet Quarti *Quæſt. Proœm. ſect.* 4. *punct.* 4. Arnaud *p.* 1. *tit.* 5. *n.* 10. Gerlac. *p.* 1. *tit.* 5. *Annot.* §. 8. H. N.

Digitized by Google

402. ℟. Prædictas Miſſas quoad privilegium non prodeſſe vivis, ſed defunctis tantùm. Ratio eſt: quia tam privilegium Altaris, quàm XXX. Miſſæ Gregorianæ ſolummodo pro defunctis, & quidem per modum Suffragii conceſſæ ſunt. Et quidem de Privilegio Altaris patet ex deſcriptione Altaris privilegiati *num. præc.* De XXX. Miſſis habetur ex conceſſione S. Gregorii Papæ, à quo 4. *Dialog.* 55. (apud Gav. cit.) præſcribitur Abbati Pretioſo pro Monacho Juſto iîs verbîs: *Vade, ab hodierna die diebûs XXX. continuîs offerre pro eo Sacrificium ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur.*

403. Ex dictis S. Gregorii verbis Quatuor advertenda ſunt. *Primum* eſt, quòd hujuſmodi Miſſæ non neceſſariò in Altari privilegiato legendæ ſint: dicit enim Pontifex abſolutè, *offerre pro eo Sacrificium ſtude.* *Secundum* eſt, quòd non ſit neceſſe, ut idem Sacerdos per triginta dies continuos celebret; ſufficit enim, ſive hæ Miſſæ ab eodem, ſive à diverſis celebrentur. Unde addidit Pontifex, *offerre ſtude*, abſque addito, *per te*, quod (ait Gav.) eſſet onus grave. Imò non videtur credibile, quòd Pontifex vel cogitaverit tantùm de hoc onere Sa-

quibus per Sacrificantem fuerint applicatæ, ità, ut mediante hoc Suffragio una anima è purgatorio liberari poſſit. Ità Diana *p. 9. tr. 2. reſol. 1.* apud & cum Aman *num.* 720. Percipiunt autem animæ purgantes dictas Indulgentias duntaxat per modum Suffragii & ſolutionis; quatenus Summus Pontifex virtute Clavium ſolvit pretium æquivalens ex Theſauro Eccleſiæ pro earum pœnis ex culpa reſtantibus. Ità Lugo *de Pœnit. d. 27. ſect. 5.* cit. Diana *reſol. 2.* Sciendum eſt *ſecundò*, diſtinguendum eſſe inter Miſſas S. Gregorii *pro vivis, & defunctis* : & inter illas XXX. Miſſas à S. Gregorio inſtitutas, aut approbatas pro defunctis tantùm, quæ vulgò *Miſſæ Gregorianæ* nuncupantur. Quoad priores (*pro vivis, & defunctis*) certum eſt, quòd prohibitæ ſint; ſecus eſt *de XXX. pro defunctis* tantùm. Audiatur Gavant. *p. 1. tit. 5. n. 3.* ibi : *Dubitatum aliquando fuit, editô Decretô S. Congregationis prohibente quasdam Miſſas S. Gregorii pro vivis & defunctis, an prohibitæ cenſeantur XXX. Miſſæ S. Gregorii? at negavit Sac. Rit. Congregatio die 28. Oct. 1628. & prælo datum eſt Decretum, petentibûs Monachîs S. Gregorii de Urbe.* Idem docet Quarti *Quæſt. Proœm. ſect. 4. punct. 4.* Arnaud *p. 1. tit. 5. n. 10.* Gerlac. *p. 1. tit. 5. Annot. §. 8.* H. N.

402.

402. ℞. Prædictas Miſſas quoad privilegium non prodeſſe vivis, ſed defunctis tantùm. Ratio eſt: quia tam privilegium Altaris, quàm XXX. Miſſæ Gregorianæ ſolummodo pro defunctis, & quidem per modum Suffragii conceſſæ ſunt. Et quidem de Privilegio Altaris patet ex deſcriptione Altaris privilegiati *num. præc.* De XXX. Miſſis habetur ex conceſſione S. Gregorii Papæ, à quo 4. *Dialog.* 55. (apud Gav. cit.) præſcribitur Abbati Pretioſo pro Monacho Juſto iîs verbîs: *Vade, ab hodierna die diebûs XXX. continuîs offerre pro eo Sacrificium ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur.*

403. Ex dictis S. Gregorii verbis Quatuor advertenda ſunt. *Primum* eſt, quòd hujusmodi Miſſæ non neceſſariò in Altari privilegiato legendæ ſint: dicit enim Pontifex abſolutè, *offerre pro eo Sacrificium ſtude.* *Secundum* eſt, quòd non ſit neceſſe, ut idem Sacerdos per triginta dies continuos celebret; ſufficit enim, ſive hæ Miſſæ ab eodem, ſive à diverſis celebrentur. Unde addidit Pontifex, *offerre ſtude*, abſque addito, *per te*, quod (ait Gav.) eſſet onus grave. Imò non videtur credibile, quòd Pontifex vel cogitaverit tantùm de hoc onere Sa-

cerdotibus imponendo ; utpote cùm nec ipſe ſcire poſſit, utrùm Sacerdos tales Miſſas inchoans ſit per 30. dies victurus, vel an non infirmitate, vel alia gravi cauſa à Celebratione ſit impediendus. Unde etiam (niſi conceſſio authenticè exhibeatur) non placent Miſſæ quædam ſex, quæ (ùt dicitur) *ab eodem Sacerdote* ſex continuîs diebûs celebrari debent. *Tertium* eſt, ut triginta Miſſæ celebrentur per triginta continuos dies, remota tamen ſuperſtitione : ait enim Pontifex, *nullus omnino prætermittatur dies*; ex quibus verbis geminatis (id eſt, *continuîs*, & *nullus omnino prætermittatur dies*) ſatìs liquet (ait Tambur. *de Sacrif. l.* 2. *c.* 6. *§.* 7. *n.* 5.) ſi hunc S. Gregorii ritum ſervare intendas, non debere diſcontinuari, ne unum quidem diem, Miſſas. Unde (ait Quarti cit.) colligitur, poſita interruptione illum, pro quo applicantur Miſſæ, lucrari quidem fructum 30. Miſſarum ſecundùm ſe, non autem fructum à S. Gregorio conceſſum, & illi annexum. Quod idem, ſi Miſſæ 30. uno die legantur, intellige. Vid. Gav. cit. Nihilominus prædictæ Miſſæ non diſcontinuantur ob Triduum Sacrum majoris Hebdomadæ, quo ex uſu Eccleſiæ probato non debet celebrari. Gav. Arnaud, Gerlac. citt. *Quartum* eſt,

quòd

quòd non ſit neceſſe, ut omnes Miſſæ dicantur ritu proprio pro defunctis, ſeu *de Requiem*, quæ in Dominicis, Duplicibus; item, à Vigilia Nativitatis Domini incluſivè uſque ad Octavam Epiphaniæ incluſivè: infra Hebdomadam majorem, & infra Octavas Paſchæ, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, nec non & aliîs quibusdam diebûs prohibentur. Vid. *Rit. Exact. Append. tit.* 2. §. 1. *n.* 11.

404. Patet proin ex recenſitis, quid ſentiendum, & reſpondendum ſit fidelibus viventibus, ſi petant, ut (dum adhuc vivunt) pro ſe Miſſæ Gregorianæ, vel aliæ in Altari privilegiato celebrentur: dicendum quippe eſt illis apertè, Miſſas quidem illis (ſuppoſitîs aliàs ſupponendîs) profuturas eſſe; attamen nec Altaris privilegium, nec effectum à S. Gregorio intentum illis ſuffragari. Nec dicas, homines tales in bona fide, & devotione ſua relinquendos eſſe. ℞. enim negativè: homines enim, maximè ſimplices, plebei, & rerum non intelligentes, quoad fieri poteſt, ità erudiendi & informandi ſunt, ut Miſſæ petitæ, omni meliori modo ipſis, aliisque, quibus volunt & deſiderant, prodeſſe poſſint. Ego, inquies, jam applicabo privilegium alicui animæ, cui Deus ſcit

Digitized by Google

& vult, me applicare debere. ℟. Hoc ipſum eſſe, quod pro libitu tuo facere non potes, ſi Miſſam petentes debitè informari & erudiri poſſunt; quamvis procedat in faciendis intentionibus & applicationibus ſecundariis (de quibus actum eſt *ſuprà num.* 355. *& ſeqq.*) & quando petentes Miſſam vel Miſſas debitè informari nequeunt. Cæterùm, ſi petentes debitè informati in ſua opinione & intentione perſiſtant, & averti nec poſſint nec velint, celebra, & fac, quantum potes & teneris.

405. Petes, quid faciendum tibi ſit, ſi fideles Miſſas Gregorianas, vel in Altari privilegiato celebrandas petant, ut pro pluribus, vel omnibus fidelibus defunctis applicentur? Ratio dubitandi eſt, quia tam Miſſæ Gregorianæ, quàm illæ in Altari privilegiato celebratæ, quantùm ad Privilegium Altaris, uni duntaxat animæ, non autem pluribus, vel omnibus ſimul prodeſſe poſſunt. Et quidem de Miſſis Gregorianis patet ex dictis *num.* 402. ubi Pontifex dicit, *offerre pro eo Sacrificium ſtude.* De Miſſis in Altari privilegiato liquet ex Reſcripto Pontificio, *Pro anima cujaſcunque fidelium defunctorum.* Unde Aman *num.* 720. ex Diana *p.* 9. *tr.* 2. *reſol.* 1. ait: *Altare privilegiatum eſt, in quo conceſſæ ſunt indulgentiæ*

plena-

Digitized by Google

plenaria pro mortuis, quibus per ſacrificantem fuerint applicatæ, ità, ut mediante hoc ſuffragio una anima è purgatorio liberari poſſit. H.S. ℞. ſi petentes informare potes, informa eos, ùt *num. præc.* dictum eſt; ſi autem hoc facere non potes, aut petentes informari nolunt, applica & Miſſas Gregorianas, & in Altari privilegiato celebrandas, prout Deus ſcit & vult, ut hìc & nunc applices; & tali modo obligationi tuæ rite, & integrè te ſatisfeciſſe, certus eſto. At ſcire adhuc deſideras, utrùm in caſibus *num. præc.* relatis (id eſt, perſeverante petentium opinione & voluntate) pro viventibus ità petentibus Miſſam *de Requiem* (diebûs non prohibitîs) legere debeas, vel ſaltem poſſis? Ante ℞. audi, quid quærat, & reſolvi petat ſequens

Quæſt. VIII. & ultima: An ea praxis laudanda ſit, dum quis in vivis curat pro ſe celebrari Exequias, tanquam pro mortuo?

406. Ante ℞. ſupponendum eſt ùt certum, licere, imò ſaluberrimum, & cui-

cunque fidelium omnimodis ſuadendum eſſe, ut pro ſe in vivis adhuc applicet, vel applicari faciat Miſſas ad conſequendum fructum ſatisfactorium pro pœnis reſtantibus ob peccata commiſſa, & quoad reatum culpæ per pœnitentiam remiſſa, ut eò minus poſt obitum in purgatorio ſuſtinendum habeat. Ratio eſt: quia hic fructus non ſolùm pro defunctis, ſed pro vivis etiam, tanquam condigna ſolutio pro pœnis ex culpa reſtantibus ex ordinatione Dei conſtitutus eſt, ùt patet ex Concil. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 2. H. N.

407. R. dct Laymann *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 15. (cui conſentit Caſtropal. *tr.* 21. *d. un. p.* 6. *n.* 19. apud & cum Aman *num.* 654.) dicens: Arbitror (ſalvô aliorum judiciô) talem conſuetudinem (qua quis, tanquam mortuus jam ſit, Exequias pro ſe fieri, & Officium funebre, cui ipſe præſens aſſiſtit, decantari curat) nullo modo introducendam eſſe, ſed potiùs tollendam, ſi introducta eſt: tum, quia ritibus, & ordinationi Eccleſiæ Romanæ conformis non eſt: tum, quia non video, quam utilitatem talis ſacrificandi modus habere poſſit. Nam ex Sacrificio duplex potiſſimùm fructus provenire ſolet; unus eſt ex opere operato & infallibilis, quatenus oblatio

tio fit in Chriſti perſona : & hic fructus ſtatim provenit ei, pro quo offertur, ſi capax eſt ; nec poteſt in futurum ſuſpendi, ſicut ex communi ſententia dictum fuit : conſequenter ejuſmodi Sacrificia non liberabunt hominem à purgatorio, ſi contingat eum poſt mortem reum eſſe, ſed ſolùm conferunt ad remiſſionem pœnæ temporalis conſequendam, dum vivus eſt : cujusmodi fructum etiam per alia Sacrificia conſequi poteſt. Alter fructus eſt, qui per modum impetrationis provenit, quatenus cum Sacrificio juncta ſunt Eccleſiæ Suffragia, ſive preces: & hæ quidem ſecundùm propriam tum inſtitutionem, tum ſignificationem, referuntur ad ſolos mortuos, ut non niſi impropriè, & imperitè, ne dicam ſuperſtitioſè, vivis applicari poſſint. Accedit, quòd Sacerdos in his ſuffragiis, propria ſua intentione non poſſit mutare intentionem Eccleſiæ : intentio autem Eccleſiæ eſt, ut Miſſa, quæ dicitur *Requiem*, & Officium funebre dicatur pro mortuis : nam ad eum finem Collectæ & Preces factæ ſunt ; ergo inutiliter, & infructuoſè, ne dicam ſuperſtitioſè, dicuntur pro vivis, quippe præter, aut contra Eccleſiæ intentionem. Hæc Lay-

Digitized by Google

man, eſtque hæc ſententia ſaltem probabilior.

408. Contendunt tamen Pinellus & Navarrus apud Laym. cit. id licitum eſſe: dummodo Orationes (v. g. *Inclina &c.*) ſignificantes aliquem mortuum, non applicentur vivo. Sed ℟. hoc ipſum eſſe contra inſtitutionem & intentionem S. Eccleſiæ, quæ ordinavit (ùt ex Miſſali Romano patet) & vult, ut tota Miſſa *de Requiem* pro defunctis applicetur, & Orationes ejusdem Eccleſiæ nomine pro defunctis, pro quibus tunc ſacrificatur, convenienter recitentur; aliàs enim non ſolùm Orationes, ſed etiam Introitus, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium, *Domine JEſu Chriſte, Rex gloriæ &c. Agnus Dei &c.* Communio, & ultimum *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.* pro defunctis deberent applicari, & conſequenter Miſſa eſſet ens diviſum, quod certè non videtur probare Eccleſia: ſi enim S. Rit. Congregatio 23. *Oct.* 1719. decidit, ne in Oratione pro defunctis aliquid addatur; quomodo præfatam diviſionem contra Eccleſiæ inſtitutionem abſque neceſſitate adinventam probabit?

409. Porrò, quomodo verificarentur verba Orationum, e.g. *Pro qua Hoſtiam laudis tibi immolamus: His Sacrificiis purgata: Munera,*

qua

Digitized by Google

quæ tibi pro anima famuli tui offerimus: Annue nobis, quæſumus Domine, ut animæ famuli tui hæc proſit Oblatio &c. cùm tamen pro hujusmodi anima Oblatio, id eſt, Sacrificium factum & oblatum non ſit? Certè non ſinè cauſa *Miſſæ de Requiem* dicuntur *Miſſæ Defunctorum*; ut detur intelligi, illas, ùt jacent, pro defunctis, non autem partim pro vivis, partim pro defunctis offerendas eſſe. Nec dicas, hanc praxin ſalubriter conferre ad memoriam mortis efficaciùs excitandam. R. det enim Laiman cit. memoriam ſatis refricari poſſe, ſi cures fieri Miſſam *de Requiem* pro defunctis, illíque cùm pia meditatione de morte, pœnis purgatorii &c. aſſiſtas. Item, ſatis memoriam ſecuturæ mortis refricare potes, ſi, modò hunc, modò illum ſubita morte extinctum eſſe, vides vel audis, & recogitas, tibi quoque dictum eſſe: *Vigilate, quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit;* item, ſi devota & attenta mente funera frequenter comiteris, adſisque defunctorum Exequiis, & cogites, defunctum è feretro, vel ſepulchro tibi ingeminare. *Hodie mihi, cras tibi &c.* Quoniam verò Layman in hoc caſu theologice nihil decidit, ſed mentem & ſententiam ſuam (ſalvô aliorum judiciô, ùt ipſemet ait) per ratio-

nes.

man, éſtque hæc ſententia ſaltem probabilior.

408. Contendunt tamen Pinellus & Navarrus apud Laym. cit. id licitum eſſe: dummodo Orationes (v. g. *Inclina &c.*) ſignificantes aliquem mortuum, non applicentur vivo. Sed ℟. hoc ipſum eſſe contra inſtitutionem & intentionem S. Eccleſiæ, quæ ordinavit (ùt ex Miſſali Romano patet) & vult, ut tota Miſſa *de Requiem* pro defunctis applicetur, & Orationes ejusdem Eccleſiæ nomine pro defunctis, pro quibus tunc ſacrificatur, convenienter recitentur; aliàs enim non ſolùm Orationes, ſed etiam Introitus, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium, *Domine JEſu Christe, Rex gloriæ &c. Agnus Dei &c.* Communio, & ultimum *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.* pro defunctis deberent applicari, & conſequenter Miſſa eſſet ens diviſum, quod certè non videtur probare Eccleſia: ſi enim S. Rit. Congregatio 23. *Oct.* 1719. decidit, ne in Oratione pro defunctis aliquid addatur; quomodo præfatam diviſionem contra Eccleſiæ inſtitutionem absque neceſſitate adinventam probabit?

409. Porrò, quomodo verificarentur verba Orationum, e.g. *Pro qua Hoſtiam laudis tibi immolamus: His Sacrificiis purgata: Munera,*

qua

quæ tibi pro anima famuli tui offerimus: Annue nobis, quæſumus Domine, ut animæ famuli tui hæc proſit Oblatio &c. cùm tamen pro hujusmodi anima Oblatio, id eſt, Sacrificium factum & oblatum non ſit? Certè non ſinè cauſa *Miſſæ de Requiem* dicuntur *Miſſæ Defunctorum*; ut detur intelligi, illas, ùt jacent, pro defunctis, non autem partim pro vivis, partim pro defunctis offerendas eſſe. Nec dicas, hanc praxin ſalubriter conferre ad memoriam mortis efficaciùs excitandam. Rdet enim Aman cit. memoriam ſatis refricari poſſe, ſi cures fieri Miſſam *de Requiem* pro defunctis, illíque cùm pia meditatione de morte, pœnis purgatorii &c. aſſiſtas. Item, ſatis memoriam ſecuturæ mortis refricare potes, ſi, modò hunc, modò illum ſubita morte extinctum eſſe, vides vel audis, & recogitas, tibi quoque dictum eſſe: *Vigilate, quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit*; item, ſi devota & attenta mente funera frequenter comiteris, adſisq́ue defunctorum Exequiis, & cogites, defunctum è feretro, vel ſepulchro tibi ingeminare. *Hodie mihi, cras tibi &c.* Quoniam verò Layman in hoc caſu theologice nihil decidit, ſed mentem & ſententiam ſuam (ſalvô aliorum judiciô, ùt ipſemet ait) per ratio-

nes

nes ſolummodo declarat, ego quoque opinionem Pinelli & Navarri in ſua interim probabilitate, quam apud Theologos habet, relinquo, quouſque à Summo Pontifice, vel Sacra Congregatione aliter deciſum, vel declaratum fuerit. Atque ex his patet, quidnam ad dubitationem *num.* 405. in fine propoſitam reſpondendum ſit, ſcilicet: pro vivis illis, ſicut & pro aliis vivis, conformiter menti, ac ſaltem probabiliori ſententiæ Laymani & aliorum, non eſſe dicendam Miſſam *de Requiem.*

410. Et hìc tandem explicit tota materia hujus Libelli; quæ proin cedat ad Dei ter Optimi, Maximi gloriam ſempiternam, & ad utilitatem legentium deſideratiſſimam. Omnia autem & ſingula in hoc Libello contenta ſint humillimè ſubjecta Cenſuræ & Judicio S. Romanæ Eccleſiæ, utpote quæ, *diſponente Domino, cunctorum Fidelium Mater eſt, & Magiſtra.* c. Damnamus. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

397.465

Digitized by Google

Index Alphabeticus
Rerum & Verborum.

Littera P. Prænotionem denotat. Litera T. Tractatum ſignificat. Numerus, *marginalem Numerum indicat.*

A.

Abbates, etiam Regulares, quænam benedicere, & conſecrare valeant. Tract. num. 231.

Abruptio, ſive Interruptio Miſſæ, an, & quibus ex cauſis licita. *Notabilia varia.* P. 21. & ſeqq. uſque ad Num. 29. incluſivè.

Abſolutio Sacramentalis, an, intuitu neceſſariæ Celebrationis, Sacerdoti inveterato, vel in occaſione proxima voluntariè conſtituto ſit impertienda toties, quoties. T. 126. & ſeq.

Ad-

Additio in Miſſa, an licita. *Notabilia varia.* P. 30. & ſeqq.

Altare, etiam mobile ſeu Portatile, quando violetur ſeu polluatur. T. 242. A quo reconciliandum. ibid.

Altare, in quo Sacrificium Miſſæ licitè offerri poteſt, duplex eſt. T. 201. Quomodo Altaria execrentur. *ibid.* Quodlibet Altare debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum. 202. Altare Portatile debet conſtare ex uno ſimplici lapide; poteſt tamen undique lignô circumdari. *ibid.* Altare fixum quomodo conſtruendum. *ibid.* Quid ſentiendum, ſi Altare, vel cornua aræ frangantur. 203. & ſeq.

Altare privilegiatum, quid. T. 401. & 405. An proſit fidelibus vivis. 402.

Altare, quomodo ornandum. T. 205. & ſeqq. An tribus mappis ſeu tobaleis neceſſariò cooperiendum. 205.

Antependium, ſeu Pallium Altaris, cujus coloris ſit. T. 208. An benedicendum. *ibid.* Quale adhibendum. *ibid.* An in Miſſis privatis Votivis, & *de Requiem* mutandum. *ibid.*

Applicatio Miſſæ, quid. T. 333. Quando Applicatio fructuum Miſſæ fieri poſſit, ac debeat. 339. & ſeqq. *Caſus & doctrina notabilis.* Vid. etiam Num. 346. & ſeqq. Quo-

modo

modo Miſſa applicanda. 350. & ſeqq. *Praxis & doctrina notabilis.* Fructus Sacrificii applicandi obligatio triplex. 341. & ſeqq. Applicatio Miſſæ *ſecundaria*, quid, an, & quomodo fieri poſſit. 355. & ſeqq.

Aqua modica vino conſecrando miſcenda eſt ſub mortali. T. 58. Qualis & quanta aqua vino conſecrando miſcenda. *ibid.* Regula practica quoad hoc. *ibid.* & ſeqq. Aqua vino conſecrando miſcenda, an in vinum convertatur. 61. Aqua, quando vino miſcenda. 62. An deficiente aqua, ſolum vinum conſecrari poſſit, 63. & ſeq.

Aurora, quid. T. 215.

B.

Benedictio Paramentorum, à quo facienda. T. 231. & ſeq.

Berrucca, Vid. ℣. *Pileolus.*

C.

Calcei, an in Celebrante neceſſarii. T. 256.

Calix non conſecratus, an per uſum ſacratus fiat. T. 233. Qualis in Miſſæ Sacrificio adhibendus. 238. An neceſſariò debeat

Digitized by Google

beat eſſe deauratus. 239. Debet eſſe ab Epiſcopo conſecratus. 231. 240. Quando ſuam Conſecrationem amittat. 241. Calix de novo inauratus, an indigeat nova Conſecratione. *ibid.* Calix, quando violetur ſeu polluatur. 242. A quo reconciliandus. *ibid.* Utrùm Neo-nuptis, vel aliis in Feſto S. Joannis Evang. vinum è Calice conſecrato porrigi poſſit. 243.

Capellani ſæculares Monialium, quam in harum Eccleſia Miſſam dicere poſſint. T. 267.

Cerei, quot ſub Miſſæ Sacrificio in Altari ardere debeant. T. 213. Ex quanam materia ſint confecti. *ibid.* An cereus ad elevationem SS. Sacramenti accendendus cadat ſub præcepto. *ibid.*

Ciborium an, & à quo benedicendum. T. 244.

Color aureus, utrùm æquivaleat aliis coloribus. T. 208.

Communicare, an Laici poſſint ter in Natali Domini. T. 164.

Confeſſio Sacramentalis Sacerdoti in ſtatu peccati mortalis exiſtenti, & celebrare volenti eſt omnino neceſſaria. T. 114. & ſeq.

Conſecratio ſola, & quidem utriusque ſpeciei eſt de eſſentia Sacrificii. P. 2.

Con-

Conſecratio unius tantùm ſpeciei in nullo caſu eſt licita, neque Summus Pontifex quoad hoc diſpenſare poteſt. P. 2. Item. T. 9. & 37.

Contritio, quando à Sacerdote in peccato mortali exiſtente ſub Miſſæ Sacrificio elicienda. T. 122. & ſeqq.

Copia Confeſſarii, quando non adeſſe cenſenda ſit. *Notabilia.* T. 117. Quid faciendum Sacerdoti, qui commiſit peccatum mortale reſervatum, ſed non habet Confeſſarium, niſi talem, qui à reſervatis abſolvere nequit. *Doctrina multùm notabilis.* T. 118. Neceſſitas urgens quæ ſit, ut Sacerdos in ſtatu peccati mortalis exiſtens abſque prævia Confeſſione celebrare poſſit. *Caſus notabilis.* T. 119. & ſeqq. Vid. etiam Num. 128.

Copula conjugalis, an impediat S. Communionem. T. 165.

Corporalia &c. an poſt lotionem rebenedicenda. T. 248. An, & à quo benedicenda. 249. & ſeq. Ex qua materia conficienda. 251.

Corporalia, quando violentur, ſeu polluantur. T. 242. A quo reconcilianda. *ibid.*

Crux in Altari collocanda, an cadat ſub præcepto. T. 209. An ſufficiat nuda Crux

ſine Imagine Crucifixi. 210. An coram SS. Sacramento expoſito in Altari collocanda ſit. *ibid.* Quid, ſi in Altari SS. Crucifixo dedicato adſit Icon, vel Statua SS. Crucifixi, aut Imago Crucifixi ſit affixa oſtiolo Tabernaculi. 211.

D.

Dalmaticæ, an neceſſariò debeant eſſe benedictæ. T. 230. ℣. *Quæres.*

Defectus in Miſſæ Sacrificio cavendi obligatio, qualis. T. 2.

Defectus Miſſæ ſupplendi quales, & qualiter. T. 3. & ſeqq.

Defectus ſi contingat in utraque ſpecie, quid faciendum. T. 37 & ſeqq. Quid, ſi dubitatur de defectu ſubſtantiali panis, vel vini. 40. & ſeqq.

Defectus tam Hoſtiæ, quàm vini ſuppleri debent in ipſo Celebrationis actu. T. 67.

Dies, quibus in Oratoriis privatis ſæcularium celebrari nequit. T. 189. & ſeq. Quid de infirmo. 191.

Diſpenſatio Summi Pontificis neceſſaria eſt illi, qui jejunus celebrare nequit. T. 146. ℣. *Quapropter.*

Dubium poſitivum *probabile*, & *valde probabile*, quid. T. 43.

E.

E.

Eccleſia, quomodo violetur. T. 268. & ſeqq. Quid, ſi quis in Eccleſia violata celebret. 272.

Excommunicatus occultus, an poſſit Miſſam celebrare. T. 113. 139. & ſeq. An poſſit Miſſæ Sacrificio intereſſe. T. 271.

Excommunicatus vitandus, quis. T. 271. Quid faciendum, ſi ſub Miſſæ Sacrificio ingrediatur Eccleſiam. *ibid.*

F.

Familiæ nomine, quinam veniant. T. 192. & ſeqq. An poſſint, abſente Domino privilegiato in privato Oratorio Miſſam audire. 196.

Ficte celebrans, quomodo peccet. T. 91.

Formæ Conſecrationis mutatio. Vid. ℣. *Mutatio Miſſæ.*

De Forma Conſecrationis multa notanda. P. 36. & ſeqq. item, T. 73. & ſeqq. Vid. etiam infrà ℣. *Sacerdos.*

Fructus Miſſæ, quotuplex. T. 334. A quo fructus applicandi. 335.

Fructus Sacrificii applicandi, obligatio triplex. T. 341. & ſeqq.

Fructus Sacrificii, an quandoque dividere liceat. T. 358. & ſeqq. Doctrina notabilis pro Sacerdotibus Religioſis. 363.

Fructus *ſpecialiſſimus*, an à Celebrante aliis applicari poſſit. T. 336.

G.

Gratiarum actio, *Trium puerorum &c.* poſt Miſſam præſcripta, an cadat ſub præcepto. P. 7.

Guttæ Calici adhærentes, an cenſendæ ſint conſecratæ. T. 102. 108. & ſeq. Quid faciendum de guttis intrà Calicem diſperſis. 109.

H.

Habitus Clericalis, an ſit in Sacerdotibus neceſſarius ad licitè celebrandum. T. 255. Quid, ſi Sacerdotes in habitu laicali incedant. *ibid.*

Hæretici, an Miſſæ Sacrificio intereſſe poſſint. T. 271.

Horâ, qua Miſſam celebrare liceat. T. 214. & ſeqq. Vid. etiam. ℣. *Tempus.*

Digitized by Google

Horâ duodecimâ mediâ noƈte ſonante, an adhuc liceat aliquid bibere. T. 143.
Notabilia plura. 144.

Hoſpites, quales in privato ſæcularium Oratorio Miſſam audire poſſint. T. 197.

Hoſtia Sacerdotis ſub Conſecratione debet eſſe in manibus ejus. T. 11.

Hoſtia conſecrata ſi diſpareat, vel aliquo caſu, v. g. ventô auferatur, quid faciendum. T. 44. & ſeqq. Quid, ſi fiat mutatio Hoſtiæ, e. g. ſi appareat caro &c. *ibid.* 47. & ſeq.

Hoſtia conſecrata, ſi in Calicem dilabatur, quid faciendum. T. 301. Quid, ſi in terram &c. labatur. 319. & ſeq. Quid, ſi intrà peƈtus mulieris, vel partes interiores ejusdem tunicæ decidat. 321. Quid, ſi ſit Communio Monialium, & caſu aliquo Hoſtia conſecrata intrà Clauſuram earum decidat. 322. Alia *Notabilia* de Hoſtia conſecrata ad crates Communicantium inventa: à pœnitente reſtituta &c. 323.

Hoſtia fraƈta, an licitè poſſit conſecrari. T. 300.

Hoſtia Minor, an ſola in Miſſa conſecrari, aut in Monſtrantia publicè exponi poſſit. T. 6. & ſeqq. item, 329. & ſeqq.

Hoſtia minor integra ad crates Communi-

Digitized by Google

municantium, vel in Altari, vel in Tabernaculo inventa, qualiter tractanda. T. 101.

Hoſtiæ duæ in Sacerdotis manibus poſt Conſecrationem inventæ, an ſint reputandæ ut conſecratæ. T. 94.

Hoſtiæ in Altari remanentes, vel latentes, an cenſendæ ſint conſecratæ. T. 92.

Hoſtiæ in Tabernaculo clauſæ, an validè & licitè conſecrentur. T. 12.

Hoſtiæ pro Communicantibus conſecrandæ, & poſt oblationem panis & vini primùm allatæ, an poſſint licitè conſecrari. T. 102. ℣. *Quæris.* Item, an facta Conſecratione, Hoſtiæ conſecratæ ad communicandum populum ante *Pater noſter &c.* poſſint auferri. *ibid.*

Hoſtiæ, quænam ſint cenſendæ conſecratæ, vel non. T. 103. & ſeqq. Quid in dubio validæ Conſecrationis. *Doctrina notabilis.* T. 105.

I.

Jejunium naturale, quid, & quando inchoëtur. *Notabilia.* T. 141. & ſeqq. Quid faciendum, ſi dubitatur de fractione jejunii naturalis. 144. Quidnam ſub nomine *Cibi,* & *Potûs* veniat. 145. & ſeq. *Notabile quoad illos, qui naturaliter jejuni celebrare non*

va-

valent. Quæ ſint illa, quæ jejunium naturale non ſolvunt. 147. In quibus caſibus licitum ſit non jejuno celebrare, vel communicare. 148. & ſeqq. *Caſus notabiles.* 151. & ſeq.

Incenſatio Altaris, an cadat ſub præcepto. P. 19.

Infirmus, an non jejunus communicare poſſit. Vid. ℣. *Moribundus.*

Intentio quid, quotuplex, & qualis requiratur, ac ſufficiat in Celebrante. T. 90.

Intentionem conſecrandi, qualem debeat, vel deberet habere Sacerdos. T. 92. & ſeq. Item, 110. & ſeq. ubi etiam *doctrina notabilis* pro ſcrupuloſis, anxiis &c.

Intentio, qualis ex parte Sacerdotis fructus Sacrificii applicantis requiratur. T. 337. & ſeq.

Intentio *Secundaria* quid, an, & quomodo fieri poſſit. T. 355. & ſeqq.

Interruptio Miſſæ. Vid. ℣. *Abruptio.*

Irregularis occultus, an poſſit celebrare? T. 113.

Judæi, an poſſint Miſſæ Sacrificio intereſſe. T. 271.

L.

Laici, an in Natali Domini ter communicare poſſint. T. 164.

Locus competens licitè Miſſam cele-brandi, quis. T. 168. & ſeqq. *Notabilia.* 170. & ſeqq.

Lumen ſub Miſſæ Celebratione in Altari ardens, an cadat ſub præcepto. T. 212. Quotuplex, & ex qua materia fit. 213. Vid. etiam. ℣. *Cerei.* Lunula Monſtrantiæ, an, & à quo benedicenda. T. 244.

M.

Materia gravis & levis, quomodo in Miſſæ Sacrificio metienda. P. 9.

Materia SS. Evchariſtiæ Sacramenti, quæ. T. 9.

Materiæ conſecrandæ in actu Conſecrationis debet eſſe præſens Sacerdoti, & quomodo. T. 10. & ſeqq.

Materia poſt Conſecrationem reperta in tali loco, ubi validè quidem, ſed non licitè potuiſſet conſecrari, an cenſenda ſit conſecrata. T. 103. Quid, ſi Sacerdos primùm advertit poſt Conſecrationem, Hoſtias conſecrandas ſibi fuiſſe appoſitas in Ciborio &c. T. 104. Quid, ſi oblitus eſt, Ciborium pro Conſecratione Particularum diſcooperire, & ſupra Corporale reponere. 105.

Ma-

Digitized by Google

Matutinum, an ante Miſſæ Celebrationem obligatoriè recitandum. P. 7.

Micæ ab Hoſtia decidentes, an cenſendæ ſint conſecratæ. T. 102. 106. & ſeq.

Miniſter Altaris, an, & qualis ſub Miſſæ Sacrificio adhibendus. T. 235. & ſeqq.

Miſſa ſolemnis *de Requiem.* præſente defuncti corpore, quibûs diebûs dici poſſit. P. 43. & ſeq, item, 47. & ſeqq.

Miſſa Solemnis Votiva, quibûs diebûs dici poſſit. P. 42.

Miſſa, quo in loco celebrari licitè queat. T. 167. & ſeqq. *Notabilia.* 170. & ſeqq.

Miſſa, an, à quo, & quando ſupplenda, ſi Sacerdos ſub Miſſa infirmatur, vel omnino moritur. T. 274. & ſeqq. *Notabilia.* ibid. uſque ad Num. 290.

Miſſa, pro quibus licitè offerri poſſit. T. 364. & ſeqq.

Miſſæ partes ordinariæ, & extraordinariæ, quæ. P. 9. ℣. *Supponendum eſt quartò.*

Miſſæ privatæ Fer. V. Cœnæ Domini, & in Sabbato ſancto, an licitæ. P. 45. & ſeq.

Miſſæ propriæ SS. Benedicti & Thereſiæ, à quibus dici poſſint. T. 264. ℣. *Nota tamen.*

Miſſæ tres in Nativitate Domini, quomodo celebrandæ. T. 161.

Miſſæ plures eodem die, quando cele-
brari valeant. T. 162.

Miſſæ, quot in Oratoriis Regularium ce-
lebrari valeant. T. 175. An Sæculares in
his Miſſam audientes præcepto diei Feſti
ſatisfaciant. *ibid.*

Miſſæ, quot in Oratoriis privatis Sæcu-
larium celebrari queant. T. 183. Privile-
giatus, an non ſolùm poſſit, ſed etiam te-
neatur in ſuo Oratorio celebrari facere,
ut audiat Miſſam die Feſto. *ibid.* Miſſam,
qui in privatis Sæcularium Oratoriis au-
dire, vel non audire poſſint. 192. & ſeqq.
An abſente Privilegiato principali, alii de
ejus familia in ejusdem Oratorio Miſſam
audire poſſint. 196.

Miſſæ *de Requiem*, an poſſint celebrari
pro vivis. T. 405. & ſeqq.

Miſſæ *Gregorianæ* quid, & an adhuc va-
leant. T. 401. An proſint Fidelibus vivis.
402. & ſeqq.

Miſſæ pro ſtipendio acceptæ, quouſque
differri poſſint. T. 394. & ſeqq. *Notabilia.*
ibid. Caſus ſpecialis. 400.

Miſſale, an neceſſarium. T. 260. & ſeqq.
Quonam Sacerdotibus utendum. *Notabilia.*
263. & ſeqq.

Modus ſupplendi defectus Hoſtiæ cor-
ruptæ, & alios. T. 35. & ſeqq. *Notabilia.*
37.

Digitized by Google

37. & ſeqq. Quid, ſi dubitatur de defectu ſubſtantiali panis vel vini. 40. & ſeqq.

Monſtrantia, an, & à quo benedicenda. T. 244.

Moribundus, an non jejunus poſſit ſumere Viaticum. T. 153. *Notabilia* pro RR. DD. Parochis. 154. Utrum durante eadem infirmitate cum mortis periculo, poſſit infirmus iterum & ſæpius communicare non jejunus. 155. & ſeq. An, qui manè communicaverat ſanus, poſſit, vel debeat eadem adhuc die ſumere SS. Eucharistiam per modum Viatici. 164.

Muſca ſi in Calicem ceciderit, quid faciendum. T. 291. & ſeqq. Quid, ſi fuerit aliquid venenoſum. 294. & ſeqq.

Mutatio Miſſæ, & in Miſſa, an, & qualis licita. P. 36. & ſeqq. ubi *Notabilia* plura, præſertim de *Mutatione Formæ Conſecrationis*.

N.

Neceſſitas urgens, quæ ſit, ut Sacerdos in ſtatu peccati mortalis exiſtens, abſque prævia Confeſſione celebrare poſſit. *Caſus notabiles.* T. 119. & ſeq.

Nox media, quomodo computanda. T. 142, & 158.

O.

O.

Oblatio mentalis in Miſſæ Sacrificio, quomodo facienda. T. 28.

Oblatio panis & vini in Sacrificio Miſſæ, eſt ſolummodo Pars accidentalis, ſed magni ponderis & momenti. P. 3.

Obligatio fructus Sacrificii applicandi triplex. T. 341. & ſeqq.

Omiſſio Partium Miſſæ ordinariarum, & extraordinariarum, intrà & extra Canonem, quale peccatum. *Notabilia.* P. 10. & ſeqq. Omiſſio unius Miſſæ pro ſtipendio legendæ, an mortalis. 342.

Oratoria privata Sæcularium, & quid in iis obſervandum. T. 176. Explicantur Clauſulæ, quæ hujusmodi Oratoriis variè adiici ſolent. 178. uſque 200. Notantur *multa Notabilia.*

Oratoria Regularium, & quid in eis licitum ſit. *Notabilia.* T. 175.

Oratorium publicum, quid, & quidnam in eo liceat. T. 168. & ſeq.

P.

Pagani, an poſſint Miſſæ Sacrificio intereſſe. T. 271.

Palla, an ſit obligatoria. T. 251. An poſſit à parte ſuperiori drappô ſericô cooperiri. *ibid.* ℣. *Petes.* Quid de palla duplici. 252.

Pallium Altaris, Vid. ℣. *Antependium.*

Panis, qualis neceſſarius ſit ad confectionem SS. Evchariſtiæ. T. 13. & ſeqq. ubi plura *Notabilia.*

Panem dubii valoris nunquam licet conſecrare. T. 13.

Panis ſubſtantialiter corruptus, unde dignoſci poſſit. T. 19.

Panis de aqua roſacea, vel alterius diſtillationis confectus, an materia valida Conſecrationis; item, an confectus partim ex aqua naturali, partim ex liquore alterius diſtillationis. T. 20. & ſeq.

Panis ſubſtantialiter corrumpi incipiens, quomodo dignoſci poſſit. T. 22. Utrùm in dubio talem panem, ſeu Hoſtiam conſecrare liceat. *ibid.*

Panem fermentatum, utrùm Sacerdoti Latino nunquam liceat conſecrare. T. 23. & ſeqq. item, 29. Sed quid, ſi morituro dandum eſt Viaticum, & non habetur, niſi panis fermentatus? T. 26.

Paramenta Sacerdotis celebrantis, quæ & qualiter obligent. T. 226. *Notabilia.* 227. & ſeqq. An neceſſariò debeant eſſe bene-

di-

dicta. 230. A quonam benedici debeant, vel poſſint. 231. & ſeq. An non benedicta adhibita per uſum benedicta fiant. 233. Paramenta Sacerdotalia, quando amittant ſuam Benedictionem. 234.
Paramenta debent eſſe munda. T. 253.
Partes Miſſæ ordinariæ, & extraordinariæ, quæ. P. 9. ℣. *Supponendum eſt quartò.*
Particula Hoſtiæ conſecratæ ſi in Calice remaneat, quid faciendum. T. 299.
Patena, qualis in Miſſæ Sacrificio adhibenda. Vid. ℣. *Calix.*
Peccata dubia, an neceſſariò confitenda. T. 129. & ſeqq. uſque 133. ubi Varia, & notabilia, præſertim pro timoratis, ſcrupuloſis &c. recenſentur.
Peccatum *ùt dubium* confeſſum, & poſtea compertum certò factum, an iterum ùt certum confitendum. T. 134.
Peccatum mortale ùt certum confeſſum quidem, ſed à Confeſſario pro dubio, vel pro veniali, vel pro non facto judicatum, an iterum confitendum. T. 135.
Peccatum reſervatum. Vid. T. 135. & ſeqq. ubi *Notabilia.*
Pileolus, an ſub Celebratione Miſſæ licitus. T. 257. & ſeqq. Quiſnam quoad Pileoli uſum diſpenſare valeat. *ibid.*

Plu-

Digitized by Google

Pluviale, an neceſſariò benedicendum. T. 230. ℣. *Quæres.*

Pollutio nocturna, an impediat Celebrationem & Communionem. T. 165.

Præparatio, *Ne reminiſcaris &c.* ad Miſſam in Miſſali Romano præſcripta, an cadat ſub præcepto. P. 7.

Preces Celebranti, dum ſe ſacrîs veſtibûs induit, præſcriptæ, an ſint obligatoriæ. P. 7.

Privilegium Oratorii privati, quouſque duret. T. 181.

Privilegiatus, an non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur in ſuo Oratorio celebrari facere, ut audiat Miſſam die Feſto. T. 183. ℣. *Petes.*

Purificatio Pyxidis ſeu Ciborii, qualiter facienda. T. 97.

Purificatorium, an debeat eſſe benedictum. T. 251.

Q.

Particulæ, *Quàm primùm confiteatur*, an imponant neceſſitatem confitendi, & quos liget. T. 119. 124. & ſeq.

R.

Digitized by Google

R.

Rebûs ſacris ad uſus profanos uti, quale peccatum. T. 243.

Reconciliatio Altaris, à quo facienda. T. 242.

Reductio Miſſarum. Vid. ℣. *Sacerdos Beneficiatus.*

Regulares, an defacto intuitu Privilegii ſui poſſint licitè celebrare Miſſam in privatis extraneorum Oratoriis, aut cameris. T. 187.

Regulares infirmi, an in ſuis Cellis, ſeu cubiculis Miſſam audire, vel etiam legere poſſint. T. 173. & 175.

Regulares, quænam Paramenta benedicere poſſint. T. 231. & ſeq. *Notabilia.* ibid.

Regularibus Mendicantibus, quidnam quoad tempus Miſſam celebrandi ſpecialiter conceſſum. T. 216. 217. 221. & ſeqq.

Regularium Oratoria. Vid. ℣. *Oratoria Regularium.*

Religioſi Sacerdotes, an fructus Miſſæ dividere poſſint. T. 363.

Reliquiæ cibi remanentes in ore, an, ſi transglutiantur, impediant Communionem. T. 159. & ſeq.

Re-

Digitized by Google

Reliquiæ Hoſtiæ conſecratæ, an, quando, & quales à Sacerdote ſumendæ. T. 95. & ſeqq. Quid de Hoſtiis integris relictis. *ibid.* 100.

Reliquiæ ſeu fragmenta in Patena, aut alibi inventa, an poſſint à Sacerdote, abſolutâ jam Miſſâ, in Sacriſtia ſumi. T. 98. Quid, ſi dubitatur de fragmentis, an ſint reliquiæ Hoſtiæ conſecratæ, nec ne. *ibid.* 99.

Renovatio Eucharistiæ, quando facienda. T. 97.

Repetitio verborum Conſecrationis, an, & quando licita. P. 34. & ſeq.

Ritus eſſentiales, integrales, & accidentales, qui. P. 2. & ſeq.

Rubrica, quid. P. 1.

Rubricæ, aliæ præceptivæ, aliæ directivæ. P. 2.

Rubricæ Miſſalis præceptivæ, & directivæ generatim, quæ. P. 4. & ſeq.

Rubricæ præceptivæ, & directivæ in ſpecie, quæ. P. 6. & ſeqq.

Rubricæ præceptivæ transgreſſio, quomodo ex parvitate materiæ metienda ſit. P. 9.

Rubricæ *de Defectibus Miſſæ*, ſecundùm ſe, & quà tales, ſunt propriè directivæ, meræque inſtructiones doctrinales. T. 36. Secùs eſt de Rubricis Miſſalis in actu Celebrationis ſervandis. *ibid.*

S.

Sacerdos, an in Sacrificio Miſſæ teneatur utramque ſpeciem ſumere. T. 290.
Quid faciat, ſi Sacramentum venenô infectum ſumpſit. T. 297.
Sacerdos, an in Natali Domini poſſit ſemel extra Miſſam laicorum more communicare, & deinde bis celebrare, vel econtra. T. 164.
Sacerdos, an in Miſſa ſolemni teneatur ſubmiſſa voce dicere *Gloria in excelſis: Credo*: legere *Epiſtolam, Evangelium &c.* P. 20.
Sacerdos Beneficiatus plures habens obligationes, an poſſit Miſſas, ob non congruum ſtipendium, ad minorem numerum reducere. T. 385.
Sacerdos ficté celebrans, quomodo peccet. T. 91.
Sacerdos habitu laicali incedens, an licitè celebrare poſſit. T. 255.
Sacerdos infirmus, an in Dominica Palmarum poſſit privatim legere Miſſam Votivam de Paſſione Domini. P. 42.
Sacerdos in actuali ſumptione Calicis advertens, locò vini poſitum eſſe acetum, vel aquam, quid faciat. T. 54.

Sa-

Digitized by Google

Sacerdos non valens jejunus celebrare, indiget Pontificia diſpenſatione. T. 146.
Sacerdos in aliena Eccleſia celebrans, quid faciat. T. 264. & ſeqq.
Sacerdos in Eccleſia violata, ſeu polluta celebrans, quomodo peccet; & an cenſuram aliquam, vel irregularitatem incurrat. T. 272.
Sacerdos in prima Nativitatis Domini Miſſa aliquot Purificationis guttas deglutiens, an poſſit eadem die alias adhuc duas Miſſas celebrare. T. 161.
Sacerdos inveteratus, vel in occaſione proxima voluntariè conſtitutus, an intuitu neceſſariæ Celebrationis debeat abſolvi toties, quoties. T. 126. & ſeq.
Sacerdos Miſſam in Altari privilegiato petitam alibi celebrans, an peccet, & teneatur ad reſtitutionem. T. 353. & ſeq.
An in Altari privilegiato celebrans, ratione Privilegii poſſit aliquid ultra datum ſtipendium exigere. 384.
Sacerdos pro ſtipendio celebrans obligationi ſuæ non ſatisfacit, ſi in ſumptione Calicis advertit, aquam vel acetum pro vino poſitum eſſe, & vinum aliud habere non poteſt. T. 68.
Sacerdos quid faciat, ſi (etiam immediatè ante Calicis Conſecrationem) advertit,

nec vinum nec aquam: aut ſolam aquam: aut ſolùm vinum ſinè aqua in Calice poſitum eſſe. T. 64. & ſeqq. ubi plura, & multùm *Notabilia*.

Sacerdos quid faciat, ſi poſt Conſecrationem ſive Hoſtiæ, ſive etiam Calicis advertit, panem eſſe corruptum. T. 31. Quid, ſi aliam Hoſtiam habere non poteſt. 33.

Sacerdos quid faciat, ſi non recordatur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur. T. 73. & ſeq. Quid, ſi culpabiliter diſtractè conſecret. 75. Quid, ſi Sacerdos verba Conſecrationis transponendô dicat, e. g. *Hoc enim Corpus meum eſt*; locò, *Hoc eſt enim Corpus meum &c.* 77. Quid ſi Sacerdos per errorem ſuper Hoſtiam protulit verba Conſecrationis Calicis. 78. Plura de Forma Conſecrationis *Notanda*. 79. Quid, ſi Sacerdos valdè probabiliter dubitat, ſe aliquid in Forma Conſecrationis eſſentiale omiſiſſe. 80. & ſeq. Quid, ſi in Forma Conſecrationis omiſit illa, de quibus controvertunt DD. an ſpectent ad eſſentiam Formæ. 82. Variæ praxes relevantes difficultates, apprehenſiones &c. quas habere poſſunt Sacerdotes in pronunciatione verborum Conſecrationis. 84. & ſeqq. Quid, ſi Sacerdos fiat perplexus. 87.

Sacerdos quid faciat, ſi inchoatô jam Sa-

crô,

Digitized by Google

crô, aut inchoatâ jam Formâ Conſecrationis recordatur, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis. T. 122. & ſeq. Quid, ſi ſub Sacrificio recordatur, ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum &c. aut locum eſſe interdictum. 139. & ſeq.

Sacerdos, quinam in privatis Sæcularium Oratoriis celebrare valeat. T. 185. & ſeq.

Sacerdos, quænam ſcire teneatur. T. 324. & ſeqq.

Sacerdos, quando de ſe poſſit præſumere, quòd materiam conſecraverit, vel non: & ſpecialiter, quid cenſendum de micis ab Hoſtia Sacerdotis decidentibus, & de guttis Calici adhærentibus. T. 102. Item, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi Hoſtias non conſecratas cum conſecratis commiſcuit, & ab invicem diſcerni nequeunt. *ibid.*

Sacerdos ob viſûs debilitatem legere non potens, an poſſit celebrare Miſſam memoriter recitandô. T. 262.

Sacerdos, ſi ſub Miſſa in infirmitatem incidit. Vid. ℣. *Miſſa, an, à quo, & quando ſupplenda.*

Sacerdos ſi evomat Eucharistiam, quid faciat. T. 314. & ſeqq. *Notabilia*, ibid.

Sacrificii eſſentia conſiſtit in ſola Conſecratione utriusque ſpeciei, & in nullo ca-

nec vinum nec aquam: aut ſolam aquam: aut ſolùm vinum ſinè aqua in Calice poſitum eſſe. T. 64. & ſeqq. ubi plura, & multùm *Notabilia*.

Sacerdos quid faciat, ſi poſt Conſecrationem ſive Hoſtiæ, ſive etiam Calicis advertit, panem eſſe corruptum. T. 31. Quid ſi aliam Hoſtiam habere non poteſt. 33.

Sacerdos quid faciat, ſi non recordatur, ſe dixiſſe ea, quæ in Conſecratione communiter dicuntur. T. 73. & ſeq. Quid, ſi culpabiliter diſtractè conſecret. 75. Quid, ſi Sacerdos verba Conſecrationis transponendô dicat, e. g. *Hoc enim Corpus meum eſt*; locò, *Hoc eſt enim Corpus meum &c.* 77. Quid ſi Sacerdos per errorem ſuper Hoſtiam protulit verba Conſecrationis Calicis. 78. Plura de Forma Conſecrationis *Notanda*. 79. Quid, ſi Sacerdos valdè probabiliter dubitat, ſe aliquid in Forma Conſecrationis eſſentiale omiſiſſe. 80. & ſeq. Quid, ſi in Forma Conſecrationis omiſit illa, de quibus controvertunt DD. an ſpectent ad eſſentiam Formæ. 82. Variæ praxes relevantes difficultates, apprehenſiones &c. quas habere poſſunt Sacerdotes in pronunciatione verborum Conſecrationis. 84. & ſeqq. Quid, ſi Sacerdos fiat perplexus. 87.

Sacerdos quid faciat, ſi inchoatô jam Sa-

Digitized by Google

crô, aut inchoatâ jam Formâ Conſecrationis recordatur, ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis. T. 122. & ſeq. Quid, ſi ſub Sacrificio recordatur, ſe eſſe excommunicatum, ſuſpenſum &c. aut locum eſſe interdictum. 139. & ſeq.

Sacerdos, quinam in privatis Sæcularium Oratoriis celebrare valeat. T. 185. & ſeq.

Sacerdos, quænam ſcire teneatur. T. 324. & ſeqq.

Sacerdos, quando de ſe poſſit præſumere, quòd materiam conſecraverit, vel non: & ſpecialiter, quid cenſendum de micis ab Hoſtia Sacerdotis decidentibus, & de guttis Calici adhærentibus. T. 102. Item, quid faciendum ſit Sacerdoti, ſi Hoſtias non conſecratas cum conſecratis commiſcuit, & ab invicem diſcerni nequeunt. *ibid.*

Sacerdos ob viſûs debilitatem legere non potens, an poſſit celebrare Miſſam memoriter recitandô. T. 262.

Sacerdos, ſi ſub Miſſa in infirmitatem incidit. Vid. ℣. *Miſſa, an, à quo, & quando ſupplenda.*

Sacerdos ſi evomat Eucharistiam, quid faciat. T. 314. & ſeqq. *Notabilia*, ibid.

Sacrificii eſſentia conſiſtit in ſola Conſecratione utriusque ſpeciei, & in nullo caſu

ſu directè una ſpecies ſinè alia licitè conſecrari poteſt. P. 2.

Sacrificare bis eadem die an licitum ſit ad dandum moribundo Viaticum. P. 35. Item. T. 157.

Sæculares, an Miſſam in Oratoriis Regularium audientes præcepto diei Feſti ſatisfaciant. T. 175.

Sanguis Chriſti ſi effundatur, quid faciendum. T. 305. & ſeq. item 313.

Scandalum, quid, & quomodo intelligendum. P. 5. ℣. *Dictum eſt autem.*

Status gratiæ, ad quosnam Ordinis actus neceſſarius. T. 116.

Stipendium Miſſæ quid, an licitum, & quo jure debeatur. T. 372. & ſeqq. Quantum liceat accipere, & exigere. 375. & ſeqq. An Sacerdos pro eadem Miſſa plura ſtipendia accipere poſſit. 378. & ſeqq. An poſſit alteri Miſſam legendam committere, retentâ ſibi parte ſtipendii. 386. & ſeqq. *Notabilia.* ibid.

Stola, an ſit neceſſaria Sacerdoti more Laicorum communicanti. P. 45.

Sumptio SS. Sacramenti in Miſſæ Sacrificio eſt pars duntaxat integralis. P. 3.

T.

Tactus rerum ſacrarum, quibus licitus. T. 245. & ſeqq.

Tem-

Tempus, quo Miſſam celebrare liceat. T. 214. & ſeqq. Quidnam Regularibus Mendicantibus ſpecialiter conceſſum ſit. 216. 217. 221. & ſeqq. Quisnam quoad tempus celebrandi Miſſam diſpenſare poſſit. 224.

Tobaleîs ſeu mappîs, quot Altare cooperiendum. T. 205. & ſeq. An neceſſariò debeant eſſe benedictæ. 205. Ex qua materia conficiendæ. 207.

Transgreſſio Rubricæ præceptivæ, quomodo ex parvitate materiæ metienda ſit. P. 9.

V.

Vaſa ſacra, quibus tangere liceat. T. 245. & ſeqq.

Velum Calicis, an debeat eſſe benedictum. T. 251.

Venenoſum &c. ſi quid in Calicem ceciderit, quid faciendum. T. 294. & ſeqq. Quid faciat Sacerdos, ſi Sacramentum venenô infectum ſumpſit. 297. Quid, ſi aliquid venenatum Hoſtiam conſecratam contigit. 298. An ea, quæ à fulmine ſunt tacta, venenata cenſenda ſint. *ibid.*

Vermiculus, ſi intra Ciborium ſeu Pyxidem naſcatur, quid faciendum. T. 323. 332.

Ve-

Digitized by Google

Veſtimenta Sacerdotis celebrantis. Vid. ℣. *Paramenta.*

Viaticum, an dari poſſit infirmo non jejuno. Vid. ℣. *Moribundus.*

Vinum acidum, & aliquantùm acre, quod. T. 56. Vinum ex botro recèns expreſſum, an, & quando licitè poſſit conſecrari. 57.

Vinum benedictum, an Neo-nuptis, vel aliis in Feſto S. Joannis Evang. è Calice conſecrato porrigi poſſit. T. 243.

Vinum congelatum, an validè, vel etiam licitè conſecrari poſſit. T. 302. & ſeqq.

Vinum Purificationis ſi effundatur, quid faciendum. T. 311. & ſeq.

Vinum, quale ſit materia apta Conſecrationis. T. 50. & ſeq. Caſus ſpecialis. 52. Quid faciendum, ſi vinum ità alteratum eſt, ut diſcerni nequeat, & verè ſit dubium, num adhuc ſubſtantialiter vinum, vel acetum ſit. 53. Quid, ſi Sacerdos in actuali ſumptione advertit, locò vini poſitum eſſe acetum, vel aquam. 54.

Vini quantitas, quænam pro Conſecratione in Calicem ponenda. T. 49.

Violatio Eccleſiæ, quomodo contingat. T. 268. & ſeqq.

Vomitus. Vid. ℣. *Sacerdos ſi evomat.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

H